2
Geo.
Statist. univ.
40.
Boterus.
<36619767480017
<36619767480017
Bayer. Sta

IMPERIORVM MVNDI

CATALOGVS ET DESCRIPTIO:

SIMVL CVM EORVM REGALI CENSV, AERARIO, ARMIS, POTENTIA, MAGNITVDINE, FINIbus & forma Regiminis.

HORVM IMPERIORVM INDICEM vide pagina quarta.

ADIECTVS EST TRACTATVS DE VNIVERSITATVM, VRBIVM, AC præcipue in quibus Imperij ſedes, commoditatibus, magnitudine, & eas conſeruandi modis.

Vtrumq; opus à celeberrimo viro Ioanne Botero Beneſio, Italica primum lingua conſcriptum, & à viris doctis in Latinam traductum, nunc varijs Relationibus auctum, velut nouum in lucem prodit.

COLONIAE,
Excudebat VVilhelmus Lutzenkirchen.
ANNO M.DC.XIIII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

LECTORI.

LIBRI IOANNIS BOTERI BENESII, cui titulus, RELATIONES VNIVERSALES, eam partem, in qua deſcribit opes, vires, regimenque Principum EVROPAE, ASIAE & AFRICAE, aliorumque, quos VNIVERSALES vocat (quod in dictis tribus ORBIS partibus ditiones poſſideant, ex Italico idiomate in Latinum verti curauimus, ſicut & Relationes alterius ITALI de ditionibus Ducis Sabaudię, Magni Ducis Etruriæ, Ducis Vrbini, & CIVITATIS VENETIARVM, quod eiuſdem cum BOTERI RELATIONIBVS eſſent argumenti, ſimulque prælio ſubiecimus, LIBELLVM inſcripſimus MVNDVS IMPERIORVM ſiue RELATIONES DE PRAECIPVIS MVNDI IMPERIIS, REGNIS & DYNASTIIS, quod eorũ opes, vires, formamq; ea adminiſtrandi regendiq; referret declararetque. Vale Lector, tibiq; paruo ære compara, ex quo non exiguum fructum delectationemq; haud vulgarem percipere poteris.

IN EVROPA

IMPERIVM ROMANVM, REGES ET DYNASTAE SEQVENTES;

REGES.	FRANCIAE.	FAMILIA AVSTRIACA.
	ANGLIAE.	IMPERIVM ROMANVM.
	DANIAE.	PONTIFEX ROMANVS.
	SVVECIAE.	DVX SABAVDIAE.
	POLONIAE.	MAGNVS DVX ETRVRIAE.
	MAGNVS DVX MOSCHORVM.	DVX VRBINI.
		CIVITAS VENET.

In Aſia:

MAGNVS CHAM.
MAGNVS MOGOR.

REGES.	CHINAE.	CALECVTII.
	SIAMI.	PERSIAE.
	NARSINGAE.	IAPONIAE.

In Africa:

PRESBYTER IOANNES.
MONOMOTAPA.
FESSAE ET MAROCHI REX.

Vniuerſales Principes ſunt.'

PHILIPPVS AVSTRIACVS INDIARVM HISPANIARVM, &c. REX MAGNVS TVRCA qui magnam EVROPAE, maiorem ASIAE, maximam AFRICAE partem tyrannide premit.

Vrbium vero quæ hic deſcribuntur nomina Lector in lectione obſeruabit.

REX

REX FRANCIAE.

HABET Francia pro terminis Alpes, qui ipſam ab Italia diuidunt: Rhodanus ſeparat ipſam à Sabaudia, Araris à Sebuſianis & Heduis; Moſella fluuius, à Lotharingia; & Ducatu Lucemburgenſi: Aa riuulus Flandriæ, à latere Occidentali eſt: Franciæ ad Meridiem mare Mediterraneum eſt & Pyrenei montes: Ad Occaſum Oceanus: ad Septentriones, mare Britānicum. Extendit ſe in latere Meridionali Septentrionem verſus, à Lotharingia Caletum vſque, ſpacio quaſi 200. leucarum Francicarum; eiuſque latitudo paullo minor eſt inter Ortum & Occaſum, à flumine Varo, ad Paurum vſque: reſtringit ſe tamen tanto magis, quanto plus Septentrioni accedit. Eius minima latitudo eſt inter Caletum & Britanniæ Promontorium. Figura eius inter quadratam & rotundam eſt, idcoque multo capacior, quam quiſpiam arbitretur. Continet Prouincias ampliſſimas, ſed præcipuæ ſunt Picardia, Normannia, Francia, Campania, Burgundia, Aruernia, Delphinatus, Prouincia. Nec ſunt tamen contemnendæ Bria, Beelſia, Turonia, Andegauenſis Ducatus, Santones, Biturigum Ducatus & aliæ. Initium eius eſt in 42. gradu, habetque talem aëris diuerſitatem, vt pars quę ad mare Mediterraneum eſt, (vbi ſunt Languedocia, & Prouincia) producat omne fru-

ne fructuum genus quod dat Italia: Ea autem quæ ad Mare Britannicum eſt (vbi ſunt Britannia, Normannia & Picardiæ pars) vinum non profert: reliquum regni abundat, plus quam credi poſſit, omni Europæ fructuum genere, exceptis oliuis, ficubus & ſimilibus. Aeris benignitas bonitati terræ, & fluuiorum oportunitati coniuncta, adeo propitia commodaque eſt productioni frugum, omniſque generis animalium, vt ea in Francia omnes alias Europę partes ſuperet. Inter mõtes enim Aruerniæ, & Delphinatus & noſtrum mare Aer adeo temperatus eſt, frigore montium, perpetua fere niue opertorum, & leni aura marina, vt fere æquet cœli benignitatem, qua gaudet ora Genuenſis. Ab alia autem parte ſunt Montes Pyrenei valli loco, aduerſus frigus, quod retunditur perditque ſuam rigiditatem. Ipſi montes abundant vndique balneis & venis aquæ calidæ. Venti Septentrionales, qui, ſicut communis opinio fert, aerem refrigerare deberent, non ſunt ibi adeo gelidi, ſicut alijs locis: capiunt enim venti partem naturæ locorum per quæ tranſeunt. Si tranſeunt per montes niuoſos, adferunt ſecum frigus illorum montium: ſi per ſtagna, inficiuntur: ſi per ſiluas, corrumpuntur: ſi per regiones arena obſitas, incaleſcunt: ſi per lacus aut mare, refrigerant; Accidit hinc, vt venti Panormi in Sicilia ſint extreme calidi. Antequam enim eò perueniunt, verrunt cãpos Siciliæ, accipiunt eorum calorem, feruntque eum in dictam ciuitatem. Notus eſt frigidus Genuæ, quod antequam eo pertingat, mare tranſeat, nec attingat terram, recipiatque maris frigiditatem. Aquilo autẽ, qui per Franciã ſpirat, venit à Mari, quod ſua ſalſitate caloris aliquid

aliquid habet,nec impingens in montes glacie aut niue obductos,exerit ſe,curritq; per campos Normanniæ,Campaniæ,Franciæ, aliarumque Prouinciarum , ad montes Aruerniç vſq;. Aptior itaque eſt Aquilo temperandæ montium frigiditati ,‚quã vt perdat ſuam temperiem.Ij montes itaq;, à ventis Meridionalibus ab vno,& à ventis à Septentrione flantibus,ab alio latere excalefacti , producunt vndique optima paſcua,aluntque magnum Armẽtorum,& gregum numerum:herbas quoq; medicinæ commodas,& ſimplicia perfectiſſima. Inter multos illorum montium ramos, eſt vnus , qui mons Aureus dicitur,propter herbarum copiam, & ſimplicium nobilitatem.Horum omnium experientiam ſumere ab Anglia licet. Quamuis enim ipſa magis ad Septentriones vergat quam Francia, quod tamen nullos montes,Mare autem vndique habet,eſt ibi Aer ſatis temperatus. Multo autem temperatior eſt in Francia , quod à Polo longius abſit. Docent id vites,qui in Anglia non matureſcunt: reddunt autem Vites in Francia vina perfectiſſima,acciditque ſæpe, vt ventus marinus à Septentrione , aut ab Occaſu exorſus, Hiemem in Ver mutet, vireantque campi lætis floribus , veſtiatur horti,renouetur tota fere natura,ita vt habitatores Turoniç,Pictauiæ,Inſulæ Franciæ,Limaniæ(non ſolum Prouinciæ,viciniq́ue populi) nec Lacui Benaco (qui nunc *Lago di Garda* dicitur) nec locis amœnioribus inuideant. Terra Franciæ tota fertilis & fructifera eſt:Apenninus autem occupat fere quartam Italiç partem,eſtque vt plurimum aſper,redditque paucos fructus , ſed fundus Franciç vndiquaque omnis boni diues eſt.Montes Aruerniæ(qui tamẽ multi non ſunt)habent multa

bona oppida, multa opulenta fertiliaque loca, in quibus Ars pecuaria exercetur, inſtruuntque carne, butyro, & caſeis excellentibus bonam regni partem. Regni fere reliquum explicatur in latos campos, feracibus colliculis, herboſiſque vallibus diſtinctos. Vndique copia cum varietate fertilitas cum delicijs, ſitus vtilitas cum pulchritudine regionum contendit: In hoc abſque dubio cedit Franciæ Italia. Quamuis enim in aliquo eius angulo amœnitas ſingularis & excellētia ſitus perſpiciatur, qualis eſt quę vulgo *Pieue Incini*, *Riuiera di Salo*, *Contrado Vicentiæ*, appellantur, Campania felix, Territorium Crotonienſe, & Tarentinum, aliquarumque aliarum ciuitatum Calabriæ: ſunt tamen ea hic ſingularia, in Francia communia, pręcipue in Burgundia, Bria, Inſula Franciæ, Turonia, Andegauo, Santonia, Languedocia, vbi apparet ſitus à natura, & ipſius quaſi manu diſtinctos eſſe, & aliquos Cereri, alios Baccho, alios Pomonæ, aliqnos Pallidi dicatos. Sed alia res viſu & conſideratione dignior in Francia non eſt, quam multitudo, & amœnitas fluuiorum nauigabilium, quorum pars eam cingit, ſicut Araris, Rhodanus, Moſella, Soma: pars mediam percurrunt eam, ſicut Sequana, Ligeris, Garumna. In hæc tria flumina influunt partim ex regni extremitatibus, partim ab eius meditullio, tot alia flumina, vt totum regnum ſuprà modum mercibus, communicationique rerum aptum reddant: ita vt propter incredibilem commoditatem, quam præbent vecturæ mercium, populorumque commercio. dici poſſit, populis illius regni omnia communia eſſe. In ſolo Ducatu Andegauenſi numerantur 40. flumina magna & parua: Vnde Catharina Medicæa regina Franciæ,

ſolita

ſolita erat dicere, in eo regno plura nauigabilia flumina eſſe, quam in cetero Europæ: quæ ſane hyperbole à veritate non longe diſcedit. Terræ fertilitas, & commoditas, quam flumina vehẽdis deuehendiſque mercibus præbent, faciunt vt tot vrbes & oppida in Francia ſint, quæ vt plurimum in ripis fluuiorum ſita ſunt. Quamuis Franciæ multi bonique Portus non deſint, meliores tamen ciuitates, non ad mare, ſed in locis Mediterraneis ſitũ obtinent. Ex eo colligitur, ipſarum amplitudinem non extrinſecus venire, ſed quaſi domeſticam eſſe. Sunt enim ciuitates maritimæ ibi mediterraneis maiores, vbi plus auxilij ſuſtentaculique à mari, quam à terra recipiunt, vt Genua, Venetiæ, Epidaurus, quę vulgo Raguza dicitur: ſed vbi ciuitatum magnitudo & amplitudo eſſentialiter ſolumque dependet à terra, ibi ciuitates Mediterraneę excedunt Maritimas: Talis eſt Mediolanum, & alia Longobardiæ, Flandriæ, Germaniæ & Hungariæ oppida. Cum autem terræ opulentia, communis toti Franciæ, & fluuiorum opportunitas generalis ſit, accidit inde, vt (excipiendo Lutetiam Pariſiorum cuius amplitudo procedit à ſede Regis, Curia, Academia, quibus accedit fluuiorum vicinitas) ciuitates & oppida Franciæ, vt plurimum mediocria aut parua ſint, oportuna tamen, & pulchra frequentiſſimaque. Scribit Ioannes Bodinus, deſcriptione tempore Regis Henrici ſecundi facta (in qua non comprehenſa fuit Burgundia) numeratos fuiſſe 27. mille pagos ſeu parochias: alia autem deſcriptione, quæ regnante Carolo nono facta eſt, repertos fuiſſe habitatorum ſupra 15. milliones. Sicut autem Franciæ ciuitates & oppida opportunitatem fluminum experiuntur, ita & Arci-

bus villiſque nobilium priuatorum , parui lacus, ſtagnaque ſuas præbent commoditates. Quamuis huius Prouinciæ lacus, Italiæ & Heluetiæ lacubus conferri non poſſint, ſunt tamen in ea tam multa ſtagna, optimis piſcibus plena, vt eorum frequentia suppleat magnitudinem. Idem de ſyluis dici poſſit, quæ non adeo ſpacioſæ, ſed frequentes ibi ſunt, ex quibus percipiebatur quondam bona cenſus Regij pars. Habent quoq; nobiles magnos Reditus, ex ſuis ſyluis, propter copiam lignorum ad focum, ſed multo maiores ex ligno ad fabricas faciendas: nam ob defectum calcis fit maxima ędificiorum pars ex ligno.

VIRES.

REGNVM Franciæ tãtam habet cõmeatuum copiam, vt qualemcunque exercitum in cãpis nutrire ſuſtentareque poſſit: commeatus enim propter fluminum cõmoditatem, facillime ex vno loco in alium conduci poſſunt. Quando Carolus Quintus ex Prouincia, & deinde Campania ingreſſus eſt Franciam, ſuſtentabat ea plus quã 150. militum millia, vltra Præſidiarios. Regnante Carolo nono, & noſtris temporibus, fuerunt in eo regno 20. equitum, & 30. peditum extraneorum, 15. equitum, & centum pecitum indigenarum aut naturalium millia, nec tamen regnum amonæ caritate laborauit. Sunt deinde in Francia quatuor Magnetes, qui exterorum ad ſe pertrahunt pecuniam. Frumenta, quæ inde in Hiſpaniam & Portugalliam vehuntur: Vinum, quod in Flandriam & Angliam & ad. Maris Balthici accolos mittitur: Sal, quo toti regno, & regionibus vicinis proſpici-

tur : Prouincia quoque ſal coquit in Mari Mediterraneo,idque conficit Santonia adBrouagium,vbi Solis virtus generandi,faciendi & coquendi Sal ex aqua marina ceſſare, nec vltra Septentrionem verſus tranſire apparet:Ex aqua maris dico quia vlterius reperitur Sal,ex aqua fontium, vt in Lotharingia:& ex Fontibus & Mineris, in diuerſis locis Poloniæ,Angliȩ,Germaniȩ,ex Mineris quoque effoſſum fuit in Suecia quamuis nũc ceſſet. Tribus dictis Mineris additur quarta, Cannabis & Telæ, quæ quanti cenſus ſint, vix credi queat. Is autem de eo iudicium facere poterit,qui ſcit quanta eius copia,inſtruendis claſſibus? Vlyſipponenſibus & Hiſpalenſibus euehatur,& quantum in vela & funes,qui ex cannabi conficiuntur, inſumatur. Sunt ibi quoque glaſtum, crocus, aliæque res minoris momenti, quæ quamuis ſingulæ res ſupra dictas non æquent, aut rebus ſupradictis pares non ſint,omnes tamen ſimul iunctæ ad bonam, (& quæ regnum ditare poſſint) ſummam aſcendunt. Propter has omnium bonorum diuitias, dicebat Ludouicus vndecimus, Franciam pratum florens eſſe,quod ipſe metebat quoties Iubebat. Maximilianus Imperator ſolebat dicere, Regem Franciæ eſſe paſtorem Ouium,cum velleribus aureis, quas tonderet,quoties ei opus eſſet. Certum profecto eſt,Reges Franciæ adeo potentes fuiſſe, vt ſi ingenio,& prudentia, quantum viribus, facultatibuſque valuiſſent,in ipſorum arbitrio res Europæ ſitȩ fuiſſent.Sed raro accidit vt vires comitem habeant prudentiam: Eamque ob rem finxerunt poetæ Herculem furentem: Ludouicus Arioſtus, Orlandum furioſum. VirgiliusDaretẽ inſolentem canit: Grȩci autem Barbaros dixerunt omnes

populos,qui doctrina & artibus carerent: Homerus Achillem iracundum,Martem incautum, ipſumque reti Vulcani conſtrictum prodit. Quæ res enim plus metuenda,aut quę potentia magis horrenda eſſę poſſet, quam Regni quod intra ſuos limites abunde paſcit 15.Hominum Myriades, tantumque adhuc commeatuum habet, quantum ad paſcendum,ſuſtentandumque magnum exercitum opus eſt? Abundantia enim populi,& commeatuũ, ſunt maximę cuiuſcumque regni vires. Romani Tribum ruſticam maximi fecere, ob hominum frequentiam, & alimentorum copiam. Quod ad Reditus attinet, Ludouicus XII. percipiebat ex Regno Franciæ Myriadem & ſemiſſem.Franciſcus primus peruenit ad tres Myriades:Henricus Secũdus ad Sex; Carolus Nonus ad Septem: Henricus Tertius ſuperauit decem Myriadas. Ludouicus autem duodecimus reliquit regnum Auro, Argẽtoque plenum,ideoque dictus fuit pater populi: Franciſcus Primus quamuis maxima bella geſſerit,feceritque infinitas expenſas, reliquit tamen in ThesauroOctingenta aureorum millia,Sed Hẽricus Secundus eius filius,Carolum Imperatorem ſuperare volens,ſumenſque ab vnoquoque pecunias fenori,16.per centum, reliquit filios obligatos ære alieno,30.Myriades aureorum excedente, nec mercatores ei quadrantem crediidiſſent. Vnde Carolus Nonus,& Henricus Tertius eius filij(magis tamen hic quam ille) non ſolum populum, ſed & Clerum grauare maximis impoſitionibus coacti fuere. Vnde videri poteſt, diuitias Principis, non æſtimari debere à magnitudine Redituum, ſed à bono regimine.Franciſcus enim primus minoribus reditibus geſſit maiora bella, reliquitque

fidem

fidem apud mercatores, & paratam pecuniam filio. E contrario Henricus longe minora bella geſſit, reliquitq; regno debita & calamitatem. Dictis reditibus aluere Reges prædeceſſores 1500. Lancearios, & 4500. ſagittarios, quamuis nomine fuerint 4. Lancearũ & ſex ſagittariorum millia, perpetua ſtipendia merentium. Hic equitatus neruus, inter Chriſtianos, pro vnico aut ſolo habēdus eſt. Vna lancea trahebat ſecum ſagittarium, & ex conſequenti, vna Turma lancearum, aliam Turmam ſagittariorum, quæ ſolo ſigno diſtincta erat. Eorum enim ſignum, vulgo *Guidon*, dicebatur, vnus enim Capitaneus, ambabus præerat. Conficiebant itaque centum lanceæ, 250. ſagittarios, præter ipſas lanceas. Impendebatur in hanc militiam vna Myrias & trecenta aureorum millia annuatim: Lancea enim accipiebat 250. aureos, Sagittarius octoginta, Signifer ter cētum, Legatus 480. Capitaneus 820. Hanc militiam ad perfectionem reduxit Carolus Septimus, qui determinauit numerũm, ſtabiliuit ſtipendium, diſciplina & exercitijs inſtruxit, diſpoſuitque eam in locis Limitaneis, ſub Capitaneis, Vicarijs, Signiferis, Vexillarijs. Diuiſit quoque eam militiam, in Cataphractos & ſagittarios: Adiunxit ei ſcutiferos, Deſignatores diuerſoriorum, Diribitores, Solutores, Commiſſarios, eiuſque militiæ curam commiſit Conneſtabili, Mareſcallis, & præcipuis regni dynaſtis. Non multum vtebantur peditatu domeſtico, præ metu tumultuum & rebellionum. Carolus Octauus, cognoſcens quam neceſſarius eſſet peditatus, inſtituit Phalangem quinquies mille peditum Francicorum. Eum numerum Franciſcus primus ad 50. millia auxit, ſed ea inſtitutio in fumum abijt, pro-

pter malum regimen. Ludouicus Vndecimus, vt pro libitu populum Franciæ tondere, imo excoriare poſſet, eum inermem reddidit, conduxitque ſtipendio Heluetios, quam rem imitati ſunt ipſius ſucceſſores Franciſcus & Henricus, vſique ſunt magno Germanorum numero. Sed fallit ſeipſum, qui ſuum populum imbellem fore ſperat, ſi milites extraneos in ſuam ditionem introducat. Vſu enim armorum, & periculorum belli, paratur audacia. Vſus & experientia autem, in ſuo regno militibus & populo communis erit, fientque illi pugnaces, ſi ſe milites eſſe profitentur: hos defendendi neceſſitas bellatores faciet. Sicut enim conuerſatio cum bonis facit bonos, ita & frequentatio militum facit homines pugnaces. Sunt præterea multa negocia, quæ extraneis committi non poſſunt, quia non habent locorum notitiam. Multa quoque eiſdem, ob negocij pondus, credi non debent. Quare neceſſe eſt, vt populi, in quorum patria diu manet bellum, partim per neceſſitatem, aut ſuam aut Principis; partim propter vſum & experientiam rerum belli, quæ ipſis quotidie accedunt, fiant bellatores, ſicut Franciæ accidit, quæ facta pace cum Hiſpanis (quamuis Heluetij & Germani abiuiſſent) remanſit plena militibus Francis, qui in ea omnia ſurſum deorſum miſerunt. Quod ad Munitiones attinet, non alia eſt regio, in qua earum maior numerus & apparatus bellici copia ſit, quod ex pluribus cauſis fit. Vna eſt, quod cum regnum in plura dominia & Principatus diuiſum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Andegauenſem Ducatum, Normanniam, vnuſquiſque ſuos fines muniuerit. Creuit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnę Frãciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum,

forti-

ſortificationi oportunorum, nec minus diligentia & aptitudo populi ad has res reddit faciliorem locorum munitionem. Non alia natio eſt magis ſolers in muniendo, & quæ labori & ſumptibus minus parcat: Nec Francia minus munita eſt intus, quam in extremis finibus: Bellouacum, Trecæ, Aurelia. Andegauum, Biturigium ciuitas, quæ vernacule Bourges dicitur, Limogia, San Florum, Carcaſſona, Sueſſionum, non cedunt fortitudine Caleto, Peronæ, Narbonæ, & alijs locis limitaneis. Aptáque eſt vnaquæque huius regni pars, vt reliquo regno pro limite ſit.

REX ANGLIAE.

INter Europę Inſulas, tam magnitudine, quam potentia, primum ſine dubio locum obtinet illa, quam antiqui Britanniam nuncuparunt. Eius ambitus Mille & ſexcentis Miliaribus patet, diuiſaque eſt in duo regna, quorum vnum Scotia, alterum Anglia dicitur. Cauſa diuiſionis, eſt fortitudo Scotię, quæ adeo aſpera, montoſa, impeditaq; multis lacubus, & ſyluis eſt, vt nec arma Romana eam vnquam plane domare potuerint. Imp. Seuerus amiſit in ea maximam ſui exercitus partem: Reges Angliæ (quamuis viribus multo ſuperiores, & multis prælijs victores) nunquam potuerunt eam ſui iuris facere. Lacus, ſyluæ & paludes, (quę in planicie ſtagna efficiunt) ſunt ei pro vallo aggereque, quibus natura eam muniuit. In verticibus montium, non deſunt planicies herbidæ, paſcuis pecudum commodæ, & denſæ ſyluæ, feris abundantes.

Hæc

Hæc regnum optime muniunt. Cum enim dicta loca ſcopuloſa montoſaque ſint, & nihilo minus pacuis & ſyluis copioſa, nunquam timuerunt aut impreſſionem, aut ſi obſiderentur, famem. Defendit enim eos contra vim hoſtium aſperitas montium, & ſyluarum amplitudo. In obſidionibus ſuſtentant ſe armentis, & venatione, quæ nunquã deficere poſſunt. His accedit frequentia populi, armorum vſu & animorum ferocia præſtantis. Poſſunt enim neceſſitate poſtulante, colligere 25. aut 30. hominum millia, vt hoſtibus reſiſtant. Confuſi fortitudini ſitus locorum, & armorum vſu, non dant operam muniẽdis ciuitatibus, aut portubus, qui ſatis frequentes ſunt in hoc Regno, cum mare ibi admodum ſinuoſum ſit, ita vt in tota Scotia, domus non exſtet à mari plus quam 20. miliaribus diſtans. Scotiæ Rex imperat quoque Hebridibus, quarum 42. & Orcadibus quarum 32. ſunt. Cum autem nec Scotia, nec dictæ Inſulæ, annonæ copia, qua eis ad victum opus eſt, ſuperabundent, nec populi multum artificijs addicti ſint, commeant eo pauci mercatores, eſtque populus pecuniarum indigus. Reditus Regij non ſunt centum aureorum millium. Anglia autem, de qua nunc incidit ſermo, diuiditur in tres magnas Prouincias, Angliã, Cornubiam, VValliam. Anglia extendit ſe ad mare Germanicum: Cornubia eſt in oppoſito Galliæ. VVallia contra Hiberniam. Habet hoc nobiliſſimũ Regnum duos Archiepiſcopatus, Cantuarienſem & Eboracenſem, 20. Epiſcopatus, & 136. oppida. Tempore Henrici Regis, & Eduardi eius filij, fuiſſe recenſentur 40. Parochiarum millia, quæ occupatis bonis Eccleſiaſticis, ad eius numeri circiter dimidium redactæ ſunt. Cornubia & VVallia ſunt

ſatis

ſuis aſperæ, victitatque populus, in partibus Mediterraneis lacticinijs & auena, maxime in VVallia, quamuis natura ibi locarit inſulam Monam, quæ vulgo Angleſeij dicitur, eſtque frugibus & pecudibus adeo fertilis, vt merito VValliæ mater dicatur. Cornubia quam alij Cornvvalliam dicũt, eſt abunde diues Fodinis præcellentis Stanni, & Plumbi quoque. Anglia amplitudine, diuitijs, & fertilitate, multum dictas duas Prouincias ſupeperat: & quamuis aliquantulum Septentrionalior ſit, nihilominus maris beneficio, aut occulta ſiderum virtute, Aer ibi benignus temperatuſque eſt, potius denſus & humidus, quam rigidus & frigidus, quod demonſtrant Lauri & Roſmarini, qui virent, florentque feliciter. Eſtque res certa, quod Flandria & Brabantia plus à frigore & glacie infeſtentur, quam Anglia, in qua, terra vt plurimum plana eſt, amœnis & fertilibus colliculis diſtincta, qui adeo placide & paulatim aſſurgunt, vt eos è longinquo intuentes, à planicie non diſtinguant. Præcipua huius Regni annona, ſunt frumenta, pecudes & piſces, quorum abundantia, bonitas, perfectioque tanta eſt, vt Franciæ non inuideat, imo nec alij regioni vicinæ. Inter alias res, caro maxime porcorum & boum, piſciumque Luciorum & Oſtrearum, eſt ibi magis ſapida, quam in aliqua alia Europæ parte. Anglia non producit mulos nec aſinos, ſed equos infinitos. Opes Angliæ cõſiſtunt in Venis nunquam deficientibus ſtanni & plumbi: ſunt in ea quoque Venæ Aeris & Ferri: habet quoque maximam abundantiam Lanæ tenuiſſimæ. Fere in toto Regno, præcipue autem in Cornvallia effoditur ſtannum tantæ excellentiæ, vt ipſi non multum ad qualitatem Argenti deeſſe videatur

Eius

Eius ſimiliter & Plumbi euehitur ex hoc Regno, magna & multis centenis aureorum millibus ęſtimanda copia. Lanæ habent hic ſuam bonitatem, propter colles, quibus regnum plenum eſt. In ijs aſſurgit herbula parua tenuiſque, quæ nec irrigatur fontibus aut riuulis, nec ſtercoratur, ſed ipſi hyeme Aeris vapor, æſtate Ros ſufficit, eſtque Ouibus adeo grata, vt ferant vellera ſingularis tenuitatis & mollitiei. Cum inſula non generet Lupos, nec aliud noxium animal, vagantur greges interdiu noctuque per colles, valles & agros, tam priuatos, quam publicos, ſine metu aut periculo. Ex Lanis texuntur Panni optimi, qui magno numero in Germaniam, Poloniam, Daniam, Sueciam & alias regiones euehuntur, vbi magno in precio ſunt. Aiunt in lanificio & Metallis euehi ex regno, pro duabus Myriadibus aureorum: Colliguntur in eo multa legumina, multum quoque Croci. Multum etiam cereuiſiæ ex hordeo coquitur, mittiturque copioſe in Belgium, ſicut & coria & lapides nigri faciendo igni accommodi. Situs inſulæ commoditas facit, vt à mercatoribus, Luſitanis, Hiſpanis, Francis, Flandris, Maris Balthici accolis apprime frequentetur. Negociatio, quam Angli cum Belgis faciunt, ad ſummam fere ineſtimabilē accedit. Scribit enim Ludouicus Guicciardinus, id commercium ante tumultum Belgicum, æſtimatū fuiſſe ad 12. Myriades aureorum quotannis. Coronę Anglicæ ſubiacent quoque aliquæ aliæ inſulę, præcipuæ autem ſunt Hibernia, Vectis, Monauia, Mona, Druydum olim ſedes, quam Angli Angleſeij dicunt, Sorlinge, Grenezaia & Gerzaia. Hibernia amplitudine non multum Angliæ cedit, longa eſt enim 300. milliaria, lata 90. montoſa, ſyluoſa, pa-

ſa,paludoſa, paſcuorum quam frugum feracior, diues lacte & melle. Emittit magnam quantitatem butyri, coriorum, & croci. Multa in ea flumina, piſcoſique lacus ſunt. Duos habet Archiepiſcopatus, Armacanum & Caſſelenſem. Locus Hiberniæ ceteris præclarior celebriorque eſt Dublinum, portum habens munitum. Inſulæ pars, quæ ad Ortum & Meridiem ſpectat, frequentius inhabitatur, Prouinciæ autem Vltonia, Conachia, & Mononia, plus ad Occaſum & Septentriones ſitæ, ſunt ſatis aſperæ & ſylueſtres: ibi ſe aliqui Domini, beneficio lacuum & ſyluarum, contra arma Anglica tuentur. Aliæ tres Inſulæ magnitudine fere pares ſunt. Mona habet optimum territorium, diciturq; mater Cambriæ, propter frugum pecudumque copiam, quam ei ſuppeditat. Menauia diſtat Anglia 25. milliaria: Epiſcopatu & duobus Portubus gaudet, ſed eius territorium parum fœlix eſt. Vectis fere tota montibus aſperis occupatur. Eſt in ea Abrach ciuitas optime munita: hæc inſula claudit Portum, imo potius Sinum Antonnæ, qui contra eam eſt, interque meliores illius freti cenſetur. Anglia fortitudine ſui ſitus, ſuperat omne aliud regnum: habet enim per excellentiam duas illas proprietates, quas Ariſtoteles in ſitu ciuitatis requirit. Vna eſt, quod Hoſtibus acceſſu difficilis: Altera, quod eius exitus facilis ſit, ad faciendas expeditiones. Eſt Anglia in Mari ſita cuius ea eſt natura, vt regnum fortificet. Mare Hibernicum enim, quod ei ad Occaſum eſt, adeo depreſſum, & ſcopulis periculiſque plenum eſt, vt magnis nauibus vix poſſit nauigari. Maris Britannici (quod Angliæ ad Meridiē eſt) Aeſtus ibi cū tanto impetu ſit, vt à 12. ad 15. paſſus altum turgeat (horrenda pro-

fecto

fecto hæc res eſt) & iterum tantum reſideat, poſſuntque naues difficulter appellere, niſi vento & alluuione adiutę, ſed altero multò magis. Ora Maris vndequaque aſpera eſt; præterquam aliquot locis, quæ optime munita ſunt; ſicut Baruicum; Douuera, Totnes, Dorceſtria, Dermont, Bleimutū, Falmut, Milfort, Brigſtolia. Vnde tota inſula pro vno Munimento & caſtro cenſeri poſſet. Fortitudini ſitus adiungūtur arma maritima & terreſtria. Quod ad Maritimas vires attinet, vltra Myoparones claſſis (quorum quondam centum eſſe ſolebant, non valde alti, ſed longi & denſi, nunc 70. aut paulo amplius ſunt) habet regnum tot Portus; ijque à mercatoribus adeò inuiſuntur, vt Angli dicant, numerum nauium quæ ibi negocientur accedere ad bis mille. Sed quidquid de eo ſit, certum eſt earum cum opus eſt, 1400. aut plures colligi poſſe. Eduardus tertius, tranſmiſit ad expeditionē Caletenſem; Henricus octauus ad obſidionem Bolonienſem cum mille nauigijs omnis generis. Itaque inſulam aggredi; cuius Portus, propter munitiones ibi factas; acceſſu, non tantùm introitu difficiles & periculoſi ſunt; & quæ in ſua poteſtate tot naues habet, arduum erit, factuque haud facile. His difficultatibus accedit; quod Anglię populus in rebus maritimis mire dexter eſt. Non enim alia gens audacior; nec Mari promptior eſt. Ipſi nauibus leuiſſimis apprimeque optimis tormentis bellicis inſtructis (quibus regnum maxime abundat) intrepide tam hyeme, quàm æſtate Oceanū ſulcant: Negociantur in Moſcouia, Cathaio, Alexādria Aegypti, Conſtantinopoli, in Liuonia, Barbaria, Guinea: Anno 1585. claſſe 25. nauium (in qua erant 2500. milites) vela fecerunt in Indiam occi-

denta-

dentalem,ceperuntque San Iacobi oppidum,Fanū Dominici oppidum in Hiſpaniola, Cartagenam in Continente,quæ portum habet commodiſſimum ad mercaturam inter Hiſpaniam & Peruuiā exercendam,Ciuitatem S. Auguſtini,ligneis ædibus cōſtructam,quæ ab Anglis iniecto igne exuſta fuit. Infeſtant continuo Terceram & Capitis viridis inſulas,& Braſiliam.Duo ipſorum Capitanei, non minori audacia quàm fortuna,circumnauigarunt totum Orbem. Et præterea in Anglia militia terreſtris magni momenti eſt, propter eius multitudinem.Cum enim regnum in 51.Comitatus partitum ſit, in eorum vno, qui vulgo Lorcaſſier dicitur, exercitus 70.peditum millium conſcribi poſſe putatur:Sed vtcumque res ſe habet, in confeſſo eſt, quod Anglia in campos educere poſſit centum peditum,& 20.equitum millia. Vnicuique Comitatui præeſt Vicecomes.Is cum opus eſt,delectum militum facit.In faciendo delectū, modo qui ſequitur vtuntur. Cogunt omnes habitatores Comitatus, qui annum ſextum ſupra decimum attigerunt, nec ſexageſimum exceſſerunt,ſe ſiſtere, ex quibus eos deligunt,quos armis magis putant idoneos. In peditum numerum adſcribuntur maiores membroſioreſque, diuiditurque peditatus in quatuor genera. Aliqui vtuntur Arcū & ſagittis, quæ arma Anglis propria ſunt.Olim enim ijs ſibi acquiſiuerunt maximam Franciȩ partem, retuleruntque victorias glorioſas: fecerunt captiuum Regem Franciæ Ioannem: occuparunt Lutetiam Pariſiorum, quam 16. annis tenuerunt. Romanis non tam fuerunt tremendæ ſagittæ Parthorum,quàm Anglorū Francis. Alij vtuntur pro armis, haſtis ſparo ſimili bus,ſed ferro magis ſolido & grauiori,quibus per

cutiunt & ex equis detrahunt homines: hoc armorum genus ſatis diuturnum fuit militæ Anglicanæ,eoque multas & magnas res geſſerunt. Duo alia addidit experentia vſuſq; temporum præſentium: Vnius generis ſunt Sclopeta, quibus ipſos huc vſque aliquod experimentum alicuius magni exempli dediſſe neſcio. Alterius ſunt Sariſſæ, quæ ipſorum compoſitioni quam optime conueniunt, ſunt enim vt plurimum ſtatura ſatis alti, neruoſi, pleni & firmi.Pro militia equeſtri ſeligunt homines ſtaturæ mediocris,ſed bene compactos, dexteros agileſque. Eorum equi magnarum virium non ſunt,nec incurſione impulſuq; boni, Flandricíſque autGermanicis minime coferendi.Prætcrquam enim,quod pinguedo & amœnitas terræ id non fert(boni enim equi nec terram valde craſſam,nec prorſus ſiccam requirunt) nec ipſi equeſtri arti multum dediti ſunt.Angliæ equitatus duorum generum eſt.Aliqui equites ſe grauibus armis induunt.Hi maxima ex parte nobiles ſunt. Alij leuioribus armis vtuntur,horum duo ſunt genera.Vnum ſe Albanenſium more armat. Aliud equitibus leuis armaturæ Italicis ſimilius eſt. Induuntur thoracibus,ſquamis, & tela cannabina farcitis,aut laminis & ſemigalea vtuntur,geſtantque lanceas graciles & longas. Quamuis autem Angli ad duo equitum cataphractorum millia, & magnum leuioris armaturæ equitum numerum in campos educere poſſint, haud tamen equitatus Anglicus ſe aliquo præclaro facinore nobilem fecit, ſicut de peditatu dici poteſt. Rex Eduardus quartus,qui tot expeditiones in Franciam ſuſcepit, totque victorias aſſecutus eſt, vt monſtraret,quo militiæ generi maximè fideret, relicto e-

quo

quo ſe in pedes inter peditatum conijciebat. E contrario Franci quod nolint plebem armis aſſueſcere ne opificia manuaria, & negociationem ſpernant relinquantque,ac inter arma inſoleſcant (ad quæ Franci proni ſunt)ponunt militiæ vim in equitatu,qui ex nobilibus fere cõſtat. Cum autem equitatus multus eſte non poſſit (quod Francia equorum egregiam progeniem non habeat, eoſque ſemper aliunde quærere, res magnæ impenſæ ſit) ideoque generoſos equos ſibi parare non queant, & quod peditatus multo maiori vſui, quam equitatus in bello exiſtat, plerumque Franci ab Anglis ſuperati fuere. Sed vt doceamus quantas Rex Angliæ copias educere poſſit, ponemus hic exemplum.Rex Henricus Octauus,in expeditione Bolonienſi,tranſmiſit mare cum exercitu trifariã partitó.In prima Acie erant 12. peditum millia, quingenti equites leuiter armati, & mille, equis minoribus merentes,lorica & lanceis tantum inſtructi.Rex omnes veſtiuerat panno cyaneo cum limbis rubris.Poſtremum Acies (ea enim Acies, poſt primam Mare traiecit)ducebatNorfolcius,eratque ea Acies primæ, peditum equitumque numero par,veſtibuſqe induta,ſicut primę Aciei milites.Inter eos erant mille Hiberni, induti camiſijs longis ſtrictiſque,ſuper quas erat pallium, cætera nudi,capite quoque aperto,capillis longis. Arma eorum erant tria iacula, enſis longus, & chirotheca ferrea, in ſiniſtro brachio, ad cubitum pertingens: In pugnis cingebant veſtes altè, expeditiſſimi erantque in curſu. Media Acies, in qua Rex erat ex 20. peditum, & 2. equitum millibus conſtabat, eorum veſtes erant coloris rubri, limbis coloris crocei diſtinctæ.

Trahebant poſt ſe centum tormenta bellica maiora, præter minora. Super currus conuehebant centum molas, quarum vnaquæque ab vno equo rotabatur, faciebatque farinam. Clibanos quoque in curribus habebant, qui progrediendo panem coquebant: Curuum multitudo tanta erat, vt caſtra ijs cingerentur tanquam vallo. Ad trahendum currus & tormenta, vehendumque impedimenta, tranſmiſerunt in Continentem plus quam 25. equorum millia: Pręter omne genus cōmeatuum, aderant 15. boum millia, & pecorum ad edulia facientium, numerus infinitus. Quanta fuerit copia ſcalarum, pontium, glandium, pulueris pyrij, munitionem, lignorum, aliarumque rerum, ad expeditiones militares pertinentium, non poſſem enumerare.

OPES.

DEMONSTRATIS viribus Angliæ, videndum quibus neruis redituum & pecuniarum eæ tractentur: Præmittendum eſt, Regimen regium Angliæ (in qua authoritas Parlamētorum multum potuit) nunc ad regimen Deſpoticum reductum eſſe. Maxima enim negociorū pars, quæ antea ad Parlamenta ſpectabant, (in quibus vnuſquiſque, quod ſibi videbatur eloqui, ſuaſque rationes adducere poterat) deciduntur nunc in Regis conſeſſu priuato. Parlamenta autem quæ ad moderandos & tanquam freno Regum appetitus coercendos, inſtituta ſunt, conuocantur nunc, vt authoritatem concilient, coloremque inducant Regum voluntati. In Francia peius ceſſit res. Cum enim in Anglia tantum forma & vſus Parlamen-

torum

ſorum remanſerit, in Francia Rex Ludouicus XI. pro crimine læſæ maieſtatis habuit, mentionem facere conuocationis Statuum (ita vocant Deitas regni Francici, quæ in Anglia Parlamenta dicuntur) inquiens: Ego ex pupillis exceſſi. Reditus ordinarij regni Anglicani, antequam Henricus Octauus bona eccleſiaſtica occupaſſet, accedebant ad quingenta aureorum millia. Percipiuntur hi reditus ex tutela pupillorum ad 21. annum ætatis eorum vſque: ij enim omnes quorum bonorum aliqua pars, quantumuis exigua, coronæ regni aliquo modo ſubiecta eſt, ſunt durante pupillari ætate ſub tutela Regis, qui eis tenue ſuſtentaculum impertitur, ſeruatque ſibi reſiduos Reditus, donec pupilli 21. ætatis annum attigerint, quem ingreſſi, Regi certi aliquid perſoluunt. Obligantur prætere a ad Tributum, quod Regi pro nuptijs pendunt, qui ſe patronum matrimoniorum dicit. Percipit præterea Rex plus quam 80. aureorum millia, ex Ducatibus Lancaſtriæ & Cornubiæ, qui coronæ coniuncti ſunt. Præter hæc alia centum Aureorum millia ex vectigalibus recipit. Mirari nemo debet, quod ea ſumma adeo exigua ſit. Ratio eſt, quod paucæ ciuitates vectigalia pendunt, & ciuitas Londinenſis (quæ veluti centrum commerciorum regni eſt) ab oneribus libera facta fuit, Anno 1089. ob pecuniarum auxilium, Regi Ricardo Primo, cum in expeditionem terræ Sanctæ proficiſceretur ſubminiſtratum. Dictis Reditibus alios adiunxit Rex Henricus Octauus: concidit enim Reditus Epiſcopatuum: Adſcripſit Fiſco Abbatias, & Commendas Equitum Rhodiorum, alioque ordinum militariũ: ſuppreſſit Curas (vt vocant) opulentiores, vendicauitque ſibi Annatas & decimas omnium benefi-

ciorum.Pro his rebus ordinauit Curiam augmentationum & decimarum, qui Reditus omnes importaut plus quam octingenta aureorum millia. Reditus itaque ordinarij accedunt ad ſummam vnius Myriadis,& trecenta & amplius aureorum millia.Sunt præterea ſubſidia extraordinaria, quæ duorum generum ſunt.Aliquando enim toti regno imperantur.Tunc conuocantur Parlamenta, in ijs quid opus ſit determinatur, & modus ordoque qui ſequendus eſt. Ordinarie duorum menſium ſpacio,aut paulo amplius,colligitur quod determinatum eſt.Aliquando petit Rex à particularibus ſubſidium, quod ipſi beneuolentiam vocant, ea in re conatur vnuſquiſque ſuum obſequium Principi probare.Noſtris temporibus inuenta eſt alia via conflandi pecunias:Nempe ex quinta parte, aut ſimili quæ coronæ penditur ab ijs, qui licentiam habent prædas faciendi,in oris Maritimis Hiſpaniæ & Noui Orbis. Soliti ſunt idem facere, facitque id adhuc Prorex Algieræ, qui piratas recipit, cum pacto,vt partem mancipiorum,prædatum ſpoliorumq; ei dent.Sed raro accidit, vt male parta,non male dilabantur. Eos quoq; qui prędatum excurrunt,ſæpe manet damnum; vendunt enim patrimonia,vt arment naues,ſed lucrum incertnm eſt.Hiſpani enim, qui initio ex improuiſo obruti fuerunt,fortificant quotidie Aditus, ſecuraſque reddunt ſuas claſſes.Hæc de viribus & Reditibus Angliæ dicta ſufficiant. Addam hoc tantum,quod in Anglia Nobiles loca munita non poſſident,nec ædificia foſſis aut vallo clauſa, nec aliquam iuriſdictionem in populum habent. Dignitates Ducum,Marchionum, aliæque, nihil aliud quam puri tituli ſunt, quos Rex eis confert, nec

tamen

tamen ij,qui titulis gaudent,aliquid in locis vnde titulum ſumunt,poſſident, ſed ſe aliqua penſione ex Regio ærario ſuſtentant.E contrario gaudent Nobiles in Francia mero & mixto imperio, cum titulis Dominorum, Baronum, Comitum, Marchioqum,Ducum,Priucipum:poſſident magnas & bonas ciuitates,non tantum pagos; clientes quoq; habent,qui ipſis homagium & fidem præſtant, ſed Regem & Parlamenta ſuperiorem agnoſcunt.

REX DANIAE.

QVAMVIS *nulla Sueciæ mentio facienda videatur,quod quaſi extra noſtrum Orbem ſit:tamen propter eius amplitudinem,inter alia regna,de quibus in his Relationibus agitur, poni meretur.Continetur illa Europę parte,quam aliqui Scandiam,alij Scandinauiam, alij Balthiam dixerunt. vnde olim Gothi Vandalique Imperij Romani conculcatores egreſſi Scania vero duabus coronis ſubdita eſt,Daniæ nempe & Sueciæ. Daniæ Rex, præter Cimbricam Cherſoneſum (vbi Holſatia,Theutomarſia (vulgo Dithmarſen) Ducatus Sleſuicenſis & Flesburgenſis,Friela, & Iutia regiones herboſæ,ideoque pecoribus & feris abundantes ſunt)poſſidet præterea alias amplas inſulas,ſed pręcipuę ſunt eæ quæ ad oſtium Maris Balthici iacent,quarum ibi quindecim numerantur,comprehenduntur que ſub Daniæ nomine. Earum pręcipua eſt Selandia, quæ in longitudinem ad 60.miliaria extenditur, latitudo eſt paulo minor: præſtat nobilitate, propter pagorum frequentiam aeris clementiam, & Regis in ea habitationem.Is quoque Dominus eſt Gothlandiæ,

quæ è regione Gothiæ ſita eſt. obtinet dominium Oſiliæ inſulæ mediocris, in magno Sinu Liuoniæ, Idem Rex tenetque fertiles regiones in ipſo continenti Liuoniæ. Regi Daniæ paret Scania, quæ è regione Cimbricæ Cherſoneſi eſt, extēditurq; ab oppido Nihuſs Timalē vſq;. Eiuſdem eſt magnum regnum Norvvegiæ, quod ſe à confinijs Scaniæ, Septentriones verſus ad Arcem VVardhuſs extēdit. Cui adiacent Lappones, amplius quam per mille & 300. miliaria. Regis Daniæ ſunt quoque inſulæ adiacentes (inter quas cum amplitudine tum vbertate primas tenet Sania) Schetlandicæ & Fariarum inſulæ, quæ in alto mari ſunt. Norvvegiæ populi fuere olim valde potentes, afflixerunt diu Angliā, diuexarunt Franciam, obtinueruntque in ea dominium prouinciæ, quæ adhuc Normannia dicitur: in Italia parauerunt ſibi regna Siciliæ & Apuliæ: bello ſacro autem obtinuit Boemundus Normannorum Princeps, Antiochiæ Principatum. In Oceano Septentrionali obtinet Rex Daniæ dominium iam dictarum Schetlandicarum & Fariarum, præterea Frislandiæ, & oræ maritimæ Islandiæ & Grunolandiæ. Orcades inſulæ quamuis Regi Scotiæ obediant, Reges tamen Norvvegiæ pro dominis agnouerunt. Regnum Norvvegiæ cum electioni obnoxium factum eſſet, diſcordijs alijſque turbis exagitatum, peruenit ad Regem Daniæ, qui vt de eo ſecurus ſit, tractat dure incolas, ſpoliatq; eos facultatibus, nec miſeris hominibus ſpes eſt melioris fortunæ, quod Regi omnes aditus & portus Maris ſint. Diuitiæ Regis Daniæ conſiſtunt in copia pecudum & piſcium maris, quorum tanta copia eſt, vt ex halecum captura tantum, ingens pecuniæ vis conficiatur. Tanta piſcium omnis generis

eris copia hic eſt, vt vix Fretum nauigari poſſit: circa id paſcua aliaque loca pecori grata ſunt. Scania frumẽto & paſcuis diues eſt & incolis frequẽs Norvvegia nullas alicuius momenti diuitias habet, præter lignorum, fabricandis domibus & nauigijs aptorum (quæ in Hollandiam & Flandriam euehuntur) pecudum, caſei & lactis, magnam copiam. Percipit quoq; emolumentum, ex piſce frigore indurato, quem Germani Stockfiſch vocant: capitur menſe Ianuario exponiturque vento, donec tanquam lignum induretur. Deinde in diuerſas regiones pro annona defertur. Id, ex quo Rex Daniæ plus pecuniarum percipit, eſt fretum ſiue Porthmus, inter Croneburgum & Eltzenburgum vulgo die Sundt. eſt is tranſitus tam anguſtus, vt nullum nauigium, niſi cum excubitorum quos Rex ibi habet venia prętérnauigare poſſit: Neceſſe enim eſt, vt naues ibi magnum vectigal & portoriũ pendant: Ad magnam pecuniæ ſummam id vectigal accedere, colligi poteſt, ex multitudine nauiũ, Hollandiæ, Zelandiæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Novvegiæ, & Maris balthici, quæ id Mare ſulcant, & auguſtas Porthmi fauces intrare coguntur. Populi huius regni, vini Rhenenſis, Francici. Hiſpanici, ſacchari & ſpecierum aromaticarum (quæ ex Portugallia deferũtur) & fructuũ Andaluſiæ tam ſunt indigni, quam illi cupidi ceræ, mellis, pelliũ frumentique, quę ex Pruſſia, Liuonia, Moſcouia regionibuſque vicinis petuntur. Quid Princeps terreſtribus copijs poſſit, nondum videri potuit, quod alicuius momenti expeditionem non ſuſceperit, niſi aduerſus Theutomarſos, quos Rex Valdemarus ſibi obedire coegit, ſed rebelles facti, poſt varias res (quæ ab Anno 1500. acciderunt) an-

no 58.ſubiugati ſunt à Rege Daniæ Friderico II. Ante id tempus, Ioannem, Regis Chriſtiani primi filium prælio ſuperauerant. Quid Rex Daniæ mari poſſit, æſtimari poteſt ex claſſibus, quas aliquot vicibus coegit. Chriſtiernus II. rogatu Regis Franciæ Henrici II. miſit in Scotiam cõtra Anglos, claſſem 100. nauiũ, in quibus decẽ millia militum erant. Cũ tantũ oræ maritimæ, totq; portus in Dania, Scania, Norvvegia, totque inſulas extra Mare Balthicum poſſideat, veriſimile eſt, ipſum magnũ nauium numerum colligere poſſe, ſi tamen pecuniæ non deſint, quibus ipſum non abundare exiſtimo, cum quod ſuis in regnis, nullæ magni precij res naſcantur (exceptis maris piſcibus) tum quod in ijs nulla ciuitas mercimonio celebris ſit, quæ commercia ad ſe trahere conſeruareq; poſſit: nihil ergo ſupereſt quam vectigal Freti: fructus aliquarum Minerarum in Scania, Equi, pecudes Cimbricæ Cherſoneſi, ligna, piſceſque Norvvegiæ & inſularum. Obſeruatum eſt, ex illis regionibus in Germaniam quinquaginta boum millia acta fuiſſe, qui vectigal Gottorpij pendunt. Aliquid etiam emolumenti percipit, Daniæ Rex ex VVardhuſia; nam Angli paucis ab hinc annis, inceperunt nauigare inter Norvvegiam & Grunolandiam, alij ad Colmigraff, alij Chilcheme, quod San. Nicolao vicinum eſt: cum Ruſſis ibi commercia exercent, reportantq; inde Seuum, Ceram, Mel, Linum: eo quoque nauigant Bergenſes, Scoti, Franci. In Maris Sinus fere medio, eſt inſula & oppidum VVardhus, quod Rex Daniæ Fridericus II. egregie muniri curauit, mercatores hic pendunt vectigal ſuarum mercium.

REX SVECIAE.

REx Sueciæ dominatur in Scandia, quæ Dania amplior eſt:nam à finibus Scandiæ ad Lappiam vſque, computatur iter 45. dierũ: Ora autem Sinus Boddici plus minus 400.milliaria longa eſt,æſtimaturque hæc terrarum pars, Italia & Francia maior.Poſſidet hic Rex,in Liuonia Reualiam,Naruam,Parnouiam, aliaque magnæ æſtimationis loca: inſulam Vlandiam,& Alandes quæ vix ſunt dignæ relatu,aliaſque multas, ſed paruæ conſiderationis,in Mari Sueciæ & Finlandiæ, ſitas. Diuiduntur hæ regiones, relinquendo Liuoniam, in tria regna Gothiæ,Sueciæ,Vandaliæ quæ in vndecim Prouincias,& duodecim Comitatus partitæ ſunt,inter quos non comprehenduntur Lappi, quod hi populi(qui Prouinciam Suecia maiorem, ſed pauperem miſeramque inhabitant,& per ſyluas valleſque vagantur)ſub alicuius certo dominio eſſe,dici non poſſunt:qui autem aliquo modo fixi ſunt,fixaſque ſedes,aut domus habent, vt plurimum coronæ Sueciæ,obediunt, penduntque pelles nobiles pro tributo.Trium regnorum, quæ diximus,Gothia contermina eſt Scaniæ, diuiditurq; in Orientalem & Occidentalem, terminanturque ambæ VVener lacu,in cuius medio eſt inſula,in quam,propter eius amœnitatem,ſe confert.& manet ſepe Rex:lacum 24.fluuij influunt,ei vnus tantum exitus eſt,eum̃ incolæ,eorum lingua, propter exceſſiuum ſtrepitum,vocant ceſpitionem diaboli.Gothiæ nomen,regionem diuinam ſignificat, id ei, propter annonæ copiam, optime quadrat,

nulla enim alia regio,carne, piſcibus, frumento abundantior eſt.Hic ſunt Kalmar ad mare, Viburg, Suderkope,Norkope,Tilge,Ianocopia,Vaſten,Birka, Linkope,Lodhus,Schennada, Malmoge, Verdenburg,Varne,Scara,Ledèkopia,Timalen.Sequitur Suecia,quæ Noruegia & Gothia ſimul, maior eſt.In Suecia eſt ciuitas Vpſalia Metropolis,& Stocholmia,in qua reſidet Rex,Stringa,Ennecopia,Orogrundia,Arboja,Aroſia.Sequitur Finlandia, ſita inter Sinum Boddicum,& Finnicum, vbi Abo Metropolis eſt,Rangina,& Ange ambæ mercimonijs celebres,Vames,Viburg &Caſtelhoim in Alandis inſulis. Extra ciuitates habitant ruſtici, (qui hic commode viuunt)inter ſyluas,in vallibus alijſque in locis,vbi à vento Septentrioli tuti ſunt,& ędificandi commoditas lignorumque copia inuitat;habent ſuis in domibus greges pecudum inſtrumentaque conficiendo quidquid ad victum amictumq; neceſſarium eſt,apta:inde accidit vt ciuitates ijs in regionibus nec frequentes nec magnæ ſint, ſicut in Germania & in Anglia.Numerantur vltra ciuitates & oppida,paræciæ 1433. in quarum aliquibus ſunt mille ruſtici,vel,vt ipſi loquuntur, mille familiæ aut foci,paucæq; earum parochiarum ſunt, in quibus non ad minimum centum familiæ ſint: hinc de populi numero iudicium fieri poteſt, maxime ſi fœcunditas populi conſideretur: Mulieres enim Finlandiæ propter qualitatem ceruiſiæ(vt aliqui putant)eximie fœcundæ æſtimantur.Diu hic viuunt homines,maxime in locis Septentrionibus expoſitis,nec mirum ipſis videtur,quod aliqui cẽteſimum ſupra quadrageſimum aut trigeſimum attingant?Ea longæuitas multum facit ad propagationẽ,vbi enim minus diu viuitur, ibi & generãdi

vir-

virtus citius deficit:Hanc ob cauſam, Deus Dominus noſter, vt in mundi initio, propágationem humani generis faciliorem redderet, dabat hominibus ſeptingentos & amplius vitę annos: itaque generatio quæ nunc propter vitæ noſtræ breuitatem, intra quadraginta annorum ſpacium ceſſat, extendebatur tunc ad plura centenaria annorum quam nunc ed decennaria.

DIVITIAE.

HVIVS regni opes conſiſtunt in copia annonæ, qua ſummè abundat, id & Gothiæ nomen quod régionem diuinam (vt diximus) & Finlandiæ, quod regionem bonam ſignificat, ſicut, & nomen Finmarchiæ, indicat: Victus eorum, ſunt carnes, piſces recentes, ſale conditi & fumo ſiccati frumenta, ceruiſia: ea hic tanta copia ſunt, vt vix mendicus inter ipſos reperiatur, & hoſpites fere gratis hoſpitio excipiantur. Ex Minæris Suecię eruuntur theſauri: Minærarum enim plumbi, æris, argenti, & aliquantulum auri adeo diues eſt, vt nulla Europæ régio illam ſuperare æſtimetur. Mineræ vndiquaque inueniuntur, quamuis ruſtici, quantum in ipſis eſt, eas occultent tegantque, quod teneantur ligna ad eas vehere, operaſque præſtare. Argentum puriſſimum effoditur in Comitatu Veſtros & niſi incolæ induſtriæ exterorú adeo inuiderent, ipſi maiores diuitias conſequi poſſent: non enim parcere ligno, nec fumos Minęrarum, ad colores parandos colligere norunt: nec ipſis gratum eſt, quod Venæ Minęrarum deteguntur. Quod exteros auerſantur, nó ex odio, quo eos

pro-

proſequantur oritur, ſed à ſuſpicione, ne ab ijs ludificentur, aut male habeantur: ſunt enim ipſi moribus ſimplices ſincerique: ambitione nō flagrant, nec ſtimulantur ab auaritia. Regis reditus conſiſtunt in quatuor rebus, in fructibus beneficiorum eccleſiaſticorum, in Minęris, in Tributis, in vectigalibus. Fructus beneficiorum accedunt ad bonam pecunię ſummam. In his regnis erant vltra 7. Eccleſias cathedrales, 60. monaſteria, partim virorũ, partim mulierũ, quę ampliſſimis reditib. dotata erāt, ſed miniſtri hęreſeos, qui loco paupertatis in Euangelio prędicatæ, ad ſuam ſectam protrahunt Principes, eis monſtrando bona reditusque Eccleſiaſticos, induxerunt primo Guſtauum, deinde eius filiũ Ericum, vt Altaria ornata, Eccleſias, maxima redituum parte ſpoliarent. Minęrarum aliquæ effodiuntur expenſis Regis, aliquę priuatarum perſonarum, illarum quidquid effoditur, habet: harum conſequitur partem decimam. Trium ęris fodinarum decima pars, quæ Regis eſt, accedit ad ſummũ triginta millium Dalerorum quotannis, inde iudicium de argento & plumbo fieri poteſt. Sed plus quam omnia alia reddunt Tributa, percipit enim decimas ſiliginis, frumenti, hordei, piſcium, boum, pellium, rerumque ſimilium: aliquando ex decima boum, eorũ 18. millia habuit, ijs alit Aulam, Officiarios, claſſem exercitumque, ſuppeditat enim victum militibus, cum bellum eſt, geritque id minima impenſa, tam offendendo, quam defendendo, cum Dano & Moſco: conſequitur enim à populo ſine magna difficultate, magnas contributiones commeatus: Populus filias Regis maritis collocat, datque in dotem centum Dalerorum millia, vltra vaſa argentea, aliaque;

A ruſticis alijſque, qui Tributum annonarium non pendunt, ſolet Rex, ſecundum facultates bonorũ, quotannis quinque aut plures Daleros viritim exigere. Portoria penduntur in Portubus, eorum præcipui ſunt Calmariæ, Lodhuſij, Stocholmiæ (vbi aliquando 300. & plures naues onerariæ viſuntur) Ranginæ, Abo, Auge, Reualię, Parnouię, Naruę. Aeſtimatur Regem quotannis ad ſexcenta aut ſeptingenta Dalerorum Millia, in theſauros recondere, vltra expenſas quas facit in Arces Reualiæ & Viburgi, quæ accedunt ad Centum Dalerorum millia quotannis.

VIRES.

NVMERANTVR in Suecia & Gothia circiter 32. Turmę, quarum vna quęque eſt quingentorum aut ſexcentorum militum, Sclopetos humeris geſtantium; ij quo occaſio vocat, eunt: raro haſtis aut lanceis vtuntur, propter ſyluarum frequẽtiam, Equitatus etiam Sclopetis meret. Peditatus optimus cenſetur, quod vnuſquiſque miles, ea quibus opus habet conficit ad capſulam Sclopeti vſq;, quod indicat ipſos facile cõtentari poſſe. Vulgus in Peruuia & regionibus vicinis, quod paruo contenti ſunt, faciebat, facitque adhuc, quidquid domui, ſuiſque perſonis opus eſt: vnuſquiſque fabricare, texere, veſtes conſuere ſeminare, meſſem colligere, omniaque neceſſaria inſtrumenta conficere nouit. Ad res quæ non adeo communes, nec neceſſarię ſunt, ſicut ad pingendum, aurum argentumque elaborandum & ſimilia reperiuntur inter indigenas proprij ar-

prij artifices, nulla re præterquam materia opus habent. Equitatus Suecicus in 13. Turmas diuiditur: Suecia & Gothia earum vndecim, Finlandia duas ſuppeditat, neceſſitate autem vrgēte, poſſent multo plures colligi: ſolus enim Ducatus Vermelandiæ, poteſt (ſicut aliqui dicunt) plus quam decem virorum millibus equos adminiſtrare. In Marchia eſt tāta equorum copia, vt fere nihilo venundentur: Ambæ hæ Prouinciæ, ſunt in Gothia. Ipſarum equi cedunt Friſijs magnitudine, ſed maxime ſtrenui, fortes, robuſtique ſunt, labori aſſueti, facileq; paſcuntur. Nolo ſilentio pręterire, duas res præclaras, quas Rex Sueciæ in militum commodum facit: vna eſt, quod ſi miles ab hoſte capiatur, redimit eum Rex. Altera quod ſi militis equus occidatur, Rex ei alium confert. Rex dat quotannis, Capitaneis, & ijs, qui equis merent, in ſolutionem partis ſtipendij veſtem, olim apud Romanos id in vſu erat, qui militibus ſagas dabant. Quod ad res maritimas attinet, regna hęc, propter orę maritimæ longitudinem, & Portus, abundant nautis nauigijſq;, quibus Rex vti poteſt, ſicut alij Principes in ſuis Dominijs: Habet ordinarie 50. naues bellicas, quarum vnaquæq; 40. tormentis, pluribus aut paucioribus inſtructa eſt: Rex Guſtauus inſtituit etiam Triremium vſum. In bello quod Rex Ioannes cum Rege Daniæ geſſit, antequam pax (quæ Stetini tractabatur) confecta eſſet, habuit 70. nauigia magna, vltra alia minora, in quibus erant duo de viginti hominum millia. Aeſtate Mari, hyeme terra belligerabant: tunc glacie concreti ſunt lacus: Mare quoque per magnam longitudinem, ſecundum littus congelatur. Cum autem de tormentis aliquid dixerim, hoc adiungam: Aeſtimatur

Regem

Regem Sueciæ habere, circiter octo Tormentorũ bellicorum millia, quorum maxima pars ex ære conflata eſt, ipſumque multo plura conficere poſſe, ſi maior ſtanni copia ſuppeteret. In ſola Arce Stocholmenſi numerantur 400. Tormenta bellica.

PRINCIPES Finitimi.

AD Occaſum conterminus eſt Rex Sueciæ, Dano, Moſco ad Ortum, cum quibus ei longa bella fuere. A Danis multum damni paſſi ſunt Sueti; obſedit enim Rex Chriſtiernus ſecundus Stocholmiam, coegitque eam ad deditionem: exercuit in incolas inauditam crudelitatem, impleuitque ciuitatem ſanguine & cadaueribus. Odiorum cauſæ ſunt ius quod Danus in Sueciam ſibi competere putat: Oportunitatem eam, ad libitum diuexandi, ei tribuunt ſitus regionis, portuſque, præcipue Gothlandia quæ Gothiæ membrum eſt: ideoque contenduntSueci eam ſui iuris eſſe, actionemque in eam habent. Poſtquam Guſtanus regnũ recuperauit, ipſe eiuſque filij Ericus & Ioannes ſucceſſiue id rexerunt. Quamuis autem ſatis multum ſanguinis, bellis inter Guſtauum & Danum effuſum ſit, regno Sueciæ tamen ſuus honos manſit, ciuitaſq; Lubecenſis (eo in mari potentiſſima) dum ſe modo huic, modo illi iungit, ita temperat ęquatque ſuo pondere, illorum duorum Regum vires, vt alterum illorum excreſcere non ſinat, ob periculum quod eo caſu ſibi impendere videt. Suecus cum Moſco belligerando primas habet, quod Finlandia (quæ Ruſſiæ contermina eſt) ob lacuum &

paludum frequentiam,aditus difficiles, periculo-
que plenos habet,acciditq; plus quam ſemel,vt ho
ſtium exercitus,in illis glacie cōcretis aquis, ſub-
merſi ſint perierintq;.Suecus habet maximam ſua
rum claſſium partemHyeme eo in mari,in quo(ſi-
cut ante dictum eſt)tunc bellum geritur,ſicut Ma-
ri æſtiuo tempore.Habet Arcem Viburgum,quam
optime inſtructam,& in finibus MagniDucis Moſ-
corum Naruam,Reualiam aliaq; loca & arces,qui
bus tanquam frenis ipſum conſtringit. Vt dicam
quod verum eſt: Illæ munitiones vtiliſſimæ habē-
dæ ſunt,quę in hoſtium ſolo iacent, faciunt enim
duos effectus,defendunt quod tuum eſt,& infeſtāt
hoſtium ditiones: tuum tanto melius defendunt,
quanto ab eo longius diſtant: dum enim hoſtis ſe
circum ea torquet,ſunt tua tranquilla,poteſtq; ex-
tra ſtrepitum, damnumque tuorum populorum
redituumq;,ea procurare,quæ ad liberanda con-
ſeruandaque pertinent?Hoſtem tanto maiori cum
damno vexant,quanto ei viciniores ſunt:huius ge
neris erat Caletum, dum in poteſtate Anglorum
eſſet.Talia quoque ſunt loca, quę Luſitani & Ca-
ſtellani habent in Africa,ſed caſtra in tua ditione
exſtructa,non alio ſeruiunt,quam quod tua defen-
dunt, ſed cum magno tuo incommodo;quotieſcū-
que enim inuaduntur, neceſſe eſt tuos populos
damna grauiſſima pati, tuum regnū exagitari tur-
bis,ſtrepituq; inuolui eiuſq; partem hoſti prædæ-
cedere.Sed vt ad Regem Suecię reuertar, tantum
is in defendendis ſuis ditionibus Moſco potior
eſt,quantum vires maritimæ terreſtribus coniun-
ctę, pręualent aduerſus Principem terreſtribus
tantum viribus inſtructum.

REX

REX POLONIAE.

POLONIAE regnum nunquam tam amplum fuit quam nunc eſt, quod Magnus Ducatus Lithuaniæ & Liuonia ei adiuncta ſint: Extendit ſe à flumine Notes & Obra, (quæ id à Marchia diuidunt, & à fluuio Odera, qui ipſum à Sileſia diſtinguit) ad Bereſaiam & Boriſthenem vſque, qui ipſum à Moſcouia ſeparant: A Mari Balthico, ad flumen Nieſter, quod id à Moldauia dinſtinguit: & ad Montes Carpathios, qui ipſum ab Hungaria ſeparant vſque. Occupat itaque à finibus Sileſiæ, ad terminos Moſcouiæ vſque, inter Occaſum & Ortum 120. Milliaria Germanica: Nec minus ab vltima Liuoniæ parte, ad fines Hungariæ vſque. Cum itaq; talis ſit eius forma, vt cum rotunditate participet, multo capacius eſt, quam quiſquam credere poſſet. Multas amplaſque Prouincias continet: Nempe Poloniam maiorem & minorem, Mazouiam, Pruſſiam, Ruſſiam, Volhiniam, Liuoniam, Lithuaniam. Inter eas Prouinciam, Polonia, à Polonis inhabitata inuenta fuit. Pruſſia, cum parte Pomeraniæ Podolia, Volhinia, Mazouia, Liuonia armis acquiſitæ ſunt. Lithuania, cuius erat Samogithia, & Ruſſiæ pars, patrimoniales familiæ Iagellonicæ fuerunt. Anno 1380. Iagello, tunc dux Lithuaniæ duxit in vxorem Heduigim Principem, quæ familiæ Regalis Poloniæ vltima erat, factuſque fuit Rex tribus condicionibus. Vna fuit vt Chriſtianus fieret: Altera, vt ſuos ad idem faciendum induceret: Tertia vt ſuam ditionem Poloniæ vniret: Ea conditio noſtris temporibus (cum familia Iagellonica

defeciſſet)adimpleta fuit. Cum enim Reges, ſe ditione hæreditaria, cuius merum habebant imperium, priuare nollent, eamque electioni ſubmittere, diſtulerunt ſemper adimpletionem conuentionis, allegantes Proceres & populum Lithuaniæ id non paſſuros, ne illa admiſtione amitterent gradũ & dignitatem. Tandem tamen Lithuani cum ab vna parte viderent deficere ſtirpem ſuorum Principum(quæ quod ad maſculos attinet, defecit in Rege Sigiſmundo Auguſto)Et ab altera parte ſibi metuentes à potentia Moſcorum, conſenſerunt vt vnirentur. Liuonia fuit quondam equitum Teutonicorum, qui in ea ſuum Pręfectum ſpecialem, qui Magnus Magiſter dicebatur, habebant: Sed cum, Anno 1558. à Magno Moſcorum Duce, maxima ditionis parte ſpoliati eſſent, confugerunt ad Sigiſmundum Regem Poloniæ, qui eos in ſuam conſeruationem ſuſcepit, ſed Liuonia ante liberata non fuit, quam cum Anno 1582. Rex Stephanus id fecit. Regni Poloniæ pars plana eſt; exceptis enim aliquibus montibus, qui in minori Polonia viſuntur, & aliquibus potius collibus quam montibus, quibus à Pruſſia diſtinguitur, omne reliquum explicat ſe in latiſſimos campos. Verum quidem eſt, quod in eo regno ſatis multæ ſylue ſunt, præcipue in Lithuania, quæ ijs occupant. Minor & maior Polonia frequentius inhabitantur, quam vlla alia huius regni Prouincia: Idem dicendum fere eſt de Ruſſia, Pruſſia & Liuonia quæ propter oportunitatẽ maris, portuum, & fluminum, ibi concurrentium alijs prouincijs, ciuitatibus & fabricis ornatiores, Commercijs quoque & concurſu mercatorum ditiores ſunt: Cum enim ibi diu dominati ſint equites Teutonici, ædificarunt ciuitates in morem Germanorum

rum: Arces quoque & loca præclara, quæ ſe extendunt ad longum littoris maris, amplius quam per octingenta miliaria; habent multos & oportunos Portus, hominanturque omni mercaturæ, inter Poloniam & mare Balthicum. Eſt ea res magnæ cō ſequentiæ: Fluuius enim Viſtula, qui ortum habet in extremitate Sileſiæ, transfluit totam Poloniam minorem, & partem maioris, Mazouiam, & Pruſſiam, conditque ſe mari Balthico, infra Gedanum, (vulgo Dantzig) quo conducit, per pluſquam quadringenta miliaria nauigationis, (quo ſpacio recipit diuerſos alios fluuios) bonam partem ſiliginis, frugum, mellis & cæræ regni. Ab alia parte Duina flumen nobiliſſimum, (quod oritur ex lacu Ruthenigo auctum aquis, findenſque mediam Liuoniam) condit ſe mari ſub Riga, ad quam vrbem magnus concurſus eſt. Sunt præterea in Pruſſia & Liuonia multi lacus, inter quos vnus eſt, qui mare nouum dicitur, quia antiquus non eſt, ad centum miliaria in longitudinem extenditur. In Liuonia eſt lacus Peibas, plus quam 40. miliaria longus. Ex eo flumina, quæ Pernouiam vrbem ad mare, & Naruam alluunt, fluunt, faciuntque duos Portus ſatis celebres: Inter dictas ciuitates ſita eſt Reualia vrbs quæ duabus ſupra dictis ciuitatibus non cedit. Samogithia alijs Prouincijs incultior eſt, retinetque plus barbariei: Podolia alijs magis deſerta eſt, non terræ vitio) copioſiſſima enim eſt omnium rerum, quas fert clima, cui ſubiacet) ſed culpa Tartarorum, qui eam ſuis excurſionibus adeo infeſtant, vt præ ipſorum metu, aut fugiant incolæ, aut abducantur in captiuitatē à Tartaris.

OPES.

POloniæ opes conſiſtunt, in copia frumenti frugumq; omnis generis, quibus tanta copia abundat, vt anno elapſo, qui fuit 1590. & anno præſenti, partim ſubuenerit neceſſitati Genuenſium, Thuſciæ & Romæ (non ſolum gentium, quæ viciniores erant) vbi fame, non caritate extrema tantum laborabatur. Abundat quoque Polonia, melle & cera infinita: Cum enim omnes hæ Prouinciæ Septentrionales Polonia, Lithuania, Ruſſia, Moſcouia, à natura vino donatæ non ſint, eius loco contulit illis mellis quantitatem incredibilem, ex quo hi populi conficiunt inter alia potionem delicatam & ſanam. Apes mellificant partim in ſyluis, vbi arbores aut carie, aut hominum induſtria, excauatas reperiunt, aut in Aluearijs, quæ ruſtici in campis poſuerunt, aut in terræ puteolis, omnique in loco, vbi vel minimam oportunitatem reperiũt. Abundat quoque Polonia Lino & Cannabe, gregibus & armentis, equis quoque bonis & multis, ſylueſtres equi quoque ſatis frequentes ſunt. Inter ſylueſtria animalia eſt Biſons, & magna Beſtia, equi indomiti, boues colore nigri, qui extra ſyluã quæ in Nazouia eſt, non viuunt. Theſauri regni cóſiſtunt in ſalinis Bacænæ, & Veliſcæ, quę loca in territorio Cracouienſi ſunt. Diuitiæ Poloniæ vt plurimum inter dominos & nobiles, ſatis bene diuiſæ ſunt: nemo enim ex patrimonio adeo diues eſt, vt alios præter modum ſuperet, nec maximi reditus excedunt 25. aureorum millia. Soli Duces Curlandiæ & Regij Montis excedunt medio

diocritatem: Quamuis enim hi tãquam regni feudatarij Regem in ſuperiorem agnoſcant, non ſunt tamen viua membra regni: Non veniunt ad comitia regni. Non habent ſuffragia in electione Regis, Nec partem in regni gubernatione, Nec pro dominis naturalibus habentur, ſed pro extraneis., ſicut vere ſunt; Dux Curlandiæ nempe ex familia Ketlerorum; Dux Regij Montis autem, ex familia Brandeburgica. Omnis Pruſſia fuit olim Equitum Teutonicorum qui ibi habebant (ſicut ante diximus) Magnum Magiſtrum ſpecialem. Qui cum viribus Polonorum reſiſtere non poſſet, ſubmiſit ſe tanquam feudatarius, Regi Caſimiro. [Cum deinde Magnus Magiſter Albertus Brandeburgicus, Lutheraniſmum amplexus eſſet, factus eſt ex magno Magiſtro Dux Pruſſiæ, quæ tunc in duas partes fuit diuiſa: In regiam nempe, quæ immediate ſub corona permanſit: Et ducalem, quæ tanquam Feudum Alberto & eius ſucceſſoribus relicta eſt. In Regia parte ſunt Marieburgum, Toruna, Culma, Varmia, Gedanum, Ducalis partis (quæ reddit 120. aureorum millia annui reditus) caput eſt Regius Mons ciuitas, quam Germani appellant Königsberg/ vbi Dux Aulam habet.

REGIMEN.

POloniæ regimen potius Reipublicæ, quam regni eſt, quod nobiles (qui magnam autoritatem, in Comitijs regni obtinent) Regem eligunt, dantq; illi autoritatem, quam volunt, tamen ipſorum poteſtas maior ſit. De elexione Regis non habent legem nec Statutum aliquod non regulam aut formam ſcriptam nec traditam: Tantum hoc ſcitur apud Archiepiſcopum Geſnenſem, Interregni tempore, ſupremã autoritatem eſſe: ipſe denunciat Dietas, præſidet in Senatu, proclamat nouum Regem, ſicut quod, cum Archiepiſcopo Leopolis, & ſuis ſuffraganeis qui tredecim: Palatinis qui 28. Caſtellanis maioribus, qui 30. numero erant antequam Rex Stephanus inſtituiſſet nouos Epiſcopos, Palatinos & Caſtellanos in Liuonia, quam ipſe acquiſiuerat, pauci alij interſunt Regis electioni. Habent ibi quoq; quandam autoritatem Nuncij Terreſtres (ita appellant quoſdam quaſi Agentes Circulorum nobilitatis, qui in Prouincijs habentur:) Comitiorum tempore conueniunt hi, in loco Senatui vicino, eligunt ibi duos Mareſcallos, per quos ſignificant Senatui, quid deſiderent, ſed cum autoritate fere Tribunitia: Creuit enim paruo abhinc tempore, eorum autoritas exiſtimatioque in tantum, vt authores, & capita potius, quam miniſtri, & participes deliberationum publicarum regni ſint, fuitq; vnus, qui exemplo Clodij, renunciauit dignitati Senatoriæ, vt fieret Nuncius. Hi omnes ſimul, cum nouus Rex eligendus eſt, reſtingunt magis magiſque potentiam Regis, nec eam nimis excreſcere ſinunt.

ſinunt. Quamuis autem corona Poloniæ, à decreto nobilitatis dependet, non tamen legitur ipſos vnquam ſucceſſores Regios excluſiſſe, aut prætérijſſe, nec regnum in aliam familiam tranſtuliſſe, excepta vna vice, cum Ladislaum deponentes (qui tamē poſtea fuit reſtitutus) elegerunt VVenceslaum Bohemum. Filiarum Regum quoque ſemper ratio habita eſt, ſicut olim Heduigis, quę Iagelloni ab ipſis collocata fuit, & noſtra ætate, Annæ, quæ Regi Stephano in vxorem data. Sigiſmundo tertio non parum profuit, natum fuiſſe Catharina, Sigiſmundi Auguſti, & Annæ ſorore, vt coronam Poloniæ adipiſceretnr. Etſi autem Regis autoritas ita ab electione dependeat: eius autoritas tamen, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius muneris eſt conuocare dietas, aſſignare tempus, & locum vt ipſi placet: Eligit conſiliarios laicos: nominatque Epiſcopos, qui deinde manent Conſiliarij. Eſt abſolute patronus redituum coronæ, & dominus eorum qui ei immediate ſubſunt: In nobilium ſubditos nullum eſt ius. Eſt abſolutus executor decretorum in Dietis factorum: Eſt ſupremus Iudex nobilium, in cauſis criminalibus. Habet in manu omnes modos remunerandi beneficioque afficiendi, quos ipſi placet. Vt finem faciā, tantum poteſt Rex, quantum ipſe dexteritate & prudentia valet: Propter rationes ſupra dictas, viuunt nobiles in Polonia, in magna libertate, faciuntque quod ipſis placet. Decreta Regis (ſicut ipſimet dicunt) non durant pluſquam tres dies: Verſantur cum Rege, non tantum, tanquam cognati (quod faciunt Franci) ſed vt fratres. Sicut Rex cum plenaria authoritate, eos qui immediate ſubſunt, regit; Ita & nobiles diſponunt inde-

pendenter de ſuis vaſallis, in quos ipſorum vnicuique imperium plus quam Regium eſt, habentque ipſos fere pro mancipijs. Stabiliendo ſuo Imperio, fecerunt Poloniæ Reges, rem notatu admodum dignam: Sicut enim Romani ſuas vires amplitudinemque auxerunt, communicando Ius Latij, & ciuitatis Romanæ, alijs ciuitatibus, immo integris Prouincijs: Ita & Reges Poloniæ extenderunt, vnierunt, firmaruntque ſuum Statum, participes faciendo priuilegiorum nobilitati Polonicæ propriorum Prouincias armis aut alia via acquiſitas:- ipſarumque nobilitatem, Polonicæ nobilitati æqualem faciendo. Rex Ladislaus, hoc modo aggregauit immo vniuit Poloniæ Ruſſiam & Podoliam: Sigiſmundus Auguſtus Lithuaniam. Stephanus Liuoniam. Aequalitas enim in commoditatibus, & honore, reddit animos vnitos in neceſſitatibus & periculis.

VIRES.

VIRES.

HVIVS regni vires, ſicut & aliorum, conſiſtunt in commeatu, pecunijs, peditatu, equitatu, armis & munitionibus. De commeatu diximus ſupra: Pecunijs quidem non admodum diues eſt: Excipiendo enim Portum Gedanenſem nō habet Emporium alicuius exiſtimationis: Merces autem quæ ex Portubus Pruſſiæ & Liuoniæ euehuntur, nō ditant regnum pecunia, imo, vix pannis ex ſerico & lana, qui ex Flandria & Anglia: Vino, Saccharo, Aromatibus, fructibus, quæ ex Hiſpania, & Luſitania aduehuntur, ſufficiunt. Eo vſque ab alia parte quoque defertur Vinum Maluaticum ſiue Creticum, cuius dolium 70. aureis væ nit. Cum denique regnum mercaturæ addictum non ſit, nec ciuitates mercimonijs deditæ ſint, nec populi induſtria polleant: Nobilitas autem magnanima ſit, profuſa in expendendo, quæque in victu & veſtitu plus quam in reditu habet, cōſumit: cumque condimenta ciborum (aromata quorum Poloni plus abſumunt quam vlla natio) vinum, panni è ſeryco, & potiſſima pars laneorum ipſis ab extraneis adferuntur, fieri non poteſt, vt regnum Auro & Argento diues ſit. Opes enim vniuſcuiuſque regni conſiſtunt in eo vt multę merces inde eueqantur, paucæ inferantur: Vt exeuntia pecunias externas eo trahant, illata non efferant. Ea in re conſiſtunt opes regni Neapolitani & Ducatus Mediolanenſis: Illud emittit maximam frugum Vini, Olei, Seryci, croci, equorum, fructuum, & aliarum rerum quantitatem, quæ maximam externarum pecuniarum vim eo pertra-

pertrahunt: Hæc ſuppeditat multis regionibus Frumenta, Oryzam, Pannos, ferramenta & merces omnis generis, recipitque parum rerum. Si regnũ Neapolitanum & Regnum Siciliæ, ita abundarent operis artificioſe factis, ſicut fructibus & bonis, quæ natura largitur, diuites ſunt, nulla alia Regna eis poſſent comparari, Sed vt ad Poloniam reuertamur eius Reditus non ſunt adeo tenues, ſicut aliqui exiſtimant. Reditus enim Regni, qui ex Minæris Salis, & Argenti percipiuntur accedunt ad ſexcenta Aureorum millia quotannis. Verum quidem eſt, Sigiſmundum Augnſtum, redituum partẽ oppignoraſſe, Rex quoque Henricus, vno ante fugam menſe, vt ſibi vnam nobilitatis partem obligaret, ex Reditibus plus quam pro trecentis Aureorum millibus quoquo anno alienauit. Rex quoque poteſt, applicando coronæ bona caduca, quæ Reges priuatis perſonis concedere ſolent, ſibi magnos Reditus parare. Dictorum Redituum, magnam partem poteſt Rex ſibi ſeruare parcereque ſumptibus. Eos enim faciunt Lithuanij, quando Rex cum Aula in Lithuania degit, idem quoq; fit in maxima Poloniæ parte. Hoc parui non facit is, qui perpendet Scotiæ, Nauarræ, Sardiniæ regnorum reditus, non excedere centum Aureorum millia quotannis: Nec regna Aragoniæ, quoquo triennio, plusquam 100. millia aureorum pendere. Reditus Regis Angliæ, antequam vſurpauit bona eccleſiaſticorum, non excedebant ſexcenta aureorum millia quotannis. Rex poloniæ multo plus redituum haberet, ſi erga ſuos Palatinos & Chaſtellanos, tanta liberalitate non vteretur. Concedit enim eis vt plurimum duas partes tertias, & fere ſemper omnes reditus, quos in ipſo-

rum

rum gubernationibus habet. Sed in neceſſitatibus bellicis & arduis expeditionibus(facto decreto in Comitijs regni)grauat Rex populum magnis impoſitionibus,aut tributis,quæ ex territorijs percipiuntur,aut ex victigali ceruiſiæ , aſcenduntque ea tributa ad talem pecuniarum ſummam , vt ea Rex Stephanus ſuſtinuerit onera grauiſſimi triennalis belli, quod cum Magno Moſcorum duce geſſit.Sed illud maximum eſt, quod nobiles proprijs expenſis,pro defenſione regni,Regi inſeruire obligati ſunt.Seruiunt hi equis , armis inſtrncti partim ſicut noſtri cataphracti equites , partim aliquanto leuioribus,partim ſicut Tartari ; dicuntur hi Coſacchi,horum ars eſt furari,depopulari,omnia vaſtare peſſundareque.Eunt in bella pompoſe ornati ſagis & veſtibus,quæ Auro, Argento, milleque varijs coloribus diſcriminantur. Ornant ſe quoque pennis & alis Aquilarum , exuuijs Leopardorum & Vrſorum,vexillis Labariſque multis varijſque.Hæc aliaque ornamenta ipſos ſuis viſendos , hoſtibus terribiles faciunt ſuoſque animos ad feritatem ferociamque incitare poſſunt, Ipſorum equi mediocres ſunt,ſed agiles, & Germanicis longe animoſiores. Aeſtimatur Poloniam neceſſitate exigente cētum, Lithuaniam 70. equitum millia colligere poſſe,ſed tantum circiter centum equitum millia , educi poſſe exiſtimant aliqui. Verum quidem eſt,quod equi Lithuanici Polonicis longe inferiores ſunt. Fidunt Poloni tantum magno numero ſui equitatus, vt non verentes vllius hoſtis vires,parnm de Munitionibus extruendis ſolliciti ſint,ſuumq; exercitum iu locis apertis, aduerſus hoſtes,pro patria, liberis , libertate,om-

te,omnibuſque ſuis bonis,magno animo pugnaturum credunt. Hoſtibus ſe nunquam, etiam in quacunque fortuna, terga obuertere profitentur. Sigiſmundus Anguſtus tentauit,vt in Comitijs regni,deliberaretur de munienda Cracouia, propter Cæſaris vicinitatem, ſed Polonis id perſuadere nunquam potuit,tum quod nolint Regibus medio præſidiorum commoditatem dare, inuadendi merum Imperium & abſolutam dominationem: tum qoud dicunt,ſua pectora defendendo regno ſufficere. Pedeſtrem militiam non habent, quod omnis Regni populus diuiſus ſit in mercatores, & artifices(qui oppida incolunt) ruſticos,& villicos, qui ruri in tali ſubiectione (ſicut dictum eſt) degunt:Sunt itaque arma in manibus nobilium tantum,qui pedibus non militant.In neceſſitate peditibus Germanicis & Hungaricis vſi ſunt, habuitque Rex Stephanus,in expeditione Liuonica, ſub ſignis,plus minus 16. peditum Germanorum & Hungarorum millia.Ducendis tormentis bellicis, cunicülariorum & foſſorum loco vtuntur Tartaris & ſuis ruſticis. Quod ad tormenta bellica, eorumq; apparatum ſpectat, Regnum ijs ſatis inſtructum eſt: Tum quod nobiles ſatis illorum in ſuis Arcibus habent, Tum quod illorum indigentiam pati non poſſit, ob Germaniæ vicinitatē, quæ Metallorum ferax eſt, habetque multos magiſtros fundendi tractandique tormenta, atque omne,quod ad vſum armorum facit. Tanto quoq; tormentis inſtructior eſt Rex Poloniæ, quanto minorem Arcium numerum habet. Sunt tamen non paruæ conſiderationis Arces Leopolis, & Camnetzy in Ruſſia, Arx Cracouienſis in minori Polonia, Poloſcenſis in finibus Moſcouiæ, Mariembur-

riemburgi & aliquorum oppidorum in Pruſſia, & in Liuonia, quæ oppida non à Polonis, ſed ab Equitibus Teutonicis (qui earum domini erant) munita ſunt. Poloniæ vires, quas commemorauimus, ſunt & numero & natura tales, vt pauca Europæ regna eas æquent, non ſuperent. Vna res eis deeſt, nempe agilitas: Sed ad firmitatem cuiuſcumque Status quatuor res requiruntur, nempe vt vires ſibi propriæ, numeroſæ, validę, & agiles ſint: Propriæ, quia ægre ei credi poteſt, quod alterius eſt: Numeroſæ, vt in rebus aduerſis, & incõmodis, ſemper aliaquæ ſuperſint: Validę, quia numerus, abſque fortitudine parum iuuat, immo potius moleſtiam, quam auxilium adfert: Agiles vt facile colligi poſſint, impellique quo exigit neceſſitas. Polonis deeſt dictarum quatuor qualitatum vltima, agilitas nempe: quæ à rebus duabus dependet: Vna eſt Principis autoritas; Altera, prompta pecunia. Rex poteſtatem non habet in Polonia aliquid decernendi, bellum indicendi, onera ad conflandum pecuniam imponendi, abſque conſenſu Comitiorum. Sed Comitia & conſultationes, quibus multos intereſſe opus eſt, ſimiles ſunt Machinis ex pluribus partibus multiſque Inſtrumentis conſtantibus, quæ progreſſum alicuius momenti, non niſi longo tempore faciunt: Sed in rebus bellicis ſunt ij Principes expeditiſſimi, qui ſoli imperare poſſunt: qui pecunias in promptu habent: Alioquin, in indicendis diſponendiſq; Comitijs, vt decreta propoſitioni reſpõdeant, deinde exequendo, colligendoque pecunias, tanti temporis iactura fit, vt ad expeditionem parum ſuperſit, fugiatq; occaſio. Barones & nobiles

Poloni

Poloni tam magnos ſumptus faciunt inuiſendo Comitia,hærentes degenteſq; in ijs, vt ad bellum vires non ſuperſint.Fieri poſſet vt ad defenſionem Status promptior expęditiorque reſolutio inueniretur;quod imminens periculum omnibus pauorem incutiat:ſed ad aliquid acquirendum credo ibi futuram magnam tarditatem : Spes enim boni non adeo afficit,quam timor mali : Vidimus tamen Moſcum abſtuliſſe Sigiſmundo Auguſto Statum Poloſcenſem & Smoloczenſem , nec hic tamen perſentijt, aut vindicauit , ſicut tanto Regi regnoque conueniebat. Idem Moſcus abſque obſtaculo inuaſitLiuoniam quę ſe ſub vmbra,& protectione Sigiſmundi Auguſti contulerat.Tempore quoque Henrici Andegauenſis Regis Poloniæ, Ioannes Moldauiæ Princeps (qui magno animo & claris victorijs,per aliquod tempus bella aduerſus Turcas geſſit)à Polonis pręter pacta fœderis , inter ipſum & Sigiſmundum Auguſtum , deſertus fuit:Dicamus tamen vires Poloniæ, per ſe numeroſas independentes & validas , tantum agilitatis & promptitudinis habituras , quantum in Rege valoris,roboris & efficaciæ erit.Eius rei fidem fecit Stephanus Bathoreus cuius tempore Polonia non ſolum conſeruauit ſibi nomen & exiſtimationem regni quod ſe à viribus extraneis defendere queat:ſed quod etiam magni momenti acquiſitiones de potentibus hoſtibus facere valeat. Cum autem dixerimus de agilitate, quæ res viribus cuiuſcumque Status neceſſaria eſt, non præter inſtitutum erit , cauſas ipſius agilitatis adiungere. Præcipuæ ſunt (ſicut diximus) autoritas Principis,qui motum dat,& vis pecuniæ quę ipſum conſeruat: Vidimus enim potentiſſimos exercitus, pro-

propter tarditatem torporemque capitis, tempus inutiliter triuiſſe: & præclariſſimas victorias, nullũ fructũ peperiſſe aut feciſſe, propter penuriam pecuniarum ſine qua moueri non potuere milites, Multũ quoq; ad rẽ facit militũ qualitas: Negari enim non poteſt, peditem Germanum & Bohemum ab agilitate, laudari non poſſe, quæ laus abſque dubio, Italo, Hiſpano & Franco debetur non ob id ſolum quod corpore melius conſtituti ſint, ſed quod plus eſt, quod in bello minori cõtenti ſint: Quamuis enim vinum non habeant, non pauent: nec cadunt animis ſi carnes, deſunt; & quomodocumque cedat, ferunt diutius inopiam & incommoditates. Leuis equitatus magis agilis eſt, quã Cataphracti. Et tractatio Sclopetorum, quam lancearum. Id conſiderãtes Franci, vltimis bellis lancearũ vſum, in quibus ipſorum militaris gloria cõſiſtebat reliquerunt vtunturq; earũ vice Sclopetis, ſicut Equites Germani enſe. Sed quo iudicio id fecerint excutiet alius. Hic nõ dico, equitẽ leuioris armaturæ, in rebus bellicis abſolute cataphracto eſſe meliorẽ, id dico, quod expeditior, promptiorque ſit. Multũ quoque facit genus equorum: Flandrici multum ſuperant Friſicos & Germanicos: nec minus præſtant Hungarici Polonicis, Aſturco, Turcicus, Barbarici prædictis ſunt velociores, inter vtroſque ſunt equi Neapolitani, qui vernaculẽ Corſieri appellantur; Quamuis enim Aſturconi velocitate pares non ſunt, perdurant in labore, feruntque melius pondus armorum, nec tardi ſunt. Vt quod verum eſt dicatur: Experientia docet equitatum Germanicum propter eorum tarditatem aptum non eſſe ad in-

ſequendum fugientes,nec ad effugiendum hoſtes. Si enim Valachici, Hungarici, Polonici, Turici, Mauri, Barbarici equites, Germanicos fuderunt, non poſſunt effugere, ſi illi autem rupti ſunt, non poſſunt equi Germanici illos inſequi. Falconum enim inſtar aggrediuntur hoſtes rurſuſque auolant longiſſime. In expeditionibus Maritimis,agilitate parum valent naues,deſtitutæ enim vento moueri non poſſunt neque verti: Aliquantulum, ſed parum amplius faciunt magnæ actuariæ naues, ſed velocitate præſtant maxime Triremes, quas Galeres vocant. Vidimus itaque claſſes Chriſtianorum, quorum vires in nauibus ſitæ ſunt,bonam æſtatis partem, temporiſque expeditioni commodi,in progrediendo,triuiſſe: Turcicas autem claſſes,cito inſtitutum curſum effeciſſe.Nulla autem res Turcis in ſua gilitàte plus cōmodi contra nos adfert, quam ipſorum parſimonia,& noſtra ingluuies; Vinum enim, ſimileſque delitiæ ſunt noſtris exercitibus tanto impedimento,quanto Turcis commeatus ſimul. Mirum itaque non eſt,quod ipſi in expeditiones eant,quam optime inſtructi tormentis,globis,puluere ſulphureo, & omni commeatu: (ijs enim rebus currus terra, Triremes Mari onerant) non vino, pullis,ſimilibuſque non neceſſarijs rebus:Eunt denique in bella vt pugnent,non vt crapulæ indulgeant.

MAGNVS DVX

MOSCORVM.

MAGNVS Dux Moſcorum eſt dominus ampliſſimæ regionis, inter cuius fines comprehenduntur multæ ditiones. Septẽtriones verſus pertingit eius ditio ad Oceanum Septentrionalem, protenditurque à Sinu Graduico, ad Obij fluuium: à meridie continuatur eius imperium, ſecundum curſum fluuij Volgæ, ad mare Caſpium vſque: ad Occaſum attingit fines Liuoniæ, habetque fere pro termino Boriſthenem, ſicut ab Ortu Volgam. Dicunt aliqui totum hoc imperium in longitudinem protendi ad tria miliarum millia, in latitudinem ad mille, quingenta, quo ſpacio continentur 15. Ducatus, 16. prouinciæ, & duo regna, Moſci quondam Tartaris ſubditi erant; nam Boido eorum Princeps Anno 1140. ſubiugauit totã Moſcouiam, ſed Ioannes primus Magnus Dux confiſus diſcordijs Tartarorum, qui ſe mutuo vexabãt, negauit eis Tributum. Progreſſu temporis, cum à Tartaris Precopenſibus ſuperatus eſſet Ammetes, vltimus ſucceſſor Boidi, qui mortuus eſt Vilnæ, adiunxit Magnus Dux ſuæ ditioni Permiam, Veatiam & Iugriam, quæ Ammeti ſubditæ erant. Creſcentibus itaque ſemper Magnorum Ducum viribus, cepit Baſilius Cazan, & Ioannes ſecundus Citrachan Prouincias, quæ nomina regnorum

habent. Vt dicatur quod verum eſt: Magni Duces valde dilatarunt ſuum imperium: Ceperunt magnum ducatum Seuerienſem & Smolocenſem, Bielſchienſẽ, Preſcouienſẽ, Nouoguardiẽſem, Iaroslauienſẽ Roſcouiẽſem, partim à Polonis, partim ab alijs Principibus: Occuparũt magnã Liuoniæ partem, feceruntque ſe terribiles vicinis. Principes & primariæ ciuitates harum prouinciarum ſunt Moſqua, vbi Metropolita habitat: Roſcouia & Nouoguardia ſedes Archiepiſcoporum: Cortiſa, Rheſania, Columna, Suſdelia, Caſanum, Vologda, Tueria, Smolenczo, quæ Epiſcopatus ſunt; Deinde Pleſcouia, Porcouia, Staricia, Sloboda, Iaroslauia, Volodomeria (vnde Imperij ſedes tranſlata eſt, per Ioannem 2. in ciuitatem Moſquam) Moſaiconum Nicolai, Sugana, Vſtind, Cargapolia. Princeps habitat in ciuitate Moſqua, quæ nomen ſumit à Moſco flumine, quod 90. miliaria altius oritur. Fuit ciuitas Moſqua quondam maior, quam nunc eſt, habebatque in circuitu nouem miliaria, ſed poſtquam Anno 1570. direpta, flammiſque tradita fuit à Tartaris Precopenſibus, non habet nunc in ambitu vltra quinque miliaria, ſtabulanturque in ea cum hominum 30. millibus, boues aliaque talia pecora, ſecundum Relationem, quam Poſſeuinus, non minus iudicio bonus, quam diligens ſcriptor fecit. Nouoguardia cognomen magnæ habet, & tamen idem ſcriptor ei attribuit vltra 20. habitatorum millia, ſicut & Smolenzo & Pleſcouiæ: Quod mihi difficile creditu videtur, ſi verum eſt, quod alij ſcribunt, ſcilicet, quod cum Pleſcouia obſideretur à Stephano Rege Poloniæ, in ea fuiſſe quinquaginta peditum, & ſeptem

equitum

equitum millia: Is numerus adeo magnus eſt, vt quamuis totus ex indigenis compoſitus non fuiſſet, requirit tamen frequentiam hominum ſupradicta maiorum: Vbi enim Princeps intrudit implicatque quinquaginta ſeptem Pugnatorum millia, neceſſe eſt, vt ordinarius inhabitatorum numerus multo maior ſit. Volunt quidam hanc regionem, præteritis temporibus, frequentius inhabitatam fuiſſe, ſed quod poſtea tribus de cauſis habitatoribus infrequentior facta ſit. Prima fuit peſtis, (res noua in Moſcouia) quæ multa hominum millia abſtulit: altera Principum crudelitas, qui multos, potiſſimum nobiles occiderunt: Tertia excurſiones, & deprædationes Tartarorum precopitarum, & Nagaiorum, qui nunquam quieſcunt, nec vicinos quiete frui ſinunt: Non deprædantur ſolum agros, & abducunt totos populos, quos poſtea vendunt Turcis alijſque gentibus. Vt vno verbo dicam Magnorum Ducum irruptiones in longinquas regiones magnam fecerunt vaſtitatem. Nulla in re melius perſpicitur Principis prudentia, quam in bene diſpiciendo, quæ expeditio ſuo Statui ſit futura damnoſa aut vtilis, & dum duci ſe non patitur vana ſpecie amplitudinis arripiendæ, quæ non ſit ei futura firma & ſtabilis ſed ſecuritatem ſuam turbatura: Is enim, qui ea ſpe ductus, vt ſtatum ſuum amplificet, eum aut populo, aut opibus eneruat, mihi ſimilis eſſe videtur illi, qui vt muros & tecta ſuæ domus altius tollat, conſcindit fundamenta ædificij. Totius dignitatis caput eſt conſeruare, ſed acquiſitiones illæ, quæ fiunt diminuendo vires proprias, illi Le-

gi aduerſantur: cumque acquiſitiones ſint tanquã inſitiones, conditionem imperij meliorem, non deteriorem facere debent: Sicut enim fiunt inſitiones, aut ad nobilitandam, aut ad domeſticam reddendam arborem ſilueſtrem: aut ad plantam infrugiferam emendandam, & vt fertilis ſit faciendum, ita, & expeditiones Principum, tales eſſe debent, vt commoda & beneficia referant, alias ſunt inutiles labores, qui plus deſtruunt, quam ædificant, & plus perturbationis quam ſecuritatis reddunt. Eiuſmodi ſunt ordinarie bella, quæ mouentur ad acquirendum regiones longe diſſitás, quæque nihil contigui cum noſtris habent: cum enim tam procul abſunt, requirunt maiora præſidia, quam noſtræ facultates vt eas conſeruemus, ferunt. Omnis itaque deliberatio expeditionum, tribus capitibus inniti debet: Prima eſt cauſæ æquitas: Altera facilitas vincendi: Tertia fructus victoriæ: Bella autem quæ ſuſcipiuntur, ſine ſpe alicuius fructus, ſunt meræ amentiæ. Magni Duces, ſepe terminos ſui imperij dilatarunt, ſed potentiam non auxerũt. Nemo expeditiones longinquiores, maiorumque expenſarum fecit, quam Magnus Dux Ioannes. Cepit enim regna Cazam ad Volgam, & Aſtrachan ad mare Caſpium: ſubiugauit bonam partem Liuoniæ: In quibus expeditionibus perijt magnus hominum numerus, in itineribus, in prælijs, adſultibus, ferro, morbo, fame, alijſq; incommodis. Poſtquam ea acquiſiuit fuit opus ibi habere magna præſidia, deducendo eo totas colonias: Cum itaque homines eſſent longe à domubus, implicati aut in acquirendo alieno, aut in conſeruanda parte, manſerunt domi vxores, quaſi viduæ abſque prole. Cũ

itaque

itaque homines in extremis regni finibus conſumebantur,remanſit regni meditullium tanquam cor exangue,priuatumque alimento, cumque ab Stephano Rege Poloniæ impeteretur, defuere ipſi domi vi[illegible] ad reſiſtendum,amiſit itaque Polociam aliaque m[illegible]i momenti loca,quæ ei erepta fuere, ac neceſſe habuit tradere Polonis totã Liuoniam. Vt ad noſtrum inſtitutum reuertamur: Moſconia magna ex parte eſt occupata ſyluis immenſis,& Lacubus.Syluæ ſunt rami Herciniæ, quę ſe per totum Septentrionem diffundit, ſed plus forſitan in hac prouincia,quam in alia.Hic arbores immenſæ magnitudinis videntur, ſuntque propter earum ſpiſſitudinem ſolis radijs impenetrabiles: Ex ijs arboribus incredibilis Reſinę & picis quantitas effluit:Hic producitur copia mellis & cerę inexhauſta:Apes enim abſq; cura humana faciunt Aluearia in corticibus & cauitatibus arborum. Hic eſt copia omnis pecoris & ferarum:Vt ſunt, Martures,Zibellini,Lupi,ex quorum pellibus fit diues mercatura. Ex his ſyluis exſcinditur fere omnis materia,tam domubus quam munitionibus fabricandis apta:muti enim ciuitatum fiunt ex trabibus ſimul coniunctis in quadrante, implentque vacuũ gleba,& terra:Faciunt quoque ex eiſdem trabibus turres,tantæ altitudinis & craſſitudinis, vt omne tormentum bellicum quantumuis magnum ferãt. Cito flammis corripiuntur,ſed non tam cito cedũt quaſſationi quæ fit tormentis bellicis. Diſputant aliqui,quales munitiones meliores ſint, num ex lapide,aut ex calce,aut ex terra:Pro vltima ſententia adducunt tales cauſas, quod citius fiant,& minori expenſa, meliuſque reſiſtant quaſſationi, & quamuis facile deſtruuntur, reficiantur quoque

breui tempore,faciliuſque mutatur(ſi caſus & occaſio neceſſitasque requirit) latus ex terra conſtructum,quam ex lapide.Sed his non obſtantibus debent præferri munitiones quæ muros ex lapide habent:Cum enim quatuor modi offendendi munitionem ſint.Tormenta, Cuniculi, Ignis,Exciſio (quæ ligone & ſarculo fit.)Murus ex lapide, forte minus reſiſtendo, quam terra cedendo tormentis bellicis præſtabit,ſed aduerſus cuniculos, ignem, & exciſionem, longe excellit murus ex lapide. Et ad iungendum muro quod in munitionibus, ex ligno & terra conſtructis,boni eſt, eriguntur Aggeres intrinſeci. De Aquis nihil opus eſt dicere. Moſcouia enim eſt mater fluuiorum & lacuum : Duinæ, Boryſthenis, Volgæ,Deſuæ, Onegæ, Moſæ,Voliſcæ, & fama celeberrimi Tanais: Lacus Inæ, ad quem eſt Magna Nouegardia: Voloppo multorumque aliorum. Aquarum abundantia reddit aerem magis frigidum,quam generationi animalium, & propagationi plantarum requiritur,etſi frigus calore ſalubrius eſſe æſtimatur. Pecudes paruæ ſunt,& ſegetes aliquando non perueniunt ad maturitatem, Terra fere ab aquis abſorpta,vt plurimum leuis eſt, & arenoſa ideoque & ſiccitas & pluuia immoderata,facile cōſumunt fruges. Hyems durat nouem menſes paulo plus aut minus,& tamen hic copia eſt frugum, hordei & paſcuorum,& ex conſequenti carnium, tam ferinarum quam manſuetarum. Moſcouia producit Poma,Nuces,Corylos, aliorum fructuum vix habent notitiam Moſci , qui ex piſcibus faciunt magnum lucrum , eorum ſiquidèm maximam abundantiam habent.Indurant eos frigore & vento,ſicut fit in Norvvegia, alijſque in locis Septentrio-

trionalibus,ſeruantque eos pro bona annona, tam in præſidijs munitionum, quam in domubus priuatorum. Regio non eſt multum mercaturæ dedita, quia indigenæ ſuapte natura non ſunt admodum induſtrij. Nec poſſunt ibi eſſe multa mercimonia vbi non florent artes & artificia: Tum quod Moſcis non licet ditione ſui Principis excedere. Ob has cauſas nō habent vllum vſum maris. Commutant tantum ea quæ Regio fert, nempe Pelles, Reſinam, Cæram, cum panno, alijſque quæ Armeni perferunt in Aſtrachan ad mare Caſpium, & Angli ad Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum.

REGIMEN.

MAGNVS Dux Moſcorum regit ſuos populos magis Deſpotice, quam vllus alius Princeps, quem nouimus : diſponit enim abſolute de perſonis ſubditorum, & ipſorum rebus: Ideo dicebat Mahumetes Veſirus, quod Moſcus & Turca, ſoli inter Principes eſſent domini ſuorum Dominiorum, eaque de cauſa putabat, expeditionem Stephani Regis Polonorum, plenam difficultatibus fore. Vt in ſua potentia & authoritate, ſe Magnus Dux conſeruet, vtitur artificio & induſtria incredibili : Primo non licet cuiquam ſuorum vaſallorum exire regni fines, ſub pœna mortis: Hac de cauſa nemo ſuorum ſubditorum nauigat, nec cum Legato externi Principis loqui poteſt, nec vti opera externi medici, in ſuis morbis, niſi cum venia.

Vtitur apparatu inæſtimabili in veſtitu, addens ornatum Pontificium cum maieſtate Regis : fert capite Mytram, Margaritis & gemmis precioſiſſimis nitentem. Si eam capite non gerit, habet eam coram ſe in ſuo Throno, mutatque eam ad oſtentandam amplitudinem multis vicibus : In ſiniſtra manu tenet Paſtorale ditiſſimum , indutus veſte, aut tunica longa, illi nō abſimili, quam Papa gerit ingrediens ſacrarium: digitos annulis aureis refertos habet, Imago Chriſti ad dexteram , & ſanctiſſimæ Matris Virginis ſuper cathedram in qua ſedet, eſt. Regia & proregia camera eſt plena viris, veſtibus auro depictis, vſque ad talos indutis. In ceremonijs ad Religionem ſpectantibus vtitur exquiſita ſagacitate ſolertiaque. Cum aſſidet menſæ, quoties mutantur patinę, aut vult bibere, multa ſigna Crucis edit. In Ieiunijs exhibet ſingularem venerationem, & in templo præ deuotione fronte terram percutit, ſicut & alij. Ne alius plus ipſo ſcire poſſit, nullæ ibi ſcholæ præterquam in quibus docetur legere & ſcribere. Nihil legunt prętter Euangelia, & aliquam hiſtoriam, aut deſcriptionē vitarum Sanctorum, aut homeliam Sancti Ioannis Chriſoſtomi aut alterius, haberetq; eum ſuſpectú, qui demonſtrationem faceret, ſe velle in litteris maiorem progreſſum facere, nec impune ferret: Id facit, ne aliquis plus ipſo, aut quantum ipſe ſapiat: Indeque accidit vt Scribæ, nec ipſimet Antiſcribæ ordinarie non ſcribant nec reſpondeant Legatis Principum externorum, niſi in quantum Magnus Dux eis dictat. Cum negociantur nunquam Magnus dux nominatur, quin omnes aſſurgant in pedes, cum magna veneratione : Idem etiam ad menſam fit, quando ipſe ad bibendum inuitat, aut

par-

participem facit ſuæ patinæ aliquem, fit id quoque in mille alijs ſimilibus occaſionibus. Docentur à pueris Moſchi credere & loqui de ipſorum Principe, ſicut de Deo, Deus ſolus (dicunt) & Magnus dominus ſcit hoc: magnus noſter dominus ſcit omnes res. Omne quidquid habemus, ſanitatis & commodi, procedit à Magno Domino. Accidit inde, vt ſui ſubditi, videntes tantam amplitudinem maieſtatemque, in ſuo Principe, nec aliarum quam eius rerum notitiam habentes, reuerentur ipſum, obediuntque ei, non ſicut ſubditi, ſed tanquam mancipia, habentque eum pro Deo potius, quã pro Principe. Non habet ſub ſe dominos titulis inſignes ſicut inter non ſunt Duces, & Barones: Si ipſe alicui pagum aut prædium concedit, non tranſit ad hæredes, niſi id ipſe confirmet. Et ſi ipſe alijs ea conceſſerit, villici tamen perſoluunt ei portionem fructuum, debentq; ei operas: Id in cauſa eſt, vt vnuſquiſque à nutu Magni ducis dependeat, & quanto aliquis ditior ſit, tanto ei plus debeat. Vt obuiet ſeditionibus, transfert integras familias, ex vno loco in alium, mittitque in præſidia quos vult longe à domo tanquam in exilium.

DIVITIAE.

EX ijs, quæ dicta ſunt, fieri poteſt Iudicium de eius diuitijs opibuſque: Cum itaque ipſe adeo abſolute omnium rerum dominus ſit, vtitur opera ſubditorum pro libitu, & tali parte ipſorum bonorum, ſicut ipſi placet. Arrogat ſibi ex ferarum exuuijs talem portionem ac vult, & ex piſcibus omnis generis, quantum vult: pellicea

vendit

vendit aut ad dono, prout libet: Piſces vero ſiccati ſeruantur pro munitione. In foro nemo ſua vendere poteſt, niſi Principis primum vendita ſint. Mineras Auri aut Argenti nullas habet, Ciuitates mercimonijs celebriores, vnde ipſe maximam redituum partem percipit, ſunt Aſtrachan ad mare Caſpium quo deferuntur merces Perſiæ & Armeniæ: & Fanum Nicolai ad Sinum Graduicum, quo appellunt naues Anglorum & Hollandorum oneratæ ære alijſque mercibus quæ inde Vologdam ducuntur. Vbi ſui Legati domum ſunt reuerſi aufert eis Lautia, quæ à Principibus acceperunt, dando aliquid in illorum vicem, & aliquando nihil. Vt finem faciam ſibi metit, capitque, quidquid in ſua ditione aut boni aut precioſi eſt. Putatur ipſum aliquem theſaurum habere, in Arcibus Moſquæ, Iaroslauiæ & lacus Albi, quod veriſimile eſt. Magnus enim Dux Ioannes ſpoliauit calicibus, reliquijs, crucibus, & argento totam fere Liuoniam, nec concedit Aurum & Argentum ſuã ditione efferri, niſi in redemptionem bello captiuorum, aliorumque, qui in captiuitatem abducti ſunt. Verum quidem eſt, quod amiſſione Liuoniæ, quam Anno 1582. ceſſit Stephano Regi Poloniæ priuatus fuit ea regni parte, quæ erat ditiſſima, propter commercium Maris Balthici, & meliori ditione quam habebat, in qua erant 34. Arces.

VIRES.

MVnimentum regionis conſiſtit, & in pluralitate paludum fluminumq;, & in denſitate nemorum. In vſu habent Moſci, loca hoſtibus proxima depopulari, vt denſæ ſyluæ ibi creſcāt, quod & fit ob terræ humiditatem, ſuntque eæ ciuitatibus, non ſecus ac Sepes ac Valla pro munitione. Multum laboris id Polonis attulit. Vt enim ſibi itinera ad oppida hoſtium pararent, neceſſe eis fuit exſcindere ſyluas & magni temporis iacturam facere. Habet Magnus Dux Munitiones, quæ partim ex lapidibus, partim ex lateribus, Italico more, conſtructæ ſunt, ſed abſque lateribus & arte ædificatoria: tales ſunt Arces Moſquæ, Nouoguardiæ, Pleſcouiæ, Porcouiæ, Stariciæ, Slobodæ, Alexandri; partim ex gleba viminibus contexta & probe calcata, qualis eſt Smolenczo. Sed ordinarie exſtruuntur muri locorum fortiū ex magnis trabibus, inter quas conſtipant terram, relinquendo ad defenſionem foramina pro Pyrobolarijs. Talis ædificatio commoda eſt defenſioni, contra tormenta bellica, ſed non reſiſtit igni. Subditi Magni Ducis inſeruiunt ſuo Principi, in bello, ſicut ante de ſuo Regimine agentes diximus, ſed ſe potius timere pœnam (ſi ſe non ſtrenue geſſerint) quam promptitudinem alacritatemque monſtrant: Capitaneis ad nutum ſunt, patiuntur omnem incommoditatem, non curant frigus nec pluuias, patiunturque incredibiliter inediam famemque, ſuntque paruo contenti: Aeſtimantur itaque aptiores defendendis Caſtris, quam prælijs campeſtribus: Illic enim multum valet patientia & tolerant ia

lerantia,hic autem requiritur audacia animuſque Poloni ſunt meliores conflictibus campeſtribus, quam propugnandis Arcibus. Magnus Moſcouiæ dux Ioannes,experientia edoctus de ſuorum, in velitationibus & prælijs ignauia, & de Polonorum audacia animiſq;,dicebat ſuos opus habere calcaribus quibus impellerentur, Polonos freno quo retinerentur. Vires præcipuæ huius Principis conſiſtunt in equitatu,ſed quem equorum numerum educere poſſit difficile dictu eſt. Nec tamen credo ipſum trecenta millia armis inſtruere poſſe (ſicut aliqui dicunt)habet enim ditionem vaſtam,& pro maiori parte incultam. Ab Caſſano enim Aſtrachanum vſque vix inuenitur pagus, quamuis inter ea oppida aliquot dierum iter ſit. Bello quod ei intulit Stephanus Rex Poloniæ(qui tamen non vltra 60. millia tum equitum tum peditum habebat) ipſe tantùm militum colligere non potuit, quo nō dico ſe ei aperto Marte obijceret: ſed nec potuit ipſum diuertere ab oppugnationibus Polotiæ, Vilicoluci aliorumque locorum,nec aut ab obſidione Pleſcouiæ. Anno 1570.penetrauit Princeps Tartarorum Præcopitarum, cum 80. equorum millibus,vſque in viſcera ſui Imperij, tradiditque flammis ipſam Moſquam vrbem Regalem. Sed ij qui dicunt Magnum Ducem 300. & Regem Poloniæ 200. equorum millia educere poſſe, potius numerant capita equorum,quam equitum. Etſi enim tot equorum millia ſint,non tamen omnis equus bello bonus eſt,nec vnicuiq; equitandi ars, aut ſe armandi facultas eſt: Vni deeſt animus, alteri opes non ſuppetunt,alteri vires corporis, alteri animi fortitudoq; alacritaſque deſunt. Quamuis in Moſcouia, tot equorum hominumque millia eſſent,

quot

quot illi dicunt, admodum difficili tamen eſſet, (immo vix poſſibile) eos in vnum locum cogere, nec Principi in hoc ſuppeterent pecuniæ, nec commeatus ſufficerent: Ducenti enim equi prçliatores requirerent in Moſcouia ter centum clitellarios, ac alios totidem miniſtros, quibus omnibus oporteret ſufficere commeatus, ſicut & Annonarijs, Mercatoribus, Artificibus, Famulis, qui in bello requiruntur. Neceſſe itaque eſſet totam Moſcouiā, in vnum cogi ac tum verendum, ne in tanto itinere ab vna parte regni, in regionem directo contrariam & hominum & iumentorum vires labaſcerent. Quamuis etiam poſſibile eſſet, tantum numerum (ſicut dictum eſt) equorum colligere, id tamē Statui non expediret. Neceſſe enim eſſet denudare confinia præſidijs, Prouincias neruis, ciuitates Magiſtratibus, campos agricolis: Inde clare apparet, Principem cuius Status 150. millia equitum cogere poſſet, abunde præſtare, ſi tertiam eorum partem, in exercitum Regalem educat, de bellis, non excurſionibus loquor. Scribunt aliqui, qui in affirmando magis moderati ſunt, Moſcum cogere poſſe 150. equorum millia, ſi neceſſitas ſe defendendi id requireret, & quod Ioannes tertius eduxit in expeditionem Aſtrachanenſem, 120. equitum, & 20. peditum millia. Idem adortus eſt Liuoniam, tempore Regis Alexandri, magnis exercitibus, retinuitque adhuc alium ad Regni ſui fines. Equitatui addidit Magnus Dux Ioannes aliquot millia Pyrobolariorum quos ipſe inſtituit, inter quos erant multi externi milites, qui ipſi præſtiterunt egregiā operam, in defenſione ſuarum vrbium. Quoquo ſecundo aut tertio anno, deſcribit per Regiones bello aptos: In commentarios referuntur filij nobilium

bilium & numerus famulorum equorumque. Equites,ditiores præcipue vtuntur Thoracibus æneis,galeis & laminis ſubtilibus & tenuibus, quæ ex Perſia adferuntur, & lanceis. Alij geſtant thoraces,goſſypio quam optime farcitos, qui ſagittis reſiſtunt:Hi vtuntur Arcu,multi eorum Sclopeto, omnes enſe & pugione.Ei inſeruiunt quoque Germani in bellis & in fortificandis locis.

PRINCIPES FInitimi.

MAGNO Moſcorum Duci iunguntur Præcopus Princeps Tartarorum; Tauricæ Cherſoneſi Circaſſi,quinque montium (inhabitant hi regionem quæ ſe ad 7.dierum iter extendit,regũturque à ſeptem Ducibus , Heluetiorum modo) Tartarus Nogay:Reges Sueciæ & Poloniæ. A Præcopo recipit multum damni,nec ei ſpes eſt de ſumenda vindicta, quod cum Turca confœderatus eſt Præcopus, inſtruiturque à Turca Sclopetis tormentiſque bellicis , habetque in ſua ditione loca fortia,cum præſidio Turcico,Itaque eum inuadere difficile factu arduumque eſſet : Concitaret enim in ſe potentiam illius.Præcopo commodum eſt(ſicut & pluries fecit(ſubitam excurſionem facere in Prouincias Magni Ducis , ſicut & poteſt facere in Prouincias Regis Poloniæ diripereque obuia. Si magnus Dux ſubiugauit Tartaros Caſſanenſes , & Aſtrachanenſes,accidit id beneficio tormentorum bellicorum quibus illi carebant. Duxit hic inter alia contra Caſſanenſes aliquas huiuſmodi machinas.Temoni plauſtrorum affigebat tabulam latam & craſ-

& craſſam, cum multo foramine, traijciendo Sclopeto & Moſqueto inuentum: Cum itaque ipſi grauiter ferirent hoſtes (qui ſagittis tantum vtebantur quibus Moſci lædi non poterant) non fuit difficile, eos vincere ſubiugareque. Sed Præcopus habet vſum Sclopetorum, & quod amplius eſt amicitiam, & protectionem Turcæ; qui vt ſibi iter aperiret in Moſcouiam, aut in mare Caſpium, tentauit annis iam elapſis ducere foſſam à Tanai ad Volgam, (hoc molimen altioris erat animi, quam Turcæ plerumque faciunt) ſed eius milites fugati fuere à Moſcis, in hoc adiuti à Tartaris, qui verebantur, ne plane à Turcis peſſundarentur, ſi illud opus eis ſucceſſiſſet. Nec ſolum ruperunt claſſem Turcicã ceperuntque eius partẽ, ſed & exitio dederunt exercitũ terreſtrẽ in quo numerabantur 80. Tertarorũ, & 25. Turcarũ millia, inter quos erant ter mille Ianizari. Circaſſi viuunt (ſicut diximus) more Heluetiorum; non nituntur vt ſibi aliquid acquirant, ſed tanquam mercenarij milites militant Turcis, Perſis, Moſco, à quo tam longe diſſiti ſunt, vt non habeant occaſionem ſibi timendi ab eius viribus. Tartari Nagai magis formidandi ſunt, propter ſubitum impetum & excurſionem, quam propter iuſtam potentiam, quæ eis ſit, ad ſuſcipiendas expeditiones Regias. Annis retro elapſis, cum ſe mouiſſent, vt Moſco damnum inferrent, retrogreſſi ſunt placati donis quæ eis miſſa fuere. Cum hi, ſicut & Arabes, dediti ſunt latrocinijs & graſſationibus, facilius eſt ipſos auertere donis, quam pugnando. Quod plus eſt, cum ipſi nec ciuitatem, nec munitionem habeant, qua expugnata & in dominium hoſtis redacta deprimi & tanquam freno cohiberi poſſint, bellũ ipſis inferre, eſt expenſas facere ſine lucro. Aduerſus hos tenet Mag-

nūs Dux magnum equitatus numerū, in Citrachan, Caſan, & Viatca: habet quoque præſidium in Culugan contra Tanam, vt reſiſtant Præcopitis. Cū Rege Sueciæ iungit fines Moſcus, præcipue ad partem Finlandiæ, vbi Suecus (cum quo diu bellū geſſit) paucis retro annis ei eripuit munitiones Serenoſco, Pernauiam maiorem & minorem in Liuonia, aliaque loca, cum Moſcus impeteretur à Rege Stephano. Tenet Suecus in extremitate Sinus Finlandiæ munitionem Viburgum, magno præſidio & expenſa, vt reſiſtat Ruſſis & Magno Duci: Habet quoque in illo Mari & Portubus vicinis, ſuas naues bellicas, tum vt obuiet omni tentamento Magni Ducis, tum vt impediat, ne ex Germanica in Moſcouiam vehantur arma & apparatus bellici: nec aliæ naues quàm ſuæ ad illas oras appellere poſſunt, niſi permiſſione, propria Regis manu ſignata: Hoc præcommodum claſſis, & potentia naualis fecit Regem Sueciæ, ijs locis vbi hanc vim armorum explicare poteſt, Moſcho ſuperiorem, cepitque hac via ab hoſte, multa loca in ora Liuoniæ lociſque vicinis. Sed vbi equitatus Duci, frequentiaque populi vſui eſſe poteſt, nempe in campis apertis, & in locis longe à mari Balthico diſſitis, videtur Magnum Ducem potiores quodammodo partes habuiſſe; ſemper enim fere inuaſit Suecum. Non poſſunt tamen ſibi inuicem multum damni inferre, propter aſperitatem montium, frigus, glaciem, niueſque. Super eſt Poloniæ Rex, inter quem & Magnum ducem, eſt differentia, quod Moſcus plus regionum habet, ſed Poloni melius inhabitatas ciuilioreſque: Illi plures ſubditi obedientioreſque ſunt. Huic autem audaciores & animoſiores: Illi ad reſiſtendum quam aggrediendum ſunt aptiores. Hi ad inuadendum. Illi ad defendendum

dendum

dendum munitiones:Hi adaperto prelio pugnandũ. Illi magis iuncti vnitiq; ſunt,Hi magis deliberati ad factionem expeditionemq; : Illi timent minus inediã,& incõmoditates,hi mortem & ferrum. Sed vtrique tantum valent,quantum eorum Princeps virtute & fortitudine præſtat:Magnus enim Dux Baſilius cepit Magnum Ducatũ Smolenſcenſem, & Poloſcenſem, & ampliſſimam ditionem in Liuonia. Econtrario Stephanus Poloniæ Rex eripuit vltimo bello IoanniMagno Duci,filioBaſilij,Boloſco aliaq; diuerſa magni momenti loca, obſedit ciuitatẽ Pleſcouienſem,coegitque tandem Moſcum,totaLiuonia decedere. Inde videtur populum tantum valere, quantum ingenio animoque valet Rex.

FAMILIA AVSTRIACA.

CVM longo iam tempore Imperium in Sereniſſima familia Auſtriaca permanſerit (habuit enim fœliciſſima continuata nec interrupta ſucceſſione ſeptem Imperatores)nõ erit prę-ter inſtitutum noſtrum de ea aliquot verba facere. Hæc ſereniſſima familia celebris eſſe, famaque inclareſcere cœpit,eodẽ fere tempore, quo familia Othomannica,excitataque àDeo videtur vt ſuæ Eccleſiæ contra Turcas & hæreticos pro vallo & propugnaculo eſſet.Duos habet palmites,qui a duobus Philippi I.Regis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, &c.filijs Carolo,V.& Ferdinando I.Rom. Imperatoribus prognati ſunt.Illi (Carolo Imp.) Belgium, Hiſpaniaq; cum ijs quę inde depẽdent ceſſit, quę filio ſuo digniſſimo,Regi Hiſpaniarum Philippo II.

reliquit:de eius ditionibus alias ſuo loco.Ferdinando ditiones in Germania obtigere. Auſtria nempe, Bohemia Tyrolenſis Comitatus,aliæque Prouinciæ, quibus per Annam eius vxorem,Hungariæ regnum acceſſit.Is(Ferdinandus)poſt ſe,tres filios reliquit, qui quamuis ditiones patrimoniales in partes tres diuiſerint,rexerunt tamen reguntque adhuc eas,ipſorum ſucceſſores,tanquam vnam Rempublicam, ijſdem conſilijs,animis, inſtitutiſque, ponuntque nobis ob oculos in effectu, antiquum Geryonem: omnes enim ad defenſionem communis Status, (quamuis prouinciæ alterius ſint ditionis) non aliter adcurrunt,quam ſi ad vnum ſolum omnes pertinerent.Sunt hi Status tam ampli,tantique momẽti vt niſi tanto terrarum ſpacio,quantum à montibus Carpathijs ad Segniam vſque eſt,Turcæ adiacerent(qui eos vigilare & ſemper magnas expenſas ſubire cogit)nō populorum frequentia,nec opibus theſauriſque,nec ciuitatum magnificentia, nec viribus,maximis Orbis Chriſtiani regnis cederent. Facile id percipere poteritis, qui conſiderarit diſtantiam à Tergeſto ad vltimos Luſatiæ terminos, à Tibiſco ad Nabum, & à Caniſia, Conſtantiam ad lacum Podamicum vſque; ijs finibus continentur, Luſatia,Sileſia, Bohemia,Morauia,Auſtria, & magna Hungariæ pars,(hæ Prouinciæ ampliſſimæ, populo frequentes,commeatu opibuſque abundantes ſunt)præterea Stiria,Carinthia,Carniola, Comitatus Goritiæ,Tyrolis, Ciliæ, & Principatus Sueuiæ, Alſatiæ,Briſgouiæ, Conſtantiæ. Inter has Prouincias Bohemia ſe in longitudinem, ad 140. milliaria extendit,diciturque ea continere 380. tum Arces, tum oppida muris cincta, & 32. pagorum millia, Morauia,Sileſia,Luſatia,& earum vnaquæq;,de amplitu-

plitudine,cum Bohemia contendit, ſed ab ea potentia populique frequentia vincuntur. Tres hæ Prouinciæ in longitudinem ad 400. in latitudinem ad 120.milliaria protenduntur.Optimo peditatu,equitatuque abundant.Luſatiæ milites (quorum 20.millia,qui apti bello ſint, facillime conſcribi poſſent) inter optimos pedites cenſentur.Stiria, quæ Minæris argenti ferrique diues eſt in longitudinem ad 60.in latitudinem ad 110.milliaria excurrit. Carinthia (hæc maxima ſui parte montoſa ſyluiſque plena eſt)in longitudine 75.in latitudine autem 55.milliaria continet. Carniola cum ditionibus vicinis Tergeſtum vſque,extendit ſe per 150.milliaria,latitudo autem earum eſt 45.milliarium.Frugibus, vino,carne,ligno abundant. Comitatus Tyrolenſis minæris argenti ſaliniſque diues eſt,longius latuſque 18.milliaribus Germanicis. Præterea ditiones in Sueuia,Alſatia,Rhetia (familia Auſtriaca in hac 18.communitates ſub ſua iuriſdictione habet.) Hæ Prouinciæ omnes,plus minus,duas Myriades & ſemiſſem ordinarij reditus,tantumque extraordinarie pendunt:incolis frequentes adeo ſunt,vt neceſſitate vrgente,centum peditum,& plus quam 30. equitum millia conſcribere poſſent.Nō ſcio an ex aliquo Europæ regno maior militum numerus educi queat.Itaque non tam impotens Princeps eſt Imperator,quam alique ipſum ex ignorantia imperiorum exiſtimant,putantes ipſius dominium, arctis finibus circumſcriptum,& commeatus inopem eſſe,populoque infrequens videri,ipſumque pecuniæ inopia laborare: eſt enim eius dominium ampliſſimum,fertiliſſimum,diuiſſimum,populoque frequētiſſimum,ſed Turca conterminus (cui ipſe à montibus Carpathijs ad mare Adriaticum vſque adiacet)

cet) poſſet vel potentioris Principis neruos elidere. Nullum Principem putarim, cuius fines Turcarum finibus terra iungantur, qui non ſolum belli tempore ſumptibus exhauriatur, ſed & pacis tempore. Faciendæ ſunt enim immenſæ, expenſæ in extruendis munitionibus earumque præſidijs: Turca enim magnis viribus. ijſque fortibus, alacribus, omnique tempore promptis præſtat, eſtque pacis tempore armis inſtructior, quam quiſquam aliorum Principum, dum bellum maxime viget. Neceſſe itaque eſt, vt is, qui Turcæ conterminus eſt, ob ſuſpicionem metumque adeo præpotentis hoſtis, ſemper ſibi caueat, & ſumptus faciat, ſicut Imperator ſtipendia largitur, plus minus 20. militum millibus, in confinijs Hungariæ excubantibus. Hæ ſunt magnæ expenſæ, nec minus munitionibus locorum impendendum eſt, vltra alias expenſas, in arcanis negocijs, quæ huius inſtituti non eſt commemorare. Cum itaque videmus Turcam, inſatiabilis Draconis inſtar, tot nobiliſſimas Prouincias, tot florentiſſima regna deuoraſſe, ſuæque ſubieciſſe tyrannidi tot ciuitates, quæ extra omne periculum eſſe putabantur, totque loca, quæ capi non poſſe putabantur expugnaſſe, ne dormiamus in vtramque aurem, & cum ad ſcapulas lateraque noſtra ſit, ne exiſtimemus eum longe abeſſe.

IMPERIVM RO-MANVM.

IMPERIVM Romanum, quod imperante Traiano erat ampliſſimum in Scotia, extendebatur enim ab Oceano Hibernico, vltra Tigrim; Oceano Athlantico, ad Sinum Perſicum: ab Atlante ad ſyluam Calidoniam, pertingebatque ad flumen Albim, tranſibatque Danubium: primum labi cœpit bellis ciuilibus Galbæ, Othonis, Vitellij: ijs enim temporibus exercitus, qui in magna Britannia, pro præſidio erat, traiecit in Continentem: Hollandia & vicinæ regiones rebellarunt, paucique temporis progreſſu, Imperij finibus præſidio deſtitutis tranſmiſerunt Sarmartæ Danubium: Alani ſuperarunt fauces Caſpias: Perſæ acquiſiuerunt nomen & potentiam: Gothi peruagati ſunt Moeſiam & Macedoniam: Franci ingreſſi ſunt Gallias. Conſtantinus Imp. reſtituit imperium antiquò ſplendori, ſopiuit bella domeſtica, frenauit Tyrannos, Barbaros, & gentes hoſtiles: Sed duo fuerunt quæ Imperium multum debilitarunt: Primum fuit translatio ſedis Imperialis Roma Conſtantinopolim, quod factum diſpoliauit Romam, & debilitauit Imperium: Luce enim clarius eſt, quod ſicut plantæ, ex natiuo ſolo in regiones climate & qualitate diuerſas tranſplantatæ, parum retinent virtutis naturalis: Ita & res humanæ, præcipue autem dominia & Status magnis illis mutationibus perdunt ſuum vigorem & ſtabilitatem. Eam ob cauſam Senatus Romanus nunquam plebi conſentire, voluit, vt Roma Veiam commigraret, quæ ciuitas

multo gratior,& magis commoda erat,quam Roma, maxime poſtquam à Gallis ruinæ tradita fuerat.Locus in quo Conſtantinopolis ſita eſt, adeo amœnus,commodus & fertilis eſt, vt ſit difficillimum,vt virtus ibi altas radices agat: Non enim toto Orbe terrarum ciuitas eſt, quam terra & mare maiore fauore proſequantur: Illa enim nunc ſe in fertiliſſimos campos extendendo; nunc in delicioſas valles ſe demittendo, rurſuſque leniter in fructiferos colles aſſurgendo;nunc ſe flexibus in mare inſinuando,rurſuſq; ſe retrorſum vertendo, abunde incolis omne deliciarum genus, non ſolum frumenta & vina confert. Diceres ibi Bacchum cum Cerere,Pomonam cum Flora,pulchritudinem cum fœcunditate certare. PoſtquamMare minimo ſpacio,plurimos gratos Sinus & tranquillos Portus fecit,quorum in ſolo Boſphoro (nec is tamen plus quam 25.miliaria longus eſt) trigenta numerantur, benigno aſpectu quaſi blanditur ciuitati & regioni, ducitque eo magnis claſſibus hinc annonam Syriæ & Aegypti;Inde diuitias Trapezuntinas Caphæq;. Nunquam ibi fructus,nec meſſes,nunc Thraciæ, tūc Aſiæ deſunt: Eo quoque tendit tanta optimorum piſcium copia,qui gyros agendo & ludendo, fere domus ciuitatis ſubeunt,vt qui id non viderit, incredibile iudicet: Piſces enim nunc fugiendo frigus Hyemis,tranſeunt ex Ponto Euxino,in aſpectu ciuitatis Conſtantinopolitanæ, Propontidem verſus;Nunc vitantes æſtatis feruorem,redeunt eadem via,qua digreſſi erant. Duabus itaque anni tempeſtatibus,eorum infinita copia ſumma delectatione, cui commodum par eſt,capitur. Sunt ibi præterea Cidari & Barbiſa ſumme amœni & iucundi fluuij, qui ambo celebrem hunc Sinum influunt, qui inter

Con-

Conſtantinopolim & Peram eſt dilataturque; dicitur is à ſcriptoribus cornu aureum. Vt finem faciã; Non eſt locus rerum affluentia, eneruandæ virtuti aptior, nec ad virtutem voluptatibus corrumpendam commodior: Id aperte demonſtrant ſegnities & mollities maioris partis Imp. Grçcorum, ipſorũque exercituum. Si amœnitas oræ Tarentinæ, & deliciç regionis Sibaritarum potuerunt ignauos facere, & corrumpere mores iſtorum populorum; Si deliciæ Capuanæ potuerunt emollire, & extinguere ferociam virtutemque Hannibalis ſuorumque militum; Si Plato diſciplinç incapaces Cyreneos æſtimauit, propter ſuam proſperitatem: quid ſtatuendum erit de loco Conſtantinopolitano, dulci & oportuno ſupra omnes, qui in Orbe terrarum ſunt? In ſumma, Cum nullæ res magis pernicioſæ ſint Reipublicæ, quam magnæ nouitates: Quç res maiori damno, ne dicam exitio potuit contingere Imperio Romano, quam adeo ingens ac ſubita, præter omnium expectationem immutatio? Non plus minuſue fecit bonus ille Imperator, quam ſi quis ad dandum animali meliorem formam, cerebrum ad genua, aut cor è ſuo loco ad cubitum transferret. Secundum erratum Conſtantini fuit diuiſio Imperij ſuis filijs facta in tres partes, quod contigit Anno Domini 341. qua ex magno Imperio tria fecit, cum notabili diminutione authoritatis & virium: Cum enim eius filij inter ſe armis decertarent, taliter ſe inuicem conſumpſerunt, vt Imperium quaſi exangue corpus remanſerit. Quamuis autem Imperium aliquot vicibus ſub vno Principe coaluerit, diuiſioni tamen adeo aptum remanſit, vt raro acciderit, quin in Orientale & Occidentale non fuerit partitum, vſque dum Odoacer Herulorum & Turingo-

rum Rex, magno cum exercitu, Italiam ingreſſus, in tam magnas anguſtias coniecit Auguſtulum, vt præ deſperatione ſe imperio Occidētali abdicarit, quod accidit Anno 476. Hunni iam antea Danubium trāſmiſerant; Alaricus Vandalorum Rex Romam ceperat; Vandali primum Andaluſiam, & poſtea Africā; Alani Luſitaniam; Gothi maiorem Hiſpaniæ partem; Angli Britanniam; Burgundiones Prouinciam occupabant. Iuſtinianus Imp. res aliquantulum in melius reſtituit, nam per ſuos Capitaneos exegit Vandalos Africa, & Gothos Italia, Anno 556. Sed paruo tantum tempore id durauit, nam Anno 713. cœperunt Orientale Imperium vexare, arma & hæreſis Mahumetana, breuique tempore fuere à Saracenis oppreſſæ ptæter Syriam, Aegyptum & Archipelagum, Africa, Sicilia & Hiſpania. Anno 735. occuparunt quoque Saraceni Narbonem, Aucnionem, Toloſam, Burdegalam & regiones vicinas. Imperium itaque Occidentale paulatim prorſus in direptionem abijt: Orientale autem adeo inualidū remanſit, vt vix aliquot vicibus, ciuitatem Conſtantinopolitanam contra Saracenorum arma defendere, multo minus Occidēti auxilium potuerit. Anno autem Chriſti 800. titulos Occidentalis imperij adeptus eſt Carolus Magnus Francorum Rex, quam rem recenſet Ado Viemæ Archiepiſcopus verbis ſequentibus: In die ſancto Natiuitatis Domini ante confeſſionem Beati Apoſtoli, cum glorioſus Rex Carolus ab oratione ſurrexiſſet, Leo Pontifex capiti eius coronam impoſuit, ſicque ab vniuerſo populo acclamatum eſt: Carolo Auguſto, à Deo coronato Magno, Pacifico, Imperatori Romanorum, vita & victoria. Diuiſum itaque fuit Occidentale Imperium ab Orientali, hoc modo, vt Nea-

vt Neapolis & Sipontum Orientem verſus, cum Sicilia Græcorum eſſet, Beneuentum Longobardis remaneret, Veneti neutri parti adſcripti, Status Eccleſiæ liber eſſet, reliquum Carolo Magno cederet. Blondus vult Irenem Imperatricem primũ in eam diuiſionem conſenſiſſe, deinde à Nicephoro confirmatam eſſe. Habuit itaque diuiſio Imperij initiũ à translatione ſedis Imperialis Roma Conſtantinopolim; creuit diſtractione in plures Principes; peruenit ad perfectionem aſſumptione Caroli Magni. Ante eum enim modus regiminis, Leges, Magiſtratus, & conſilia erant communia, tendebantque ab bonum commodumque vtriuſque Imperij, tanquã membrorum eiuſdem corporis: Et ſi vnus Imperatorum moriebatur abſque filijs, totum Imperium manebat alteri; ſed Carolo Magno in Imperatorem Occidentis electo, nulla amplius fuit habita ratio Imperij Orientis, nec Imperator Orientis vnquam ſucceſſit in Imperium Occidentis, nec eius Imperator in Orientis Imperium. Permanſit autem Imperium Occidentis in familia Caroli Magni paulo minus, quam centum annis; defecit autem ea familia in Arnolpho. Anno Chriſti 1002. abſcripto omni iure Hæreditatis, creatio Imperatoris in libera electione Septem Principum, qui Electores nuncupantur, poſita fuit. Ratio faciendi imperium electiuum, quod eo vſque familiæ Caroli Magni Hæreditarium extiterat, fuit, quod Imper. Otho Tertius filios non habuit: vtque dignitate perſonæ quæ eligeretur, Imperium firmius redderetur, Imperium Occidentis tunc valde coarctatum & conciſum erat, nihil enim ei quam Germania & Italiæ pars ſupererat: Pontifex ſiquidem Romanus bonam Italiæ partem poſſidebat: Veneti in medio vtriuſq;

Impe-

Imperij poſiti viuebant in plena libertate, cum Dominio annexo ſuo Statui: Regna Neapolis & Sicilię, quæ Normanni Græcis eripuerant, Eccleſiæ Romanę Feudataria facta erant, primum ſub Clemente Antipapa, deinde ſub Nicolao ſecundo, & eius ſucceſſoribus, qui Antipapæ factum propter emolumentum approbarunt: Lombardia & Thuſcia, partim propter diſſidia Imperatorum, Henrici Quarti & Quinti, Friderici Primi & Secundi, cum Pontificibus Romanis; partim propter populorum ferociā, Imperatoribus plus laboris & impēſæ, quā cōmodi attulerant. Rudolpho Imp. itaque non ſolum in Italiam proficiſci, curæ non fuit, (quod eum infortunia, aduerſęq; res ſuorum anteceſſorum terrerent) ſed & populis Italiæ libertatem paruo precio vendidit. Lucenſibus non conſtitit libertas plus quam decem Aureorum millibus: Florentini eam ſex Aureorum millibus redemerunt. Deficientibus itaque cum reputatione, viribus Imperij, Ei in Italia, præter nomen, nihil fere remanſit. Vicecomites Mediolanenſes, & ſucceſſiue alij Domini, alijs locis rapuerunt ſibi dominia, quę potuerunt abſque vllo Imperatoris reſpectu, tantumque petebant inueſtituram ſuorum Statuum. Sed Franciſcus, cum ſibi armis Statum Mediolanenſem paraſſet, parui fecit Inueſtituram, exiſtimans ſe poſſe ſe ipſum conſeruare in eius poſſeſſione, ijſdē artibus quib. eū ſibi cōparauerat. Vltra montes ſubſtraxerunt ſe Imperio multi Principes, ita vt Imperium præſenti tempore fere in Germania concluſum ſit. Sed quod dominia in Germania vniformia non ſunt, deſcribam illa vt ſequitur. Aliqua dominia ſunt quaſi membra Imperij, ſed ſeparata; quamuis enim Imperij ſint, non id agnoſcunt, nec agnoſcere volunt, ſicut Reges Daniæ

& Sue-

& Sueciç, Dux Pruſſiæ, Heluetij, Rheti: Alia agnoſcunt quidem Imperatorem, pro ſupremo Principe, ſed dietas Imperij non inuiſunt, nec contribuunt feruntque onera Imperij, ſicut Duces Sabaudiæ, Lotharingiæ, & Principes Italiæ: Alia inuiſunt dietas feruntque onera, ſicut Principes & ciuitates Germaniæ; ſed Rex Bohemiæ à Carolo quarto Imperatore à contributionibus exemptus eſt. Alia dominia non ſolum pendunt communes contributiones Imperij, ſed quod plus eſt, ſoluunt Imperatori tributum particulare; eæ ſunt illæ ciuitates, quæ Imperiales nuncupantur. Aliqui Principes Germaniæ non ſolum interſunt Comitijs Imperij, ſed & electioni Imperatoris: Hi ſunt ſex Electores, tres Eccleſiaſtici & tres Laici, quibus iungitur ſi vota imparia ſunt, Rex Bohemiæ, qui non venit ad conuocationem, (quæ Dieta dicitur) nihilominus calculum in electione habet. Sed loquendo ſtricte: Ciuitates & Principes Imperij proprie dicuntur, qui Dietis interſunt, & tanquàm membra vnius corporis, participant bona & mala, emolumẽta & onera. Hi viuentes fere modo Reipublicæ ſimul vnitę, ad defenſionem communem, habent Imperatorem pro capite, qui non regit abſolute, ſed per Comitia, nec tamen indicit illa abſque præcedenti conſenſu maximæ partis Electorum. Deliberationum Decreta, quæ edicuntur, irrita fieri non poſſunt: niſi per aliam Dietam; ſed Imperator habet plenam authoritatem mãdandi executioni decreta. Imperator itaq; quod ad dignitatem & præeminentiã ſpectat, eſt primus Chriſtianorũ Princeps, tãquã is, in quẽ ceſſere iura Reipub. & Imp. Romani: Eius eſt protegere Eccleſiã Dei, defendere fidẽ, procuraréq; pacem, & bonum Reipublicæ Chriſtianæ.

VIRES.

CVM Vires Imperij ſitæ ſint in Germania, neceſſe eſt, vt duo verba dicamus de hac ampliſſima nobiliſſimaque Prouincia. Iacet fere inter Oderam & Moſam: Inter Viſtulam & fluuiolum Aa, qui apud Grauelingam fluit: Et inter Oceanum Germanicum & Balthicum Alpeſque: Eius figura quadrata eſt, longitudine fere & latitudine æqualis, 650. Miliarium quaqua verſum. Maxime abundat frugibus, pecudibus, piſcibus: Id experiencia compertum ſæpe fuit: Carolus enim Quintus, vt Turcis reſiſteret, habuit ſub ſignis ad Viennam 90. peditum, & 35. equitum millia ad Iauarinum contra eoſdem Turcas, nec tamen caritas ibi experta fuit. Bello inter Carolum Quintum, & Proteſtantes per aliquot menſes abunde ſe ſuſtinuerunt in campis, fere 150. militum millia: Diues quoque eſt Minæris Auri, Argenti omniſque generis Metalli, ſuperatq; alias Europæ Prouincias; Natura quoque largita eſt ei, in regionibus longiſſime à mari diſſitis fontes & puteos aquæ ſalſæ, ex quibus excoquitur ſal perfectum. Nec minus mercatrix eſt, quam fertilis: Indigenæ enim plus quam vlla alia natio, vacant opificijs, faciuntque artificia miratu digna, eſtque Germania tam probe à natura dotata, ornataque magnis fluminibus, quæ vbiq; nauigantur, vt commeatus, & merces faciliter ex vno loco in aliũ deuehantur. Fluuiorum omnium maximus eſt Danubius, ab illo Rhenus, qui Germaniam à Meridie ad Septentrionem tranſgreditur, ſicut Danubius ab Occaſu ad Ortum: Albis oritur in Bohemia, lambit Miſniam, Saxoniam, Marchiam Antiquam. Odera

oritur

oritur in Morauia, lauat Sileſiam, duas Marchias, Pomeraniam. VVeſara, Neccarus, Moſa, Moſella, Iſara, Oenus, Varta, Mœnus. (Hic Germaniam in ſuperiorem & inferiorem diuidit. Superior eſt, quæ à Mœno ad Alpes vſque ſe extendit. Inferior quæ à Mœno Oceanum verſus excurrit. Germania in plures Prouincias diuiſa eſt, ſed præcipuæ ſunt (loquor de ijs, quæ viua membra imperij ſunt) Alſatia, Sueuia, Bauaria, Auſtria, Bohemia (quamuis hæc multis priuilegijs gaudeat, quæ eam ab oneribus eximunt) Morauia, Sileſia, Luſatia, duæ Marchiæ, Saxonia, Miſnia, Thuringia, Franconia, Haſſia, VVeſtphalia, Cliuia, Megapolis, Pomerania. In dictis Germaniæ Prouincijs cum ijs non computando Belgium & Heluetiam, æſtimatur eſſe circiter decem Hominum myriades, Diuiditur populus in quatuor hominum munera aut ſtatus; ruſticos nempe, qui nullo in numero ſunt, ciuitatum incolas, Barones, Prælatos. Vltima tria genera conueniunt, faciuntque Status Imperij. Inter Prælatos obtinent primum locum Archiepiſcopi Electores: Inter hos Moguntinus eſt Cancellarius Germanię, ſequitur Colonienſis; deinde Treuirenſis, Cancellarij; ille Italiæ; hic Galliæ. Sequitur Archiepiſcopus Saltzburgenſis, maximus & dignitate & diuitijs. Epiſcopus Magdeburgenſis ſe Primatem Germaniæ inſcribit. Bremẽſis & Hamburgenſis quoq; multas iuriſdictiones habuerunt. Sequuntur deinde plus quam 40. Epiſcopi, & Magnus Magiſter Ordinis Teutonici & Magiſter Equitũ Hieroſolymitarum. Sunt quoque ſeptem Abathes, ijque Imperij Principes. Inter Principes ſæculares obtinet primum locum Rex Bohemię, qui eſt ſupremus Dapifer, Dux Saxoniæ Mareſcallus: Marchio Brandenburgenſis Camerarius; Comes Palatinus

Archi-

Architriclinus Imperij: Prҽter hos Principes ſunt 34.alij Duces, inter quos habent primum locũ Archiduces Auſtriæ.Inter Duces Imperij quoque numeratur Rex Daniæ propter Ducatu n Holſatiæ. Sunt deinde Marchiones,Lantgrauij,Comites, Barones innumeri.Ciuitates liberæ (quarum 96. eſſe ſolebant,nunc ſunt circiter 60. quҽ omnes ſe ipſas proprijs legibus regunt) Vlterius obligatæ nõ ſunt, quam quod duas quintas partes,eius quod in Conuentu conſentitur,contribuunt. Earum aliquæ Imperiales dicuntur (ſicut diximus) quod cenſum Imperatori ſoluant,qui cenſus in totum ad 15.florenorum millia accedit; Habent ciuitates ſatis amplos reditus,qui vt plurimum onera excedunt. Aeſtimatur Imperium in totum habere plus quam ſeptem Myriades in reditibus, quod pro reparui momenti habendum non eſt. Cum enim populi grauati non ſint,vt in Italia,dant præter ordinarium ſuis Principibus maxima ſubſidia,quando id requirit neceſſitas.Imperium obligatum eſt,ſaltem ex conſuetudine,præſtare Imperatori, quando Romam vadit vt coronetur,20.peditum, & 4.equitum millia, ſpatio octo menſium,diciturque ideo ſubſidium Romanum,Reditus ciuitatum & Principum laicorum, valde creuere,tum vſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum,tum varijs Impoſitionibus populo impoſitis, quҽ cum in Italia ortum habuerint, facile ſe diffuderunt (exemplum enim malũ creſcit ſemper) per Franciam & Germaniam. Neceſſitate exigente, contribuit Imperium maximas pecuniarum ſummas,colliguntur que extraordinarie: Vt eæ contributiones facilius colligi poſſint, eſt Germania in decem circulos diuiſa, in quibus fiunt Conuentus particulares, pro executione Edictorum, quæ in

Dietis

Dietis Imperij facta ſunt,& alijs ſimilibus inciden-tibus. Vires Germaniæ ſunt abſque dubio maximæ: Copia enim commeatuum inexhauſta eſt. Reditus ordinarij & extraordinarij permagni, & modus colligendi commeatus facillimus eſt, propter fluuiorum opportunitatem. Quod ad populum attinet æſtimatur totum Imperium in exercitum educere poſſe, tum equitum, cum peditum ducenta millia, cuius experimentum factum fuit bellis, quæ ſupra commemorauimus, docet id quoque experientia. Ab anno enim Milleſimo quingẽteſimo ſexageſimo ſexto permultum belligeratum eſt in Francia,& in Belgio militibus Germanis, quorum factæ ſunt, fiuntque adhuc quotidie conſcriptiones non minus frequentes, quam magnæ, cum peditum, tum equitum: Vno eodemq́ue tempore VVolfgangus Dux Bipontinus duxit in Franciam 12. peditum & 8. equitum Germanorum millia, pro Huguenotis, erantq; in ea (Francia) adhuc alia quinque equitum millia, quibus præerat Comes Mansfeldius pro Catholicis. Guilelmus Naſſauius habebat in Belgio & finibus Franciæ octo equitum,& 10. peditum millia dictæ nationis,& dux Albanus tria millia. Taceo de numero Germanorum, qui Flandriam ingreſſi ſunt Duce Caſimiro, & Franciam eodem Duce Anno 1578. Eorumque quorum pars anno pręſenti eam ingreſſa eſt in auxilium Regis Franciæ; pars vt auxilio eſſet Fœderi Catholicorum Franciæ. Vt extremam manum imponam: Cum continuo belligeretur in diuerſis Europæ partibus, natio Germanica adeo numeroſa eſt, vt abſque ea nullæ fere fiant expeditiones. Non loquor hic de Flandris, qui aliquot vicibus, exercitum 80. millium virorum colligerũt, iiſque reſtiterunt potentiæ Francorum: Aut de Hel-

uetijs,quos 120.peditum millia,ad ſui defenſionem poſſe cogere æſtimatur: Eorum aliquando plus quã 30.millia extra ditionem miſerunt in defenſionem Status Mediolanenſis aduerſus Franciſcum primum Franciæ Regem. Sed vt ad inſtitutum reuertamur: Inter Germaniæ pedites meliores cenſentur Tyrolenſes,Sueui,& VVeſtphali: Inter equites Brunſuicenſes,maxime autem Cliuenſes & Franconienſes: Inter arma melius tractant Germani Enſem Sariſſamq; quam Sclopeta. Valent Germani ſatis prælijs campeſtribus, tam ad confligendum cum Hoſtibus quam ad ijs reſiſtendum: Multum enim facit ordo, qui ipſis quaſi naturalis eſt, inceſſus grauis & firmus,armaque quibus vtuntur defenſioni apta:parũ valent ad defenſionem munitionem,& propter corporum grauitatem,& quod vt plurimum ventricoſi ſunt,oppugnationibus inepti habentur. Sunt itaq; Germani potius conſtantes,quam audaces, feroces, quam ſtrenui: Non enim tentant res,in quibus magnanimitas eluceat: In victoria occidũt ſine exceptione ætatis & ſexus,in quoſcunque incurrunt:Si bellũ in longum ducitur, aut obſidentur, dedunt ſe præ ſegnitie:Si in caſtris degunt, moram patienter non ferunt nec ſciunt vincere cunctando: Si prima molimina non ſuccedunt ex ſententia,ſtant attoniti caduntque animis:In fugam ſemel coniecti nunquam amplius recolliguntur:In eo præſtant Hiſpani omnibus nationibus: In Germanorum militia magni ſumptus faciendi ſunt,multæ quoque moleſtiæ eſt, quod vxores ſecum in bella ducant, tantumque abſumunt commeatus, vt eum conuehere difficile, conſeruare quaſi impoſſibile ſit: abſque commeatu autem nihil boni ſperandum eſt. Equi Germanici potius fortes quam animoſi ſunt,& cum ex decem,

qui

qui in bellum ducuntur, octo ab aratro ſumuntur, parum proſunt: videnteſque ſanguinem vileſcunt: contrarium accidit Aſturconibus, ijs enim creſcit audacia. Concludendo rem; Peditatus Germanicus in ſuo genere equitatu potior eſt. Vires maritimæ Germaniæ terreſtribus minores non ſunt, quamuis eæ non adeo in vſu ſint, ſicut terreſtres. Ciuitates enim Hamburgum, Lubeca, Roſtochium & aliæ, habent hæc centum, hæc 150. naues, quibus æquant vires Regum Daniæ & Sueciæ. His viribus adeo fortis potenſque eſt Germania, vt vnita nullum hoſtem timeat. Viribus quas diximus Germaniæ, iunguntur (cum opus eſt) auxilia Principum Italiæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ: Hi enim Principes in neceſſitate nunquam defuere Imperio. Bello enim *Zigethano* miſit Emmanuel Dux Sabaudiæ ſexcentos equites Sclopetarios; Coſmus Florentiæ Dux tria peditum millia, quibus ipſe ſtipendia dabat: Alfonſus 2. Ferrariæ Dux ipſe profectus eſt, cum mille & quingentis equitibus adeo probe inſtructis, vt in caſtris melior equitatus non eſſet. Eo ſe quoque contulit Gulielmus Mantuæ Dux, cum inſtructiſſima cohorte virorum. Henricus Lotharingus, Guiſiæ Dux, ei expeditioni interfuit, cum trecentis nobilitate claris viris. Cum his militibus & alijs quos adiunxit Papa Pius Quintus, habuit Maximilianus ſecundus ſub ſignis centum peditum & 35. equitum millia: Ordines Imperij ei in Comitijs Anno 1566. Auguſtæ Vindelicorum habitis, conceſſerunt 40. peditum & 8. equitum millia in 8. menſes & 20. peditum & 4. equitum millia in tres annos ſubſequentes.

(·.·)

PONTIFEX RO-MANVS.

PONTIFICIS Romani amplitudo eſt duorũ generum: Vna conſiſtit in dominio quod habet: Altera in authoritate ſpirituali. Dominiũ temporale eſt duorum generum. Vnum eſt vtile, niſi velimus dicere immediatum: Alterum eſt directum & mediatum. Quod ad dominium vtile ſpectat, Papa bonam Italiæ partem poſſidet nempe omnino id quod inter fluuium quę vulgo Fiore dicitur & Caietam, inter Primaro & fauces Truentij eſt (excepto Ducatu Vrbini.) Eo ſpacio comprehenduntur Prouinciæ, Bononienſis, Romandiola, Marchia, Vmbria, Ducatus Spoletanus, Patrimonium Sancti Petri, Latium. Hic Status eſt ex præcipuis Italiæ, tum propter ſitum (eſt enim quaſi in eius centro, extenditurque à mari Adriatico ad Tyrrhenũ) tum etiam propter ſummam annonæ copiam, frugum præcipue, olei & vini. Romandiola enim non tantum ſibi, ſed etiam vicinis oleum vinumque producit, mittitque eorum magnam copiam Venetis, & in Illyricum, conficit quoque Ceruiæ, ſibi & alijs Sal. Marchia aliquot vicibus ſuppeditauit Venetis, vſq; ad centum Stare (menſuræ genus eſt) frumenti millia, magnamque olei quantitatem. Quamuis Vmbra tantum frugum non habet: vt eas foris emittere poſſit, alieni tamen ipſa non indiget: Vinum fere vndique in ea creſcit, habetque pecudes, multis quoque locis ſatis croci. Patrimonium & Latium plus quam ſemel frugibus adiuuerunt Genuam, ali-

quibus

quibus quoque vicibus Neapolim. Hic Status gente audace bellicoſaque plenus eſt, ęſtimaturq; ipſum in eo excedere omnes alios Italiæ Status: Poſſent colligi ex Bononienſi, Romandiola, & Marchia, plus quam 20. peditum millia, ex reliquo tantundem. Tempore Papæ Clementis ſola Marchia ſuppeditauit 15. militum millia in eiuſdem auxilium. Ciuitates præcipuæ ſunt Roma Orbis caput, in qua centum hominum millia numerari poſſent: Bononia, quæ plus quam 80. millia vtriuſque ſexus ſuppeditare poſſet, Perugia, Ancona, Rauenna, Ariminium, Ceſenna, Forum Iulij, Fauentia, Imola, Macerata, Firmum, Aſculum, Camerinum, Spoletum, Norcia, Rietum, Tarnia, Narnia, Ornietum, Viterbum, Aſſiſium, Folignum Todi & forte 30. aliæ. Nec deſunt Arces munitę: Inter eas eſt Caſtellum, & Burgus Romæ (ſi perficiatur) ciuitas Oruietum, quam natura muro cinxit, Terracina, Ciuitas Caſtelli, Fanum. Poſſent muniri multæ ciuitates, quæ loci & ſitus commoditate excellunt, nempe Aqua pendens, & Mons Phaliſcorum, Viterbum, Ancona, Spoletum, Narnia, Portus & Ciuitas vetus. Multum ſplendoris & amplitudinis etiam huic ditioni Statuique Eccleſiaſtico, addit multitudo familiarum tam pacis, quam belli artibus illuſtrium, quæ in hac ditione ſunt, quod in cauſa eſt, cur Reges & Principes Chriſtiani ſuis exercitibus & factionibus, Duces inde petant. Si Princeps huius Status non eſſet Eccleſiaſticus ſed ciuilis, ſiue vt vulgo loquimur ſecularis, Prouincia Romanorum nullo Principi Italiæ frequentia populi aut potentia cederet. Habet Pontifex, præter hæc, Statum Auenionenſem in Francia, in quo quatuor ciuitates, & 80. oppida muris cincta ſunt. Habet in regno Neapolitano, Bene-

uentum. Quantum ad dominium directum ſpectat, Papa eſt Patronus Regni Neapolitani, & Siciliæ, quę Feuda alia omnia nobilitate ſuperant, præterea Ducatuum Vrbini, Ferrariæ, Parmæ, Meſſerani & aliorum. Inſula Hibernia & Regnum Angliæ iuris Eccleſiæ Romanæ, eique tributaria fuere: Habet ius ſupremum in omnium ordinum Religionis & in Clerum. Confert quoque beneficia omnia. Habet itaque Mille remunerandi modos, & ſicut dicebat Xyſtus Quartus, Papæ non deerunt pecuniæ quam diu ipſi manus erunt calamus. Pius Quartus habuit à Religionibus, quadringenta aureorum millia, & ſi renunciationes beneficiorum, cum regreſſibus, & compoſitiones admittere voluiſſet, ſicut ei conſulebatur, aureorum Myriadem recipere poterat. Paulus Tertius, cum Imperatore, & Venetis fœdus aduerſus Turcas fecit, tulitque ſextam impenſarum partem, miſit Carolo Quinto, in auxilium belli, contra Lutheranos 12. peditum millia & quingentos equites, ſuis ſtipendijs militantes, euexitque ſuam familiam, in eam amplitudinem, in qua eſt. Pius Quintus, miſit quatuor peditum millia, & mille equites, in auxilium Caroli Noni Regis Franciæ. Sixtus Quintus, quinque annis & ſemis, ſui Pontificatus collegit quinque aureorum Milliones, impenditque magnam pecuniæ vim in Aquæductibus, Fontibus, Pyramidibus, Palatijs, Templis.

DVX SABAVDIAE.

DOMINIVM Ducis Sabaudiæ patet in longitudine ad 300. miliaria Italica, initium faciendo à finibus Comitatus Burgundiæ Breſſæq;, progrediendoq; ad fluuium Seſiam ſupra Vercellam, eius latitudo eſt, 160. miliarium, incipiẽdo à monte Sancti Bernardi & Valle Auguſtæ, ad mare Liguſticum vſque, vbi eſt Nicea Prouinciæ, vulgo Nizza en Prouenza, taliſque eſt eius forma vt in ambitu nongenta miliaria comprehendat. Totũ hoc Dominium ad Orientem videt Statum Mediolanenſem & Marchionatum Montisferrati: ad Occidentem ei eſt fluuius Araris, vulgo la Saone, & Liber Comitatus Burgundiæ: à Meridie iungitur Prouinciæ & Delphinatui, & Liguriæ, Comitatuſq; Niceæ alluitur mari Liguſtico: ad Septentrionem habet Heluetiam. Diuidi poteſt Dominium Ducis Sabaudiæ in partes duas, ſicut & Alpes id diuidunt. In Sabaudiam nẽpe & Pedemontium. In Sabaudia ſunt Epiſcopatus Tarentaſienſis, Maurianenſis & Beleienſis, habetque Dux nominationem Epiſcoporum. Sunt quoque in Sabaudia tres Arces ſiue Caſtella, vulgo dicuntur Bourg en Breſſe, Mommelian, Nuntiata. Sabaudiamque iuhabitant quingenta animarum millia. Solebat Dux ſtipendia largiri aliquot Turmis equitum leuioris armaturæ, Sabaudis, qui ſe ſtrennue gerebant in præſidijs Breſſæ, & Chamberiaci, ſed Dux vt ſumptus, quos in eã militiã faciebat, belli tempore melius collocaret omnes illos

milites dimiſit. Nobilium virorum Duci Feudatoriorum magnus eſt numerus, qui ſe in armis exercent, quod ſæpe cum Francis bella geſſerint Sabaudi. Pedemontium nihil ſimile cum Sabaudia habet. Hęc enim montoſa eſt, Pedemontij autem pars maxima plana æqualiſque eſt, aſpectu iucunda, nec ſolũ delectat eius amœnitas viſum, ſed eius cãpi fertilitate eximij, multũ lucri adferũt colonis. Frumẽta .n. ſuppeditat Sabaudiæ & Heluetijs, aliquãdoq; Genuenſibus, quod niſi faceret, vili in Pedemontio viui poſſet, ſed dicti vicini adeo magnam annonæ copiam inde petunt, vt ipſum Pedemontium penuria aliquando laboret, acciditque vt Frumenti Saccus, qui Scuto aut nummo Aureo & ſemi venundari ſolebat, aut ad ſummum duobus, Scutis aureiſue nummis, tribus, aliquandoque quatuor væneat. Pedemontio includitur Ducatus Auguſtæ, vulgo Duche de Aoſta, dictus, continet is magnum Arcium numerum; Feudorum quoque, quæ nobiles poſſident: ſinguli horum non magnis pollent diuitijs; ſed omnes ſimul magnas poſſident opes. In Pedemontio ſunt quoque territoria Vercellenſe, Canauenſe, Comitatus Niceæ. Suntque in eo ſeptem ciuitates, Auguſta nempe, quam ædificauit Auguſtus, ab eo nomen eſt adepta: munita haud eſt Auguſta, ſed pulchris valde muris cincta: Secunda ciuitas Vercellæ dicitur: Tertia Inurea: Quarta appellatur Aſta: Quinta Mondeuium: Nicea ſexto loco numeratur: Septima Taurinum, vulgo Turino nomen eſt, hęc Archiepiſcopi ſedes eſt, ſæpeque hic verſatur Dux. In Pedemontio ſeptingenta millia incolarum ſunt, quorum numerus quotidie maior fit: Hic populus haud vilis eſt, ſed multi eorum ſtrennui ſunt milites, ſed pauci artibus mechanicis incumbunt,

nec

nec eas magni faciunt, ſufficere ſibi putant victum & amictum, in eo imitantur nobiles, qui mercaturã haud exercent, quamuis cõmoditate, quam Padus fluuius eis offert mercaturam cum Mediolanenſis Status incolis, multarũ ciuitatum ad ripas Padi ſitis exercere poſſent, immo & cum Venetis, ſed hoc ipſi non curant, extraneos antem mercatura Telæ, Canabis, Lanæ, & pauci Serici, magnas ſimul parare diuitias; dici itaque poſſet, quod quidquid mercatores lucrantur, id eis à Pedemõtanis dono dari, quod ipſi id ſi parare poſſent, ſi vellent: Pedemontani in id ſolum incumbunt, vt Penuarium probe ſit inſtructum, vtque laute viuant, ipſiq; Artifices mechaniciq; ferina carne, alijſq; precioſis cibis veſci volũt: dici itaq; poteſt, Pedomantanos quidquid habent inſumere in luxũ: Ducem id quidem male habet doletq; ipſum quod magis induſtrij non ſunt, offertq; ipſis modũ exercendi mercaturam conſequendiquè lucrum: Aquæ ductus fieri curat, omniaq; tentat, vt ſomnum eis excutiat. In Pedemontanis induſtria requiritur, ſed id obedientia erga ſuum Principem penſant, vitæ quoq; innocentia: ſunt enim adeo ſimplices manſuetiq;, partim naturali inſtinctu, partim timore Fiſci, vt amanter quieteq; inter ſe viuant, raraq; ſint inter ipſos homicidia vulneraq;. Habet dux plus minus viginti virorum millia ſelectorum, qui armis inſtructi ſunt, nempe partim Pectoralibus, partim Sariſſis Sclopetiſq;; ſunt diuiſi ſub Capitaneis, qui alios ſuperiores agnoſcunt, ij vulgo Colónelli dicũtur: Hi milites ſemper ſe exercent, fiuntq; eorum luſtrationes certis temporibus. In Pedemótio numerantur plus quam octingentæ Arces, quæ nobilibus in Feudum ſunt cõceſſæ, Feudatariorumq; communi voce, plus minus ſepties mille eſſe dici-

tur, ſique ij præſtarent quod debent tenenturque facere eſſet Dux Sabaudiæ potens admodum, is habet ordinarie tres Triremes inſtructas.

O P E S.

REDITVS Ducis Sabaudiæ ordinarij extraordinarijq; accedũt ad quingenta Aureorũ millia, nempe Vectigal Salis 50000. Teloniũ Suſę 24000. Vectigal mercium exterarum 18000. Alia vectigalia, cum eo quod Villafrancæ ſoluitur dicunt accedere ad 25000. Ordinariũ antiquũ cum eo quod Baliaggi accedit ad 70000. Taxa ordinaria Pedemontij, cum mutatione Salis, ab alio montium latere; in Vectigal ordinarium perpetuumq; 263000. Confiſcationes bonorum, condemnationes, augmentum ſubſidiorum, compoſitiones delictorum. Cenſuales qui vulgo Tagliabeli dicuntur, hi homines, de ſuis bonis diſponere haud poſſunt, niſi pendant aliquam pecuniæ ſummam Duci pro eius arbitrio, & Tributum, quod pendunt Iudæi, & ex ſimilibus rebus percipitur 50000. Summa totalis eſt aureorum num. 500000. De expenſis nihil certi dici poſſet, tamen hoc ſcitur in militiam impendi Aureorum 10000. In Aulam Ducis 60000. In Duciſſam 20000. In Triremes 22000. Duci Nemorſio cognato Ducis, penduntur Aureorum millia 14. In Stipendia Officiariorum ab vtroque Alpium latere, Senatum, Cameras Iudiciarias aliaque, impenduntur 90000. In Legatos & res extraordinarias inſumuntur Aureorũ 16000. In Donatiua 12000. In Viridarios & eos qui Duci ſunt à pedibus 10000. Dux impendet in res ei gratas 10000. Summa harum impsſarum accedit ad 300000. Aureorum millia.

MAGNVS DVX
ETRVRIAE.

POSSIDET Magnus Dux, cum iam coniunxerit Status trium Republicarum Florentiæ nempe, Piſanæ & Senenſis, prouinciam Etruriç, aut eius partem maiorem, nobiliorem pulchrioremq;. Habet enim hic Princeps in ſuo Statu vnito 15. Ciuitates, in Statu nempe Florentino & Piſano, Piſtoiam, Volatterram, Arezium, Burgum S. Sepulchri, & Montem Politani: In Statu Senenſi ſunt 7. Ciuitates, Sena nempe, Mons Alcinoi, Groſſettum, Svvana, Pientia & Maſſa, quæ ciuitates omnes, excepta Sena & Piſa populo ſatis frequentes ſunt, ſed poſteriores duæ libertate diu gauiſæ, ſeruitutis iugum ægre inuiteque ferentes vacuæ fere derelictæ ſunt, exemploque alijs ſunt, quam durum ſit ijs inſeruire, cum quibus diu contenderis, ſed huic malo Princeps ſingulari induſtria ſtudioque remedium adferre ſtudet, ipſaſq; ciuibus frequentes reddere. Piſis nempe erecto studio, quod nunc ibi mediocriter floret, nomenq; adeptum eſt per Italiam; fabricari quoque ibidem curat Princeps Triremes, aliaque ad rem maritimam ſpectantia: Iuſſit quoque ibidem habitare Equites Ordinis ſancti stephani. Degitque præterea Dux ibidem quotannis duobus aut tribus menſibus Hibernis, procurat quoque culturç idoneas reddere multas Paludes vt aerem male ſanum, purum ſanumque reddat: Ciues denique Piſanos (quod ſummum eſt) multis oneribus liberat, eoque medio illos ciues, qui patrios lares deſer-

deſeruerunt,allicit inuitatque vt redeant in patriã, quamuis ſub iugum miſſam,ſed quæ nunc à multis extremiſque malis liberata ſit, videturque hæc res ſuccedere,poteſtq; Status Piſanus populo frequens dici,cum in eoFlorentinoque,ſint plus quam octingenta animarum millia,& in Statu Senenſi plus minus 600000.Populus hic omni arti exercitioque aptus eſt,docetque id abunde ſingularis ſplendor artium mechanicarum liberaliumque huius prouinciæ;induſtria in mercimonijs exercendis, ſtrennuitas in armis,& ingenium multorum huius regionis in bonis literis excellens: Fertilitate quoque gaudet hæc Prouincia, ſeque abundare poteſt dicere, omnibus rebus, quamuiſq; territorium Florentinũ Frumento non abundet,habet eius loco Vini, Cannabis aliarumque rerum neceſſaria in magnam copiam, præter eam quam habet Senenſis ditio, cuius agri vulgo Maremme dicti, fertiles adeo ſunt, vt Apuliæ agris haud cedant;nec ij(agri Senenſes) ſolummodo ſupplent præſtantq; quod Florentia opus habet,ſed etiam elargitur Genuenſibus, Lucenſibus alijſque vicinis regionibus. Etruria itaque ſua fertilitate,inquilinorumque induſtria abundans, multumq; ſuarum rerum exteris impertitus,ipſa paucarum rerum externarum indiga, magnas coaceruat opes;Eæ enim aut induſtria parantur, aut ex Reditibus percipiuntur,qui multi magnique eſſe ſolent in regionibus fertilitibus,ſed in regionibus ſterilibus florent artes mechanicæ mercaturaque. Cum autem Senenſis ditio eximie fertilis ſit, percipiunt eius inquilini opimos Reditus negliguntque mercaturam Senenſes, in ditione autem Florentina parant ſibi multi magnas opes mercatura induſtriaq; ſunt enim in ea ciuitate multi Artifices,ſuntque in

ea

ea nobilia eximiaque opera, in Textrinis texuntur magna induſtria diligentiaque variæ res ex Lana, Serico & Auro,nec ea in re cedit Florentia, Flandriæ:parantur hic quoque Panni ex Auro pulcherrimi,inprimis abundatFlorentia ijs,qui ſe exercent Serico &Lana,quod & faciunt nobiles ditioreſque eius ciuitatis cum honore & lucro ipſorum,totiuſque populi;quod autem Florentinis confectum eſt, non ſolum in eius ditione venditur, ſed diſtribuitur per totam Italiam,imo per vniuerſamEuropam, & in Indiam vſque,vbi mercatores merces valoris centum aureorum vendunt 150. Aureis. Obſeruatum fuit,vno anno Florentiæ confectos fuiſſe pannos,quos vulgo Raſtiæ vocant,valoris duorũ Millionum Aureorum,ingens profecto Summa. Ciuiũ Florentinorum opes,multo maiores fuerunt, cum libertate fruerentur, geſſerunt enim tunc grandia bella,impenderuntq; multum in onera publica, in magnumPalatiorum ſumptuoſorum numerum,expenſis permagnis,à priuatis ciuibus, in ciuitate ædificatis,ſed adhuc maioribus extra ciuitatem, ſicut videtur in planicie & collibus circa vrbem. Clerus quoque,Epiſcopatus nempe, Abbatiæ Præpoſituræ,Xenodochia ditiſſima ſunt, ſicut & multa Monaſteria,percipiuntque hi(vt fama fert)quotannis ex Reditibus quingenta Aureorum nummum millia.Opes priuatorum valde ditant Principis ærarium;Facultates enim priuatorũ nihil ſunt quam Principis Theſaurus,in multorum loculis diuiſus, præcipue cum priuatorum facultatibus vti poteſt Princeps,quod Magno Duci facile eſt, medio onerum,quæ in vſu ſunt Florentiæ.Ex dotibus percipit octo,pro vnoquoque centenario tantundem ex venditione & emptione bonorum immobilium & domuum.

muum, Locatores domuum pendunt decimam pretij partem. Litem inſtituentes certam ſummam pecuniæ (quæ vulgo La sportola dicitur) Duci ſoluunt. Datium aut Vectigal quoque penditur Duci, pro animalibus quæ Florentiam ducuntur. Carnis pondere vendita libra, pendit nummum vulgo dictum quatrino. Cambia pendunt certum quid pro centenario, vt abſoluam, omne quod Florentiam infertur, aut ibidem laboratur, habet vt dici ſolet, ſuam campanulam. Vtebatur Princeps, cũ opus eſſet facultatibus ſuorum ſubditorum, modo qui ſequitur admodum facili: cum enim opus ei erant centum aut ducenta Aureorum millia, conficiebatur Catalogus eorum, quibus paratæ erant pecuniæ, eoſque probe norat Princeps. Iiſdem pecunioſis ciuibus imponebatur pecunia petita, ſed exigebatur ab vnoquoque, pecunia maior aut minor ſecundum eius facultates, ſed ab vno nunquam vltra quinque nummum millia exigebantur. Facta diuiſione ſignificabatur vnicuique, quantum intra dies aliquos numerare deberet in depoſitorio, terminumque præfixum nunquam elabi ſinebant cum timore pœnæ, tum ne Principis gratia fauoreque exciderent. Qui pecuniam impoſitam numerarat, creditor inſcribebatur pecuniæ numeratæ, quæ ei reddebatur poſt 28. menſes, intra quod tempus, in toto Principis Statu, pecunia ab eo petita colligebatur. Hac ratione vtebatur Princeps cum opus eſſet, facultatibus ſubditorum, abſque eorum magno damno. Sed Magnus Dux, qui nunc ad clauum ſedet cum pecunijs non egeat, adeó benignus magnanimuſque eſt, vt mutuo det ſuam pecuniam alijs, tantum abeſt, vt ſuo populo grauis eſſe velit.

Reditus publici aſcendunt ab Aureorum nummum Millionem & ſemis: percipitur enim ex Datijs, Vectigalibus alijſque oneribus ſumma Aureorum ſexcentorum millium: Sena numerat 150000. Telonium Liburni reddit 130000. Datium ſiue Vectigalia rerum maritimarum per vniuerſum Statum, excepto Sena, aſcendit ad 180000. Ex Datio ſiue vectigali carnis, excepta sena, percipiuntur 160000. Ex Sale, Mineæriſque Ferri Argentique tantundem, nempe 160000. Duci accreſcit. Lucrum quoque percipit Magnus Dux ex depoſitijs pecunijs, cuius magnam vim deponit apud Menſarios: Rem item facit ex locatione duarum magnarum Triremium, quæ merces alio deferunt. Fama fert ipſum magnam paratæ pecuniæ vim habere, putantq; aliqui, ipſum in Theſauro MagniDucis mortui, reperiſſe plus minus decem Millionum, & in Cleñodijs valorem duorum Millionum, poteſtque hoc colligi ex computando Reditus & impenſas quas Magnus Dux mortuus fecit multis iam annis. Eſt itaque Magnus Dux Etruriæ tam ſua qualitate, qnam amplitudine Status numeroque populorum, pecuniaque quam habet, pacis tempore colendus, belli autem magnifaciendus. Eius Status poteſt dici Ferreus, præter enim naturalem fortitudinem montium, qui ipſum à tribus lateribus cingunt tanquam muri, habet ad quartum latus multas validaſque Arces, nempe in ditione Senenſi, in qua numerantur quinque ciuitates munitæ, sena nempe, quæ & natura Arteque munita eſt, ſicut & mons Alcinoi, Groſſetum & sovana. Vltra has ciuitates ſunt & aliæ Arces alicuius momenti, Radicofanũ nẽpe, Montefalco, Lucignanũ Monteriggonum aliæq;, ſed præterquam quod in

carum

earum forma aliquid deſideratur, nimis paruę ſunt, nec multos defenſores capere poſſunt, nec ijſdem ſeipſis tuendis ſubducendiſque locus eſt. In Statu Florentino, ciuitates omnes quæ numero 7. ſunt, mediocriter munitæ dici poſſunt, (excepto Montepolitano) præcipua autem Florentia, quamuis vndiquaque muris ſicut nunc fiunt vnita non ſit; ſunt in ea duæ Arces, vna Fanum Miniati, in colle ſita, ea vniuerſæ ciuitati imperat; altera Arx planiciei dicitur, tempore libertatis ædificata. Ambæ Arces, quãuis ædificatæ ſint, vt ijs tanquam Frenis populus coherceatur, neceſſitate tamen vrgente ijs ſe defendere poſſunt Florentini contra exteros hoſtes ſed preterquam quod earum forma laudari non poſſit, nec ex ijs hoſtes offendi queant, laborant etiam paruitate. In Fano Miniati habet Magnus Dux 40. in alia autem 100. Præſidarios milites. In Statu Florentino, & Piſano, ſpectantur adhuc aliæ Arces Empoli nempe, Pratum, Liburnum, Caſtrocarum in Romandiola & Saxum vulgo Saſſo, omnibus ijs multæ res neceſſariæ deſunt, ſuntque omnes paruæ incapaceſque.

VIRES.

QVOD ad vires Magni Ducis attinet, primumque Terreſtres habet Dux validam grandemque militiam peditum, in ſuo Statu conſcriptorum ad 30. millia vſque, vel ad 36. millia vt ipſemet Dux faſſus eſt. Hæc militia egregie ſe habet, natura enim diſciplinæ militari aſſueuit, eſtque id proprium ei Prouinciæ. Temporibus enim antiquis moderniſque egregios validoſque dedit milites, numquam

numquam non eos in arte militari exerceri curat diligenter Magnus Dux, vtiturq; in hoc negocio multis Capitaneis præclaris. Vnuſquiſque militum quoque ſtudet Sclopeta prope diſplodere, tam ſeipſum oblectando, quam præmijs à Principe allectus. Suppeditat hanc militiam Magni Ducis, ditio & ciuitates, excepta Florentia, quod forſan Magno Duci ſecurum non videatur arma populo Florentino in manus dare. Ex conſcriptione militum nemo excluditur præter Presbyteros & Scholaſticos ijſque qui nomina militiæ non dedere haud permittitur arma ferre, nec in ciuitatibus nec extra ipſas, nulliſque qui conſcripti non ſunt, ſtipendia mereri nec domi, nec extra apud alios, ſub pœnis grauiſſimis, permiſſum. Gaudent hi conſcripti milites multis priuilegijs immunitatibuſque, propter debita incarcerari non poſſunt, ſicut alij, cumque hæc priuilegia inuiolabiliter obſeruentur, multi veterani milites, belliſque in Etruria, Francia, regionibuſque Orientalibus geſtis exercitati, huic militiæ Magni Ducis libenter dant nomina, habeturque ea militia, cum propter numerum, tum propter militium virtutem ex præcipuis Italiæ: vnuſquiſque eorum tenetur arma ipſi à Magno Duce vſui data conſeruare, nitidaque ſeruare, vt ijs neceſſitate vrgēte poſſit vti, abſque Magni Ducis diſpendio. Militiā hanc, poteſt Magnus Dux intra 6. aut 8. dies congregare adunareque in ciuitate Florentia, cum quod ea ſit in meditullio Etruriæ, & tanquam Centrum ditionum Magni Ducis, æqualiter vicina omnibus eius partibus, tum propter commodum modum, regulam ſummamque facilitatem, qua hoc fieri poteſt. Eſt præterea alia deſcriptio, qua continetur Foſſorum magnus numerus, his vtitur Magnus Dux, etiam pa-

cis,tempore,in ædificandis Arcibus, ducendis flu-
minibus,meliorandiſque agris,cui negocio,magna
diligentia incumbebat Magni Ducis pater. Equites
centum inſtructos ordinarie habet apud ſe Magnus
Dux,datque eorum cuique pacis tempore Septem
Aureos menſtruatim, belli autem tempore ordi-
narium ſtipendium; præter hos ſunt quadringenti
equites, leuioris armaturę quibus mẽſtruatim nu-
merat 3. Aureos pacis tempore, cum autem viget
bellum recipiunt ordinarium quoque ſtipendium.
Hi Equitatus conſcribuntur in Magni Ducis ditio-
nibus,vltraque ſtipendium gaudent multis immu-
nitatibus realibus & perſonalibus,euaduntq; ſtren-
nui milites. Quando egreditur ex Algerio magna
Piratarum manus ad depredandum non plene fidit
Magnus Dux præſidiarijs militibus, in Turres ad id
ſtructas diſtributis quæque ſibi inuicem ſigna fa-
ciunt,ſed Turres ſecuras reddit Equitibus, eoſque
ipſis Turribus.Præter hunc Equitatum habet adhuc
vnam Turmam Equitum Magnus Dux. Hæ ſunt or-
dinariæ vires Magni Ducis, ſed is extraordinariæ
multo plus virium ſibi parare poteſt; eius enim di-
tio populoſa numeroque ſupradicto referta eſt.Ex-
terorum autem militum talem numerum conſcri-
bere poteſt,qui ſufficiat, eiſque ſtipendium ſicut a-
lij Principes erogare.Dux Coſmus, multam curam
rei maritimæ impendidit ſciens quod in ea caput
rerum ſitum ſit,quodq; ille Princeps Magnus haud
dici poſſit,qui Mari potens non ſit,motus itaque his
rationibus inſtigatuſque à ſuis proprijs delibera-
tionibus,quæ ad maiora ſemper aſpirabant procu-
rauit,obtinuitq; per Carolũ V. Imp. à Domino Plũ-
bini, vt is ſibi cederet inſulam Ietam ſiue Elbam ei
ſubditam,quod is(Dominus Plumbini) eã aduerſus
Pyratas

Pyratas tueri nõ poſſet(erat enim ab ijs vaſtata)poteratq; ea inſula, ſi ſegniter defenderetur, occupari à Turcis, quod ſi accidiſſet, magnam calamitatem damnumque toti Italiæ adferre potuiſſet, propter inſulæ Elbæ ſitum, cuius Reditus tamen gubernatio que villarum locorumq; muris carentium, Domino Plumbini manſerunt. Eſt in hac inſula Portus Ferratus, vulgo Porto Ferraro dictus, magnę cuiuſcumque claſſis capax, huc tanquam loco ſecuro appellunt fere omnes naues ex Occidente venientes, quæ deinde tenduntLiburnum, ibique merces magno Principis commodo deponunt. Si inſula Elba in alicuius poteſtate eſſet, qui numerum ſufficientem Triennium haberet, alijſque vellet damnum inferre, is facile maritimas regiones ſuperiores Barbariam, inferioreſque, Prouinciam, Liguriam Etruriamque è infeſtando, ſibi dominium eius maris parare poſſet, ita vt nemini liceret, eo in mari nauigare, quam cui id permitteret. Poſſidet Magnus Dux in hac inſula paruamTurtim, quam eius pater, à ſuo nomine dixit, Coſmopolim, ſuntque ad cuſtodiam Portus in ipſius ore, in apice duorum montiũ duæ Arces, quæ cum nunc ſint perfectæ, habentur pro munitis & fere inexpugnabilibus, cum ſitu tũ artificio. In ijs ſunt multa Tormenta bellica, omneque munitionis bellicæ genus, ibi quoque eſt Nauale Magni Ducis, in eoq; magna abundantia lignorum, Fregolo, Cannabis aliæq; materiæ ædificijs idoneæ, poſſentq; ibi armari multæTriremes. In TerritorioPiſano eſt magna abũdantia dictarum rerũ, parantq; ea ciues Piſani ſibi nomen augentque rem familiarem: in hoc Nauali parum leboratur pluſq; naues reficiunt, quam nonas parant Eſt adhuc aliud Nauale MagniDucis in inſulaElba, vbi ſunt eiusTriremes, opificumque qui in eo operas faciunt, pars

maxima eſt,naturalium in ditione Magni Ducis aut
ſunt exules,aut allecti lucro.Habet Dux 12. Trirē-
mes nempe,8.inſtructas,duas autem nondum para-
tas.Prætereaque tres naues vulgo Galeaſſes dictas,
quæ mare ſulcarunt,pręter adhuc duas, quæ nondū
ſunt nauigationi idoneæ. Vt militiæ maritimæ vi-
res,maioremque reputationem pararet Magnus
Dux Coſmus, inſtituit Ordinem Equitum Sancti
Stephani,obtinuitque à Pontifice Pio Quinto mul-
ta Priuilegia, licentiamque percipiendi penſionem
ſuper bona Eccleſiaſtica ad ducentos Aureos vſque,
poſſuntque ij Equites vxorem ducere, ſed in claſſe
militare debent,nec poſſunt frui Cōmendis benefi-
cijſq; Ordinis, niſi in Triremibus per annos tres
militauerint.Vt huic Ordini nomen dignitatemq;
pararet,Magnus Dux, eius Magiſter eſſe voluit,inq;
id officium ſucceſſit eius filius,diſtribuitque maio-
ra officia,inter ſuos miniſtros præcipuos. Militiæ
terreſtri maritimæq; vt vigeat,præfecit Dux, mul-
tos præclaros Capitaneos militareſq; viros Italiæ,
largiturque eis opima ſtipendia; inſtrumentis bel-
licis probe inſtructus eſt Magnus Dux, ſuntque eo-
rum in Arce Florentina plus minus 150.nempe Tor-
menta campeſtria,ſuntque eius Arces probe inſtru-
ctæ,præcipue eæ quæ ſunt in Elba. In Arce Florenti-
na eſt magna vis pulueris pyrij,globorū,rerum-
que victui neceſſariarum, nempe Fru-
menti,Milij,Carnis ſalſæ, Aceti,
Caſei & ſimi-
lium.

DVCES FLORENTINI.

ALEXANDER, furtiuo Laurentij Medicei, Vrbini Ducis, cum materna ancilla congreſſu editus, ab auia Alfonſina tenui cultu educatus, viuo Leone Decimo Pontif. Rom. patruo magno, in ſubſidium pereuntis ſtirpis receptus eſt. Clemente autem Pontifice Cæſareanis armis capto, à Florentinis deficientibus Medicea domo exturbatus, aliquamdiu in ſubalpino agro ad Taurinũ exulauit inops, donec Florentinis perdomitis, vetereq; exutis libertate, collato Principis titulo, eſt præfectus. Qui dominatus breuem ipſi atq; turpiſſimum exitum tulit, quippe qui ab agnato & æquali Laurentio Medice, in ædes ipſius & cubiculum perductus, ab eo laudem liberatæ à Tyranno patriæ affectante, nocte alte ſtertens, nefarie gladio per coſtas adacto eſt transfoſſus Anno 1573. Vxor Margareta, filia Imp. Caroli V. ex adamata puella. Nupta exinde fuit Margareta, Octauio Farneſio Parmæ & Placentiæ Duci.

Coſmus, Ioannis Medices, Bellatoris eximij filius, ſecundus Dux Florentiæ interfecto Alexandro à 48. viris creatus. Arcem maximæ molis, in vrbe Florentia conſtruxit, præſidijſque firmauit; iuſtitiæque laude Rempubl. adminiſtrauit. Senarum vrbem Imperialem, ob eiectum præſidium Hiſpanorum, obſeſſam, cum ampliſſimo territorio, Galliarum Regis copijs à Marchione Marignano profligatis, in ſuam poteſtatem redegit, Anno 1555. A Pio V.

Pontif.Rom.in Magnum Ducem Hetruriæ creatus eſt, Anno 1569.quod ipſi magnam Auri ſummam,ad rebelles domandos ſubminiſtraſſet,inter viuos eſſe deſijt,Anno 1574.ætatis ſuæ 55.

Franciſcus magnus Dux Hetruriæ Secundus, patri in gubernatione ſucceſſit Obijt Anno 1587.morte ſubitanea,nec ſine veneni ſuſpicione. Vor prima Ioanna,Soror Imper.Maximiliani Secundi,Secunda Blanca caſtellana Veneta, mortua quinque horis poſt maritum.

Ferdinandus Magnus Dux Hetruriæ Tertius, Dux Florentiæ Quartns, èx Cardinale; hunc enim Pius V.Pontif.Rom. in cæſi fratris Ioannis Cardinalis creati locum,& patris merẽtis ſolatium Anno 1561. ætatis ſuæ 13. galero Cardinalitio donauit. Fratri Franciſco Tertio ſubitanea morte extincto in gubernatione ſucceſſit. Symbola ei aſſcribuntur. 1. Crux,cuius latera ſunt, acuminatis cordibus ſimilia,in ſuperiori parte coronata,circa quam quinque globuli,Mediceorum inſigne, ſupra his vero galerus Cardinalitius,è quo ad vtrumque latus Cardinalitia pendent ligamenta,cum inſcript:à Domino factum eſt illud. 2. Nauis mari commiſſa, & à vẽto impulſa,cum inſcript:Proſpero motu.Vxor Chriſtina, filia Caroli Tertij Ducis Lotharingiæ.

DVX VRBINI.

IOANNES Franciſcus Gonzaga patri Io. Franciſco, Domino Mantuę ſucceſſit. A Sigiſmundo Cęſare Mantuæ in magnificentiſſimo Tribunali in foro D. Petri primus Marchio creatus, Anno à Chriſto nato 1433. conceſſis ipſi inſignibus Aquilæ nigræ, albo in campo, cum cruce rubente. Obijt rerum geſtarum gloria clarus, principatu inter filios diuiſo Anno 1444.

Ludouico Gonzagæ, pater Ioannes moriturus Mantuam, Macheriam, Goitum, omniaque ad Veronam ſita tribuit. Patre viuo Piccinino & Mediolanenſibus militauit contra Venetos, à quibus captus Litrum perſoluit. Cum fratre Carolo diu dimicauit, ad extremum tamen victor. Fridericum Tertiũ Imp. & Chriſtianum Primum Daniæ Regem hoſpitio ſplendidiſſime excepit Anno 1469. in vrbe multa ædificauit magnifice: Aedis D. Sebaſtiani fundamenta iecit: templi S. Andreæ horologium abſoluit abſolutiſſimum. Fato conceſſit Anno 1478.

Federicus Mantuæ Marchio Tertius, bello & pace multa ſapienter egregieque geſſit. In ciues ſuos tanta fuit beneuolentia, vt re ſua familiari pecuniaque mutua præter vllam compendij fructuſue ſpem eos iuuaret: plurimas in vrbe artes opificiaque exerceri voluit; deſidiam & otia ante omnia deteſtatus: ingenia ſuorum temporum humanitate, liberalitate, gratiaq; ſumme fouit. Hoſpites præcipuis honoribus habuit. Obijt Anno 1484.

Franciſcus Secundum fata patris Federici principatus, inſignia cepit Anno 1484. primus omnium

Italiæ Principum barbam perpetuo aluit. Diſciplinæ militari ſtudioſiſſime vacauit; quapropter non apud Italiæ ſolum magnates ſummum exiſtimationis gradum tenuit, ſed etiam apud Maximilianum Primum Imp. & Ludouicum XII. Regem Francorum; à Venetis item ob illuſtrem animi magnitudinem, & immenſum pugnacis ingenij ardorem, delectus Imperator gemino bello victor extitit cum inſigni gloria. Cæterum vir prædicatur bonus, & dexter, erga ſuos milites liberalis, erga hoſpites magnificus, erga ciuitates amans. Poſt inſignem rerum egregie bello geſtarum gloriam ſupremum diem finijt Anno Chriſti 1519.

Fredericus Marchio Mantuanus Quintus 3. Non. Aprilis Anno Chriſti 1519. ſolenni ritu Sceptrum Imperij ſumſit in porta templi Cathedralis, nulla re patri inferior, commendatione militaris virtutis fuit; quamobrem cum à Leone X. Pontif. Rom. tum à Florentinis, copiarum præfectus, ætate adhuc prima eſt conſtitutus. Carolum V. Imp. poſtquam Auguſtalem coronam à Clemente VII. Pontif. Rom. Bononiæ ſumſerat, ſplendidiſſime hoſpitio excepit; à quo in Ducem Mantuæ electus, in ſequenti anno, qui fuit 1531: vxorem duxit Margaretam Gulielmi Paleologi Montisferrati Marchionis filiam, cum dote illius Marchionatus: Obijt Anno 1540.

Franciſcus Dux Mantuæ & Marchio Montisferrati Secundus puer ſeptennis ſolennia principatus cepit, ſub tutela patrui ſui Herculis Cardinalis. Nō multo poſt nuptias cum Catharina Ferdinādi Imp. filia celebratas, quum fortuito in Mintium fluuium incidiſſet, ab cordis ſyncope febrem continuo contraxit, quæ eum breui conſumſit, Anno CHRISTI 1550.

Gulielm-

Gulielmus ſacris initiatus Franciſci fratris ſucceſſit in vtroque Mantuæ & Montisferrati principatu à Maximiliano II.Imp.in Ducem Montisferrati eſt inueſtitus, & magnis priuilegijs donatus Anno 1573.Obijt Anno 1587.

Vincentius poſt patrisGulielmi fata rerum gubernacula ſuſcepit.

1 Ottone vel Odone Antoni Vrbini & Monfeltrij Principe,ob libidines,in quaſuis matronas,præſertim Virginem nobilem,populari furore trucidato, ſucceſſit in gubernatione Fridericus vir prudens, facundus,literatus,in Mathematicis diſciplinis excellens,& ingeniorum amator, bello felix, pace clarus,apud Italiæ Principes honoratus, à ſuis dilectus,Vrbinum ſplendidis ędificijs exornauit,pręcipue ſumtuoſa illa domo,cumBibliotheca magnifice inſtructa,quam ingenti multitudine voluminũ optimorum,Auro,Argento, Serico mirifice opertorum ornatorumque, repleuit,à Sixto IV.PP. Dux Vrbini primus renunciatus eſt,educatus à ſocero in omnibus artibus liberalibus vſque ad II. ætatis annum,quo Mantuam miſſus, per biennium literis incubuit honeſtis ſub Victorino Feltrio, à Sigiſmundo Imp.Eques Auratus creatus eſt. Varijs in bellis feliciter rem geſſit, generalis Florentinorum contra Alfonſum Regem Neapolitanum Anno 1447. conſtituitur.In ludicro certamine equeſtri oculum amiſit dextrum Anno 1450. Senis obijt Anno 1452. pacem cum Malateſta fecit Anno 1459.Pio II. PP. pacem componente, & Forum Sempronij pretio 11000.Aureorum nummum ab eodem Galeatio Malateſta emit.In bello quod Veneti aduerſus Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem geſſerunt, Padana aura inſalubri febrim concepit, qua extinctus eſt

Ferrariæ

Ferrariæ Anno 1482.ætatis 60. Corpus Vrbinũ portatum,& in S.Bernardini monaſterio,quod extra vrbem ædificauerat,ſepultum eſt.Symbolũ eius fuit, Tria ferramenta,ex quibus ignis excutitur trigonice poſita,& in medio Silex cum inſcrip:Non quodvis tero.

2. Guido Vbaldus vel Guido Baldus Ducis Friderici filius, Dux Vrbini ſecundus fuit. Educatus in diſciplina Ludouici Odifij Paduani,ſub quo in literis Græcis & Latinis plurimum profecit. Patre defuncto militiam ſequutus eſt,inſeruijtque Innocentio VIII. PP. contra Ferdinandum Neapolitanum Regem.Ciuitates rebelles in obedientiam reduxit. Florentinis contra Piſanos militauit & horũ Rempubl.prorſus euertit,Dux copiarum Alexandri VI. PP.aduerſus Vrſinos in hoſtium poteſtatem, amiſſo exercitu venit Anno 1497.Poſtea à Cæſare Borgia circumuentus,vim eius & carcerem vix euaſit.Anno 1501.mox Paulo Vrſino Grauinæ Duce, Vitellocio & Oliueroto Firmiano ad Senegalliam captis, profugere coactus, ſed Alexandro VI.PP.mortuo, rediẽs,ſũma omniũ volũtate & lętitia receptus eſt. Iulio II.PP.gratus.Reliqua vita trãquille acta moritur Ἀπαις Foſſonbronæ Anno 1508. ſepultus iuxta patrẽ,cũ adoptaſſet Franciſcũ Mariã, nepotẽ ex ſorore Ioanna,Princeps & moribus, & virtutibus & litteris præſtans.Elephante cingulo ligato, multiſq; muſcis infeſtato pro Symbolo vſus eſt,cum inſcrip. Virtus vnita.

3. Franciſcus Maria Roboreus natus Anno C. 1491.adoptatus in familiam Monfeltriam , Feltrij cognomen accepit, & Dux Vrbini III. à Guidone Baldo affine & anteceſſore deſignatus eſt. Patri in Soræ, Senegalliæque principatu ſucceſſit. Iulij II. PP. pa-

P P.patrui copias duxit,ſed à Ioan.Iacobo Triuultio fuſus eſt. Alidoſium Cardinalem, apud Rauennam trucidauit,quod Bentiuolis Bononiam reddidiſſet. Reconciliatus patruo Pontifici Iulio II.cum Galliæ Regis Ludouici XII.partes ſequi in animo haberet, Piſauri Principatu donatur Anno 1512.12 Februarij, cuius poſſeſſionem accepit Anno 1513. A Leone X. P P.tota Vmbria ac Piſauro pulſus, Vrbini Ducatũ amiſit,quem P P.dedit Laurentio Medici. Exercitu itaque collecto,qui confecto bello Veneto,à Gallicis Ducibus dimittebatur,magnum terrorem Pontifici & Florentinis incuſſit, verum deſertus à ſuis nihil effecit,ſed ad Lotrechium ſe conuertit. Leone X. P P.defuncto Vmbriam, & Ducatum Vrbini, vt legitimus hæres recepit,auxilio Hiſpani Anno 1517. & Imperator Veneti exercitus factus, cunctando hoſtes,vt prudens princeps vicit,Pauiam eis recepit Anno 1528.multas ciuitates ad dandum Tributũ coegit.A Paulo III. P P.afflictus eſt,ob Camerini negocia,quam ciuitatem ratione nurus ſuæ poſſedit. Sapientiſſimus & grauiſſimus Capitaneus,comparandus etiam,cum quouis ex antiquoribus,à Carolo V.dilectus,veneno ab inimicis necatur Piſauri, Anno 1538.ſepultus Vrbini in templo S. Claræ Symbolo vſus,Olea, cum inſcr:Se ſibi.

4. Guidobaldus II. Roboreus vel Monfeltrius, patri Franciſco Duci ſucceſſit,Dux Vrbini IV. Piſauri Dynaſta,Soræ & Senogalliæ Dominus, Literatus & Muſicus celebris,iudicio & in Architectura inſignis,bella plurima ſedauit.Capitaneus generalis vel Imperator totius exercitus à Iulio III. P P. creatus,cum bellum in Hetruria arderet, Anno 1553 quo in officio & dignitate ſeruijt etiam Venetis ac Philippo Regi Hiſpaniarum. A Carolo V. Eques Ordi-

Ordinis Aurei Velleris, creatus. Corruptus à miniſtris malignis, ſubditos inprimis Vrbinates & Eugubianos exactionibus onerauit, ideoque in odium populi incidens tumultum eius expertus eſt, & melancholia grauatus in febrim quartanam incidit, qua menſe integro laborans, moritur in Piſauro Anno 1578. ſepultus in monaſterio Corporis Chriſti, Symbolum eius fuit, Pyramides tres ordine caueæ quadratæ impoſitæ.

5. Franciſcus Maria II. Roboreus vel Monfeltrius Dux Vrbini V. natus Anno 1549. Hiſpaniam in iuuẽtute adijt, & vixit in Aula Regis Philippi, vnde rediens in patriam Anno 1571. Capitaneus claſſis contra Turcas factus, interfuit prælio ad Echinades geſto. Gubernationem Vrbini Ducatus accepit Anno 1574. Princeps humanus, literarum ſtudioſus, in Mathematicis, Theologicis ac Philoſophicis rebus excellens. Bibliothecam ſibi collegit copioſiſſimam & inſtructiſſimam. Symbolo vtitur: Leone erecto, qui dextero pede anteriore tenet gladium, cum inſcr: Non deeſt generoſo in pectore virtus, 2. Palma, cuius altera pars lapide premitur, cum inſcr. Inclinata reſurgo. Vxor Lucretia Eſtenſis, filia Herculis II. Ducis Ferrariæ, quæ pro Symbolo vtitur Palma ad littus maris poſita, in quam flat ventus, cum inſcr: Vti creſcit. Poſſidet Dux Vrbini 7. ciuitates & plusquam 300. Caſtella, ciuitatũ nomina ſunt, Vrbinum, Eugubium, Caglium, Foſſembrona, hæ ſunt Ducatus Vrbini, Fanum Fortunæ Leonis caput eſt Comitatus Monfeltrij, Senogalia & Piſaurum. Dominium Ducis Vrbini eſt admodum fertile, floridum, omnibuſque ad vitam commode tranſigendam abundans, bona eius Dominij pars, ſita eſt ad Mare Adriaticum, quod adprime oportunum commodum-

modumque eſt inuectioni rerum omnium, quæ vndequaque facile fieri poteſt, poſſuntque multa inde commode euehi deferrique ad alia loca. Extenditur hoc Dominium in longitudinem 60. miliaria, in latitudinem 351. conterminum imo inſertum eſt ditioni Eccleſiæ Romanæ, cuius Vrbini Dux Feudatarius eſt, attingit quoque Dominium Ducis Vrbini, fines Florentinorum, ſoluitq; Dux Vrbini quotannis Romano Pontifici pro cenſu recognitioneque Aureorum 2200. Reditus Ducis Vrbini quos percipit ex bonis hereditarijs Gabellis aliſque prouentibus æſtimantur accedere ad centum Aureorum millia quotannis, & ſi vellet Dux ſuis ſubditis imperare, multo maiorem pecuniarum ſummam ab ipſis poſſet conſequi, ſed ipſe inſiſtens veſtigijs ſuorum antceſſorum, volenſque à ſubditis amari, eos non grauat inſuetis oneribus, mauultque minus pecuniarum poſſidere.

VENETORVM CIVITAS.

VEnetorum Ciuitas in intimo Sinu maris Adriatici eſt, adeoque longe diſtat à Continéti, vt inde ei nihil timendum ſit, ſicut nec ab improuiſo impetu, quantumuis magnę claſſis, quod in medio amplorum æſtuariorum ſita ſit, quæ plus minus ducentorum miliarium ſpacio, eam circumdant. Ad commoditates quod attinet, eas permagnas videmus, ſi ſanis oculis eas cõſiderabimus. Dominium enim obtinet dicti Maris quo ciuitati Venetorum

netorum,ſecure magnaque abundantia aduehuntur omnia, ad vitam humanam neceſſaria, ſicut & ex continenti,ciuitatibuſque circumſitis,haud paucis, nec debilibus,quæ omnes ſitę ſunt in ditione Venetorum;quamuis autem dici poſſit in ciuitate Venetorum nihil naſci,adeo magna tamen rerum omniũ copia ibi videtur,venditurquę pretio mediocri, vt creditu difficile ſit,dictu haud facile eſt,quanta cõmoditate Canalium infinitorum,qui hic ſunt,multitudineque permagna Cymbarum (Gondole vulgo dicuntur)agilium pulcherrimarumque,vndique per ciuitatem perueniri poſſit.Sed ei,qui æri parcere vult,per pontes (quorum numerus hic infinitis ex lapidibus ſtructi)tendere quo vult facile eſt,hęc res profecto commoda valde eſt tam diuitibus quã tenuioris fortunæ hominibus. Si pulchritudo Venetiarum ſpectetur,non ſolum inter alias Italiæ ciuitates pulchra ſed admiranda iudicabitur,cum ob frequentiam Palatiorum, regium potius faſtum, quam ciuilem mediocritatem, referentium, tum propter multitudinem Templorum. Adornant quoque Venetias Pontes nobiles, Fora ampla,plurimæque mercatorum Tabernæ pretioſiſſimis mercibus referte,quæ in pulcherrima hac ciuitate, cum ingenti admiratione ſpectantur.Hæc de internis Venetiarum mirandis dicta ſint.Externa autem earum ſunt,Regna,Ciuitates, Oppida, Arceſque quibus dominantur Veneti: Vires terreſtres Maritimæque validiſſimę.Reditus permagni,admiranda ratio regendi Rempublicam, fœderaque cum alijs Orbis Principibus pacta.Incipiendo itaque ab vno capite, dicimus Venetos poſſidere in Lombardia & Marchia Taruiſina 7.magnas, diuites, populoque frequentes ciuitates, præter multa magna Oppida, multaſ-

multaſque Arces. Ciuitates ſunt Bergomum, Crema, Brixia, (vulgo Breſcia) Verona, Vicentia, Patauium, Taruiſium, quæ omnes ſunt munitiſſimæ, excepta Vicentia, quæ quod in medio aliarum ſita ſit, extra periculum eſt Verona autem Brixiaque haud expugnari poſſe exiſtimantur. Oppida Venetorum ſunt Baſſannm, Caſtellum francum in Marchia, aliaque, breuitatis gratia prætermiſſa. Arces munitæ ſunt OrciNoui, Aſola in territorio Brixiæ, Peſchiera & Lignago; poſſident præterea Veneti in Lombardia, Poleſinum de Rouigo, in quo multa oppida perlauta ſunt. Extra Lombardiam, ſed in Italia Septentriones verſus poſſident Veneti fere vniuerſum Forum Iulij (vulgo Friaul & Friuli dictum) quod vltima eſt Prouincia Italiæ ab eo latere. In Foro Iulij nullus n unitus locus eſt præter Arcem Maranum nomine inter Stagna & Eſtuaria ſitam, circa Mare, ſed ea adprime valida eſt, quod fere à Continenti ſit ſeparata, excepta ab vna parte, quæ mediocri militum manu facile poſſet defendi. Eſt ibi quoque Arx Oſopo dicta, præualida, ſub monte ſita. Poſſet hæc Arx, vel maximo exercitui, qui hoc tritiſſimo itinere in Italiam penetrare vellet, tranſitum præcludere, alijs autem itineribus duci non poſſunt Tormenta bellica; in eadem quoque Prouincia eſt Vtinum (aliàs Vtina) vulgo Vdene ciuitas, ſed debilis, in cauſa eſt eius territoriū fortificationi haud idoneum. In Iſtria dominantur Veneti multis ciuitatib., ſed populo infrequētes debileſq; ſunt, excepta ea, quæ Caput Iſtriæ dicitur. Dominiū quoq; obtinent Veneti fluuiorum omnium Inſularumq; Dalmatiæ & Sclauoniæ, in quibus ſunt aliq; ciuitates, aliquotque Arces, Zara nempe & Catarū: ſed ciuitates Dalmatiæ, fortificare non eſt opus,

ex-

exercitibus enim,terreſtri itinere,ad eas penetrari haud poteſt,excurſiones quidem fieri poſſunt, ſed parui momenti,iiſque poteſt facile obuiam iri,mõtes enim ibi ſunt aſperrimi, itineraque admodũm anguſta. Ad Rempubl. Venetam ſpectat in mari Adriatico inſulaCorcyra vulgo Corfir in mari Adriatico cum munitiſſima Arce,eſtque hæc Inſula clauis aut Oſtium Sinus,poteſt mediocri Claſſi ingreſſum præcludere,eoque arcere magnam, validamq; Claſſem. Poſſidet præterea Venetorum Reſpub. Inſulam Cephalonie, Zacynthum, Cytharam & Lucerigo,& in Archipelago Inſulam Zarram. Eius eſt quoque nobilis Inſula Creta vulgo Candia, quæ in circuitu habet miliaria ſeptingenta, ſuntque in ea 4. ciuitates,Candia nempe, (vnde vniuerſa inſula nomen mutuatur) Cauea, Rethimum, & Scithia, quarum duæ primæ ſunt munitiſſimæ,tam ſitu, quã arte;aliæ ſitu tantum fortes dici poſſunt; dignitate Ducali(olim etiam Regia)eminet hæc Inſula, eſtq; ciuitas Candia Metropolis, incoliturque quam plurimis nobilibus Venetis, multique ipſorum in ea nati ſunt; eſt quoque in hac inſula ſatis egregium Nauale. Vt concludatur, Inſula hæc adeo magna eſt fer tiliſque,vini præcipue, vt pro paruo regno haberi poſſit. Hi ſunt Status, dictæ illuſtriſſimæ Reipu. ſubditi,ex quibus percipit(vt ad eius Redituum cẽſuumque enarrationem veniamus)duos aureorum numm um Milliones quotannis,pacis tempore nempe, colliguntur que ij Reditus eo qui ſequitur modo;ex ciuitatibus in Italia,ſupra nominatis percipit octingenta millia, cuius Summæ Brixia & Bergomum ter centum millia ſoluunt; In Venetiarum ciuitate colliguntur ex Datijs & Vectigalibus ſeptingenta millia nummum Aureorum, ſolum enim

Vectigal

Vectigal vini locatur 130. Aureorum mill. quotannis, percipiuntur quoque pecuniæ ex Decimis taxiſque, nobilibus, mercatoribus populoque ciuitatis Venetiarum impoſitis ; reliqua quingenta millia; dictorum duorum Millionum, percipiuntur ex Sale, qui fit multis locis ad mare ſitis, ex Datijs quoq; Vectigalibus & Subſidio, quod ciuitates maritimæ Reipub. elargiuntur. Volunt aliqui hanc Rempub. percepiſſe ex regno Cypri, quingenta Aureorum nummum millia, habeturque pro re certa Rempub. eandem pecuniarum Summam, alijs medijs à ſubditis conſequi. Tanti taleſq; ſunt Reditus ordinarij Reipubl. Venę, cui accidit quod & alijs Principibus Chriſtianis, paucis exceptis, euenire ſolet, nempe, quod ij Reditus, in expenſas ordinarias erogantur, in militiam ſcilicet, Claſſes, in fortificationem Ciuitatum Arciumque, quæ ea opus habent, in Salaria Magiſtratuum, & Officiarios ciuitatum, nec aliquid ſupereſſe creditur; ſi autem aliquid ſupereſſet eo ſoluerentur antiqua debita, vltimis bellis contracta. Quamuis autem ordinarij Reditus, in ordinarias expenſas, quæ pacis tempore fiunt, erogentur, inde tamen inferri non poteſt, hanc Rempub. non eſſe adprime potentem, ij enim Principes Reſpublicæque, alijs ſunt potentiores, quæ plures modos extraordinarie pecunias colligendi habent, talium modorum mediorumque hæc Reſpub. prædiues dici poteſt, pluſque minore cum timore periculoque, à ſuis ſubditis poteſt cōſequi extraordinarie, quam alij Principes, à ſuis populis; quando enim accidit, vt Reſpub. bellum ſibi illatum iri putat, aut Claſſem pręter ordinarium inſtruere vult, quamuis pax vigeat, facit id qnando Turcus magnam claſſem emiſit, tunc Reſpub. modis extraordinarijs pecunias

colligendi vtitur, ſunt ij modi multi diuerſorumq; generum, qui tamen poſſunt ad tres modos reduci. Primus eſt multiplicatio decimarũ, nobilibus impoſitarum, ciuibus quoq; qui ex bonis Stabilibus, Reditus percipiunt; multiplicantur autem decimæ hoc modo, quod loco vnius, quæ quotannis pendi ſolebat, penduntur duæ aut tres, pro voluntate Senatus; quod & fit, cum duplicatur Tux ad Sumptu mercatoribus indicta, ſecũdum valorem mercium, ſoletque ea facta accedere ad decimam lucri ipſorũ partem, quam etiam pendunt nobiles, ciueſque ditiores. Primo huic modo includitur alius Cenſus, qui populo iudicitur, quando præter ordinarium inſtruitur claſſis; omnia enim Opificia, certum hominum numerum Reipub. commodo ſoluere debét, facile Reſpub. itaq; primum hoc colligendi pecunias modo, vti poteſt, ſoluuntque omnes libenter, patriæque ferunt auxilium. Si hic modus non ſufficit, tunc Reſpub. ſecundo vtitur, is eſt, vt nobilibus Officiarijs per aliquot tempus nihil detur, edicitq; præterea vt Officia honoratiſſima, quæ nobilibus meritorum ergo dari ſolebant, venundentur, non autem in perpetuum, nec plus offerenti, potius enim quam ea Officia indigno conferre ea, ei qui minus obtuliſſet traderent, ſi is virtute præſtaret. Hoc modo collegit Senatus dimidium Millionem tempore belli, quod Reipub. Venetæ exiguam ſane ob cauſam, ab omnibus Chriſtiani Orbis Principibus illatum fuit ex fœdere Cameraci inito. Eſt preterea alius colligendi pecunias modus, qui depoſitum Concilij dicitur, eſtq; huiuſmodi: iunioribus, quibus Concilij ingreſſus eſt interdictus, id mediãte pecunia conceditur, admittunturque ij ad functiones Officiorum. Tertio modo ad colligendam

pecu-

pecuniam vtitur Senatus Venetus,quando Reſpub. maxima neceſſitate vrgente,cogitur pecunias à priuatis perſonis mutuas ſumere, quas cum via beneuola nanciſci non poteſt rapit eas vi vendendo mobilia,aut immobilia ciuium ſi neceſſe eſt; quamuis autem id fiat,haud inde oritur tumultus generalis aut alicuius momenti quod poſſet fieri apud alios ſubditos;pro exemplo ſit.Si Senatus ſtatuiſſet,vt tertia pars bonorum omnium priuatorum ciuium haſtæ ſubijceretur,fieret vniuerſæ venditionis Summa,cuius Reſp.ſe debitricem inſcribit priuatorum ciuium,quibus promittit Senatus ſoluere res ablatas,poſt aliquem annorum lapſum,finite bello, ſoluit pro vſura aliquid certi quotannis, nempe duo pro centenario,ſatisfitque creditoribus intra annos 30.ſolui itaque hoc modo Reſpub. debita antiquiora. Dicuntur hi vulgo Pro di monte vecchio:Soluit quoque Reſpub.alijs,5.pro centenaria, quotannis, diciturque hoc vulgo Monte nuouo, etiam Monte di ſuſſidio,vſuras has ſoluit Reſp. reſpectu debitorum primis,recentiorum,aut ſoluit amplius, promittitque ciuibus breui reddere creditum, vocatur hic Monte nouiſſimo.Soluuntur itaque facile debita 25.aut 30.annorum ſpacio, ſi nullum ſit bellum, quod quantum poteſt fugit Reſpub.quę etiam ſolet pecunias depoſititias,(ipſi dicunt in Zecca) recipere ſoluitque ijs qui eam deponere voluerunt octo pro centenario, ſed ſolum pro annis 18. præter hoc multa bona immobilia publici iuris Sorti,vulgo Lotto dictæ(Gluckhaſſen,Lotturni) expoſuit,quæ ſchedis ex Olla,publice, præſentibus Senatoribus extrahuntur.Tales tantiq; ſunt modi mediaque colligendi pecunias, quibus Reſpub. vſa eſt bellis ante geſtis, poteritque ſequenti tempore ijs

re ijs vti:poteſt quoque Reſpub. augere Datia Vectigaliaque mercium,pro Senatus beneplacito. Vt concludatur;habet Reſpub. infinitos conſequendi pecuniam abſque tumultu modos à Nobilibus, ciuibus populoque immo neceſſitate vrgente multi nobiles mercatoreſque ſua ſponte, ſequentes exẽplum Principis Reipub. dederunt magnam pecuniarum vim,eorumq; aliqui dederunt vxorem cymelia,conſiderantes afflictam,Rempub. ijs plus egere quam vxores vt ſe ijs ornarent, nec ſolum priuatæ perſonæ ciuitatis Venetiarum. Reipub. pecunijs ſubuenerunt, verumetiam ciuitates Venetis ſubditæ idem fecerunt, pro ipſorum facultatibus, vltra Vectigalia Summamque pecuniarum, haud exiguam ipſis impoſitam:præcipuiq; Regni Cypri cum adhuc Venetis pareret,miſerunt Reipub.vt tãto citius fortificatio ciuitatis Nicoſiæ abſolueretur centum Aureorum millia,vnde facile iudicari poteſt ingruente neceſſitate, plus daturos fuiſſe; omnes enim generaliterque amant manſuetum leneq; Imperium huius Reipub.laudantque adminiſtratio nem iuſtitiæ,quæ pauperibus æque ac ditioribus incorrupte adminiſtratur.Eſt itaque in hac magnifica ciuitate tritum prouerbium, non multum referre, ſi publicæ pecuniæ exiguæ ſint,modo priuati diuitijs abundent,poteſt enim Reſpub.facile ab ijs conſequi pecunias.Ad militiam Reipub. Venetæ quod attinet,cum Senatus Veneti ſcopus ſit cauere ne offendi poſſint,nec cauſa ſit,quare alicui ipſorum ditionis parti timere debeant,ædificarunt tamen ædificant ædificabuntq; multa Fortalitia, vt ſuæ ditiones ſecuriores ſint;earumque numerus generaliter loquẽdo adeo magnus eſt,vt nullus alius Princeps, aut potens Dynaſta ſit,qui tot,tam perfecta tantiq; momen-

momenti poſſideat: Sunt enim Reipub. Fortalitia permagnis Aggeribus intrinſecus inſtructa, ſicut & muris præter modum pulchris, Propugnaculis validis, Vallis quæ vulgo Cauailleri dicuntur probe ſtructis foſſiſque (vt decet) profundis ampliſque; multæ quoque ciuitates validiſſimæ habentur propter aquam, quæ ipſis adimi alioqui deriuari haud poteſt, aut ſaltem niſi valde difficulter, ſicut ſunt Taruiſium, Lignago ad Crema; aliquarum circuitus adeo amplus eſt, planicieſque tam larga vt non queant niſi ab innumerabili exercitu obſideri: tales ſunt Patauium & Verona; in alijs ſunt Arces aut Fortalitia quæ ciuitatibus adeo imperant, vt ſi caperentur, ijs facile poſſent recipi, quod videtur Brixiæ Bergomi & Veronæ. Dominantur præterea Veneti infinitis locis ſecundum maris littus ſitis, quibus facile poſſet ferri auxilium, quod Reſpub. mari multum valeat, nec poſſunt dictæ ciuitates à latere, vbi Continenti iunguntur, bellicis Tormentis quaſſari, cum propter eorum ſitum tum propter territoriũ adeo montoſum ſcopuloſumque, vt Tormenta bellica eo duci non poſſint; Huius ſunt cõditionis omnes ciuitates, Dalmatiæ, Iſtriæ, Inſularumque, defendendis dictis ciuitatibus Fortalitijſque vtuntur Veneti viris illarum regionum, qui fideliſſimi ſunt, curantque in Lombardia virorum 25. millia armis exerceri, appellantur Selecti nomine ipſis vſitato Cernide, quod in vnoquoquo diſtrictu Comitatuque ſeligantur, qui armis ſunt aptiores, eorumque quotannis variæ fiunt luſtrationes particulares, generaleſque; cum autem horum pars maior ruſtica ſit plebs, prælijs campeſtribus inepti, nec ordines ſeruare norint, largitur Reſpub. ſtipendium militibus qui degunt in ciuitatibus ipſi ſubditis, ſicut & exte-

ris,qui ipſorum militibus haud cedunt. Peditatus Italicus,animis,agilitate valet,fortiſque eſt, aptuſque aggreſſibus velitationibuſq;,ſicut & oppugnationibus ciuitatum, ſed ei deeſt ordo ille firmus conſtanſq; quo valent Germani;habetur tamen peditatus Italicus valde ſtrennuus ; habuerunt talium nempe ſubditorum exterorumque Veneti, in ſuis exercitibus plus minus,15.aut 20.millia, largiunturque ſtipendium aliquibus Cantonibus Heluetiorum,Rhetorumque,poſſent itaque Veneti exercitum conſcribere 35.millium militum ſtrennuorũ mediocriumque plus minuſue, prout requireret neceſſitas,diſtribuũtur alij in præſidia ciuitatum,& per Triremes. Pediti numeratur pro ſtipendio 45. dierum,tres nummi Aurei,quando meret,ingruente autem magna neceſſitate ſoluuntur ipſis quolibet menſe 5.nummi Aurei plus minuſne.Equitatum quod attinet,largiturReſpub.ſtipendium Equitibus Cataphractis ſexcentis ſelectiſſimis,quos pro præſidio magnificentiaque conſcripſit; eorũ vnuſquiſque tres ſecum Equos trahere ſolebat,ſed nunc plures duobus non trahit,requiritur autem vt ij ſtrennui pulchrique ſint,Eques 120.nummos Aureos meret quotannis, ij fere omnes nobiles ſunt ciuitatũ in Lombardia Venetis ſubditarum:quantumuis autem in Venetorum ditione progenies Equorum generoſorum non ſit,poſſet tamen Equitum numerus augeri ad mille quingentos vſque. Solebat hæc Reſpublic. in Lombardia , ſtipendia largiri mille Equitibus leuioris armaturæ, ſed parcit nunc hac inutili expenſa,quod ipſis facile ſit magnum Equitum numerum conſcribere,poteſtque vt militibus Dalmatis , qui vulgo Stradiotti & Cappelletti dicuntur,valent multum ad impediẽdum ſubuectionem

nem commeatum hoſtibus, eoſque inſequendum. Præſtant quoque experientia aligitateque, ſiq; rumpantur eorum ordines militares, facile eos reſtituunt,ſeq; commilitonibus iungunt. Talium Equitum poſſet hæc Reſpub.conſcribere in Dalmatia alijſque Inſulis ter mille,paucoque minorem numerum Equitum leuioris armaturæ,in ciuitatibus Italiæ.Exercitibus Terreſtribus præficiunt Veneti Capitaneos exteros. Præcipue autem deferunt Capitanei Generalis aut Gubernatoris decus externo Principi,ſæpeque permagno Salario conduxerunt præfeceruntque ſuis exercitibus Dominos liberos, quales ſunt Marchiones Duceſque. His Capitaneis belli tempore addit Reſpub.duos Senatores virtute præſtantes,qui Proueditores Generales dicuntur, abſque quorum conſenſu, Gubernator aut Capitaneus Generalis prælio dicertare non poteſt,nec aliquam magni momenti rem tentare.

Dicamus nunc de militia maritima, quæ caput rerum eſt,maximique momenti.Primum eſt admirandum Nauale Venetum, quod non ſolum valde magnum eſt,ſed adeo pulchrum,omnibuſque rebus neceſſarijs inſtructum, vt hodie vniuerſo in Orbe ei ſimile non reperiatur;Situm eſt ad vnum ciuitatis caput,mari vicinum, ciuitatique adeo coniunctum,vt ab ea diuiſum haud videatur,ſed pars eius putetur,iudicaturq; eam ob rem à ſpectatoribus maior,quam eſt;cingitur fortibus Muris, ſed nulli ei ſunt Aggeres intrinſeci quod ijs non egeat, cum quaſſari Tormentis bellicis haud poſſit, dicique poteſt in Inſula ſitum eſt quod Canalis ipſum circumdet.Si alio nomine quã Naualis,ipſum appellare velimus,Fortalitium aut Serraglium Venetũ poſſemus dicere. (vulgò Arſenale) Dicto in Naual ali

numerantur ducentæ Biremes vulgo Galere, ſuntq; præter has in mari aliæ Naues, quæ Galere magnæ dicuntur vt diſtinguantur à minoribus: Equites Cataphracti hæ dici poſſunt, quod graues ſint, nec Remibus adeo facile agi poſſunt, ſed multo maiorem impetum faciunt, ſi quæ tales naues in prælio nauali, ventum haberent propitium, vel centum minores quas Subtiles vulgo Sottili dicunt, inuadere poſſent, ſi autem ijs iungerentur minores, claſſis taliũ nauium eſſet inuincibilis, poſſet enim talis claſſis cum velis, tum Remis vti. Sunt in dicto Nauali tot adeoque diuerſa Armorum genera, vt ijs innumeralibis gens armari poſſet, inſpicientique ſtuporem incurit multitudo, videntur quoque ibi tot Tormẽta bellica, vt dictis nauibus poſſint ſufficere, armiſque cum offenſiuis, tum defenſiuis armari nautęque milites, vltraque ea, adhuc tot alia ibi ſpectantur arma, vt naues particularium, Fortalitia, exercituſq; terreſtres cum opus eſſet, eis poſſent inſtrui. Ligni fabricandis nauibus idonei maximam habent copiã Veneti, cum propter qualitatem frequentiamque Syluarum circa mare ſitarum, tum quod curam quã habent Quercuum in ipſorum ditione naſcentium, quæ cum exciſæ ſunt, facile conducuntur Venetias per mare, per flumina quoque, quæ apud Venetias ſe condunt mari. Vt vno verbo dicatur quidquid de Nauali dici poſſet certum eſt quod tale Nauale, quale eſt venetum nunquam fuit, nec eſt, nec erit in Orbe vniuerſo: quod adeo probe ſit inſtructum viris ſtrenuis; ſunt enim trecenti plus minus, qui operi ſemper ſunt attenti faciuntque ſua opera tanta velocitate, vt mirari haud ſatis queat ſpectator, minori enim quam decem dierum ſpacio, integre armarunt 30. Galeras, vt nihil ijs deeſſet, prelioque eſſent ido-

idoneæ. Magnam pecuniarum vim impendunt veneti in Nauale, in quo tantum fabricantur Triremes, vulgo Galeræ paruæ & magnæ, quas ipſi Sottili & groſſe dicunt, & Cataſtopia quæ vulgo Fuſtæ dicuntur, quod Nauium magnarum probeque inſtructarum affatim habeant, ſunt eæ quidem priuatorum, ſed Reſpub. cum opus eſt ijs poteſt vti. Venetis quoq; non deſunt Epibatæ, ciuitates enim maritimæ, ſicut & Continentis ipſæque venetiæ taliũ ſatis ſuppeditant, in Triremibus militant viri ab ipſis conſcripti, quos delle Cernide dicunt. Pars maxima Capitaneorum præfectorumque Triremium (ipſi Sopraconiti dicunt) ex nobilitate veneta ſeligitur, quorum numerus prægrandis eſt, ſuntque in vnaquaque, præter Præfectum, duo Nobiles veneti, vt ſe in diſciplina maritima exerceant. venetis itaque inſtruendæ claſſi nihil deeſt, niſi aliquis eis Pane bis cocto aut nautico opus eſſe diceret, præcipue caritate ingruente; ſed huiuſmodi pane eoque optimo abundant veneti, habent enim multa ampliſſimaque Granaria, in quibus adſeruatur infinita Frumenti aliarumque frugum vis, panis quoque nautici. vt Sinus venetus ſecurus tutuſque ſit, ſicut & maris Ionij inſulæ, ſemper in promptu ſunt 35. aut 40. Triremes quibus præeſt Proueditor & Capitaneus Sinus, facitq; Senatus impenſam in vnamquamque quinque Millium Ducatorum, computando panem nauticum. Hæ Triremes non ſolum reddunt mare ſecurum à piratis; ſed & exercitantur in rebus maritimis multi nobiles, quamuis non vigeat bellum. Hæc eſt magni momenti res, conciliatque Reipub. multum exiſtimationis. Dictus numerus Triremium augetur, quotieſcumque Turca claſſem inſtruit, curantque veneti vt ſua Claſſis par æqualiſq;

liſq; Turcicæ claſſi ſit,eoque caſu conſtituitur Generalis claſſis,quod nomen tanti eſt momenti apud Turcas,vt Sinui appropinquare , multoque minus Venetiarum ciuitati haud audeant. Qnamuis autem Venetorum claſſis,cui tutela Sinus(aliter Golfo) demandata,magna valde potens ſit,haud tamen poteſt naues omnes Sinum Venetiarum ſulcantes ſecuras reddere;minores enim naues,quæ haud longè à littore Dalmatiæ diſcedunt,ſpoliantur ab piratis, qui Vſcochi dicuntur,ij ſe Zegniam , & flumen vulgo Fiume,oppida Familiæ Auſtriacæ ſubiecta recipiũt, ſuiſque nauiculis armis inſtructis, adeo moleſti ſunt nauigantibus,vt Reipub.neceſſe ſit,ſemper ibi in promptu habere Capitaneum & quinque Cataſcopia armata.Huic Capitaneo iniunctum eſt, vt dictos piratas extirpet eradicetque; quamuis autem hæc res,Venetis magnæ ſit impenſæ, multum tamẽ facit , magnoque eſt vſui , vt illi piratæ coerceantur.Qualem autem Triremium nauiumque numerum Reſpub.emittere poſſit,facile perpendi poteſt:cum enim non deſint ligna,Arma,viri,Pecuniæ, tantum nauium numerum educere poteſt Reſpub. quantum putabit opus eſſe;quamuis autem à multo iam tempore,non emiſit Reſpub. plus quam centũ Triremes,paucaſque naues,is tamen qui probe perpendet omnia,percipiet Rempubl. ante ducentos aut trecentos annos,cum ei haud tantæ vires ſuppeterent in expedionem Terr æ Sanctæ inſtruxiſſe claſſem ducentorum Nauium , tantundemque in expeditione Conſtantinopolitana,quando cum Francis eo vela fecerunt; nemini itaque dubium eſſe debet, quod ſi vrgeret neceſſitas,cum Reſpub.ſit diues pluresque ſubditos habeat,Naualeq; melius quam vnquam inſtructum ſit,eam maiorem claſſem inſtruere poſ-

re poſſe. Si id non faciunt, in cauſa eſt, quod tot naues periculo exponere vna vice conſultum ipſis nō videtur. Quamuis autem claſſis Veneta. Turcicæ claſſi numero par non eſſet, viribus tamen ſuperat, nec dubitari debet, quod ſi Veneta claſſis, à Turcica inuaderetur (quod nunquam auſa fuit) facere prælium non recuſaturam Venetam. Quamuis autem ad Reipub. Venetæ clauum ſedeant Nobiles non autem Populus, non tamen dici poteſt, ibi paucos rebus præeſſe, nec etiã multos, minus adhuc dici poſſet ab vno regi, quod ei Princeps aut Dux præeſt, ſed in ea ſpectantur tria regiminum genera, vnde vnum ſolum, idque omnibus numeris abſolutum emergit. Sedet itaque ad Reipub. clauum Dux, in quo Imperij Maieſtas elucet, in veſtitu exiſtimationeque; dicitur vulgo Doge, quod Ducem ſignificat, aut Capitaneum, à quo alij duci videntur propter eius Maieſtatem habitumq; abſoluto Principi conſuetum; creatur hic Princeps electione, ab ipſis Nobilibus, ſed eius authoritas maior haud eſt, quam cuiuſcumque alterius præcipuæ notę nobilis, in deliberationibus enim publicis, vnum tantum votum habet ſicut alij, ipſius quidem eſt reſpondere Reip. nomine, Principum Legatis, eorumque literis reſcribere, ſed nihil reſpondere aut reſcribere poteſt, quam quod Senatus præſcripſerit, ei in omnia Reipublic. Concilia patet aditus, ſuamque ſententiam dicere poteſt ſicut & alij, quibus licet ipſius ſententiæ refragari. Eſt & aliud Concilium paucorum, haud tamen ditiorum aut potentiorum, ſed ſapientia rerumque vſu præſtantiorum, in hoc Concilium, decem tantum admittuntur, diciturque ideo Concilium decem ſapientum, his iunguntur decimo quinto Senatores: quid-

quidquid hi, Princeps, ſexque Conſiliarij ſtatuerint ratum eſt. Sunt præterea infinita Concilia, quæ paucorum dici poſſent, ſique de vnoquoque eſſet dicendum, plus ocij temporiſque requireretur. Concilijs hoc tantum dico, ex omnibus paucorum, componitur vnum, quod multorum dici non poteſt, quod ducenti viginti & quinque Senatores ei non interſint, hoc Concilium certe Senatus dici poſſet, dicitur vulgo Conſilio di Pregadi (Rogatorum) quod initio Reipub. rogarentur ſapientiores prudentioreſque ciuium, vt dicerent ſententiam deliberarentque quid eſſet ex vſu Reipub. Hic Senatores ſeliguntur ex alio ſed maiore Concilio, ſed eliguntur ſapientiores, quod ad ipſos referantur maximi momenti negocia, nimirum bellica, paciſque, fortificationes locorum, conductiones Capitaneorum, creatio, legatorum ad Principes mittẽdorum: leguntur in hoc Conſilio litteræ, quæ Reipub. ſcribuntur: vt concludam, hoc Concilium ſententiam dicit in rebus grauioribus, maioriſque momenti. Poſtremo eſt Concilium quod Reipub. faciem habet quamuis vt verum dicatur non eſt, hancque ob cauſam ad hoc Concilium tantum admittuntur Nobiles, qui libro inſcribuntur. Nec in hoc Concilio nobili, qui annum ætatis vigeſimum quintum non exceſſerit, locus non datur, vt votum det, quámuiſq; aliquibus ex gratia ſpeciali in hoc Concilium ætatis anno vigeſimo, aut paulo amplius, attamẽ decretum annorum 25. firmum manet. Nobilium, quibus in hoc Concilio aditus patet, numerus ad bis mille & quingentos accedit, quod autẽ multi abſunt, foris magiſtratibus præfecturiſque fungentes, non vltra mille ſexcentos conueniunt, quoquo octiduo, nempe die dominico mane, ſicut & hora matutina

dierum

dierum feſtorum,creantur tunc magiſtratus, diſtri buunturque functiones admirando pulchroque ordine.Eliguntur pluralitate votorum,qui locum habere debent in Concilio,quod Pregadi vocant, aut in Concilio decem virali, vulgo di diece in alijs quoque Concilijs,eliguntúrque ſapientiores prudentioreſque totius Nobilitatis. Quamuis autem videatur fortunam multum poſſe vt functionem conſequatur aliquis,non tamen datur ea niſi digno & virtute præſtanti, niſi enim Concilij pars plus quam dimidia,candidatum functione dignum iudicat,eam non conſequitur.Poſſent hic multa dici de mirabili ordine creandorum Magiſtratuum, quamque quiete pacificeque omnia peragantur, ſed longum eſſet,lectorique tædium forte moueret,dicentur ergo ſolummodo neceſſaria nec omittentur hic verba Caſſiodori Rauennatis, qui ſcribit cuidam Theodoro de antiquorum Venetorum moribus,qui quamuis eorum Status multum auctus ſit, eos tamē mores ſeruant adhuc;Paupertas ibi diuitiæque ſunt æquales,vnus cibus reficit omnes.Habitatio ſimilis concludit vniuerſa,neſciunt de pecunijs inuidere, & ſub hac degentes menſura vitia fugiunt quibus Mundus obnoxius eſt. Veſtitus Venetorum ſimilis eſt longus nempe,grauis,pacificus haud pompoſus, vnus idemque eſt cibus,parcus nempe, lege enim ſumptuaria prohibentur nimis Lauta conuiuia,nulla eſt diſtinctio inter diuitem & pauperem, ſed virtus tantum honores meretur; iuuenes reuerentur antiquiores tanquam patres,ipſi amant iuuenes tanquam filios, conceduntque ipſorum aliquibus, vt in deliberationibus publicis ſententiam dicant, id(meo iudicio)multum facit inuitandæ iuuentuti vt rebus grauibus ſtudeat,in ijſque ſe exerceat, quæ

in v-

in vſum ſint Reipub. ipſorumque feruore calefit veterum frigiditas. Vt concludam hic nihil aliud videre eſt, præter æqualitatem laude dignã, nec aliud quam Dei cultus ſpectatur, vtq; Reſpub. quiete pace cui, iuſtitiaque æqualiter adminiſtretur vnicuique, nullo aut diuitiarum aut paupertatis habito reſpectu, ſicut nec Nobilis & Plebei, qui & ſuas partes habent in hac illuſtriſſima Repub. gaudentq; functionibus honorarijs vtilibuſque nempe Præfecturis aliquarum Arcium, Officio Secretarij magnorum Conciliorum, alijſque functionibus, id in cauſa eſt vt populus nobiles amet reuereaturque. Nobiles plebeios protegunt fauoreque eos proſequuntur, iuuantque eos vt functiones quas obire poſſunt conſequantur. Reſpubl. Veneta magnam habet curam pauperum, ſubuenitque neceſſitati ipſorum multis modis, ijſque ipſos adeo ſibi deuincit vt non ſolum tanquam ſubditi, patritios reuereantur; ſed tanquam mancipia; impendit itaq, Reſpub. magnam pecuniarum vim, vt panis aliaque ad victum neceſſaria vili væneant prætio, ideoque mirum haud eſt, quod populus abſque ſtrepitu, cum ingruit neceſſitas, onera Reipub. patienter fert. Populi quoque aliarum ciuitatum, Venetis ſubditarũ, ipſis ſunt admodum fideles, iſque, qui alicui præficitur, aliud nihil pro Scopo habet, quam vt omnibus iuſtitiam adminiſtret, profitque ciuitati ipſius curæ commiſſæ, certuſque eſt, ita faciendo ſibi in patria maiores honores paratos eſſe, ſin autem ſecus faciat, ſe pœnas non euaſurum, nec functionem aliam conſequuturum. Cauſa altera ob quam populo placet regimen Venetorum eſt, quod Vectigalibus grauibus haud onerantur, quibus aliqui Tyranni miſeras ciuitates exhauriunt. Videtur nũc breui-

breuibus aliquid dictũ de hac Rep. quæ ſi cõferatur cum alijs, ante ipſam Orbi notis (de quarum tamen amplitudine nec viribus dicitur, ſed de earũ regimine legibuſq;) cognoſcetur, ipſam omnes alias longo interuallo poſt ſe relinquere, poteſtque dici illas ab hominibus rapinæ deditis ſanguinarijſq; erectas fuiſſe, hæc autem à Deo & philoſophis; quamuis autem Reſp. Romana totũ pene Orbẽ ſibi ſubiecerit, tamen ſuam libertatem tutari retinereq; vltra ſeptingentos annos haud potuit, hæc autem tot potentibus hoſtibus circũdata, quiq; ipſam extirpare conati ſunt, nec Principem exterum aut amicũ quidem datam ſeruarit, experta, tamen ſpacio mille annorum non ſolũ libertatem tuta eſt illibatam, ſed ſola reſtitit Turcarum permagnis viribus, ſicut & potentię Principũ Chriſtianorũ magno admirãdoq; ſucceſſu, cũ enim iudicabatur peſſundata extinctaq; viſa fuit tanquam Phœnix reuiuiſcere, nec videtur ipſam ab aliqua magna potentia vinci poſſe, niſi à peſſimo illo potenteque Verme, diſcordia, quæ vnica machina, ipſam euertere poſſet ſoloq; æquare. Sed maior pars optimi prudentiſq; Senatus continuo inuigilat, vt huic malo eat obuiam. Quamuis autem multis videatur, propter ſcelera, quæ in Venetorum ciuitate quotidie perpetrantur accumulanturq; iram diuinam ipſi imminere, nec pœnas peccatis debitas diutius dilatas iri, ſed ipſam extirpandam funditus, hoc tamen ſcitur, quod præter diligentem inquiſitionem maleficorũ, ſeueraſq; pœnas, quibus Senatus noxios ſubijcit in ciuitate ſunt multi probi pijque, quorum cauſa Deus miſericos, illorum miſertus eſt, miſerebitur, ſeruabitque ipſam in ſæcula ſæculorũ. Nunc ſupereſt vt cõſideretur quomodo huic Reip. conueniat cũ alijs

Orbis

Orbis Principibus:quamuis hac de re nihil certi dici poſſit,hoc tamen ſcitur hancRempub.magni ſemper feciſſe Rom.Pont. ob eorum arma ſpiritualia, videturq; Reipub.res haud proſpere ſucceſſuras, ſi PontificemRom.minus beneuolum haberent. Cum alijs Principibus ſtudet hæc Reſpub.pacem colere, quod potentes adprime ſint,difficileque ſi vires iũgerent poſſet ipſis reſiſtere:ſtudet quoque ipſorum amicitiam conſeruare,quod timeat,ne in medio ſita,ab ipſis præter ſpem impetatur; nouit enim Reſpubl.maximam Principum partem oculos adieciſſe ipſorum ciuitatibus in Italia,quę multæ magnæque ſunt,nec ipſam Rempubl. fugit Principes liberos vereri maleque habere Rerumpub. fortunam proſperam.Regem Hiſpaniarum omnibus officijs colit hæc Reſpub.quodque eum cum Italiæ principibus pacem colere videat,Reipub. ſummopere gratum eſt,quamuiſque ſe arctiore fœdere ipſi coniungere nõ voluerint,nulla alia de cauſa id recuſarũt, quam ne alij Principes ſuſpicarentur ſiniſtri aliquid,præcipue autem Turca,vtque totoOrbi palam foret Rempub.nemini addictam eſſe,nec ipſius libertatem ab aliquo dependere.Dicendum nunc aliquid de ſuſpicionibus,quæ Reipub. oboriri poſſent de alijs Principibus,quod ipſius ditiones ſint diuiſæ longeque extendantur, noritque omnes Principes Reipub.minus æquos. Timet hæc Reſpub. Turcam plus quam vllũ alium, quod terra vinci non poſſe videatur, marique adeo potens ſit, vt amiſſa vna claſſe,facile eam reparare reſtituereque poſſit,parui itaque facere iacturam vnius claſſis,quod ſi ipſis accideret magno in periculo verſarentur amittendi Status maritimi aut ad minimum libertatem maritimam magno in diſcrimine futuram eſſe:

Timent

Timent præterea Veneti, quando cum Turca belligerarentur, ne ingruat caritas frumenti, quo belli tempore exportari vetatur ex Turcæ ditionibus, ex quibus pacis tempore, quantitas frumenti permagna ipſis adfertur; difficultas annonæ aliquando in cauſa fuit, quod amiſerunt, in Albania nempe & in Peloponeſo, ciuitates quæ longo tempore ſtrenue Turcis reſtiterant: magnopore itaque ſtudent Veneti paci cum Turca hoſte potentiſſimo, itaque ſe cum eo gerunt, vt eum amicum ſeruent, faciunt id magnis donarijs patiendoque excurſiones Turcarũ, interim tamen ita muniunt ſua Fortalitia, vt hoſtis haud facile damnum inferre poſſit; eſt Venetis quoq; adprimi vtilis Turcæ amicitia propter mercimonia, quæ in eius ditione exercent; ſi autem Turca Venetos hoſtes vellet, plus forte difficultatis experiretur quam ſibi perſuadet. Timent quoque Veneti Regis Hiſpaniarum vires, norunt enim quantum is viribus valeat in Italia, ſed videntes ipſum paci ſtudere ſcienteſque Reipub. ciuitates, quas in Italia poſſident adprime munitas, ipſum pacem infracturum haud ſperant, quod ſi ipſe Reipub. quietem turbaret, defendendo ſolummodo, neç Remp. aleæ vnius pugnæ exponendo, ſperant eo modo ſe ipſi poſſe reſiſtere, quamuis norint ſe ipſo viribus terreſtribus inferiores. Imperator potius hoſtis occultus quam amicus eſt, ſed ipſi eum haud timent, ſciunt enim eum longo bello ipſis haud parem, nec pecunijs inſtructum, ipſiq; Turcę reſiſtendum eſſe, attamen Veneti ipſius amicitiæ omnibus modis ſtudent. A Rege Francorum potius auxilium expectare poſſunt Veneti, quam offenſam, quod in Italia ei nullæ ſint vires, ſed ſi ipſe Rex in Italia res turbare vellet, quod fortaſſe nũquam facere poterit. Ve-

netos fœdere ſibi iungere potius ſtudebit, quam ipſas hoſtes experiri;ſed Veneti experti ſunt ipſorum rebus magis conducere, vt videant alios ſe inuicem impetere, quam vt ſe iungendo vni, alterum offendant ſibique bellum attrahant. Ab Italiæ Principibus non ſibi timendum putant Veneti, quod inter ſe diuiſi diſcordeſque, ſoliq; potétes haud ſint, ſciunt quoque Pontifices Romanos potius Reipubl. partes amplexuros, quæ ſicut Catholicos decet Pontific. Roman. colit, non conſultum itaque eſſet Rom. Pontifici, ſi Remp. negligeret, Principemque externum exaltaret. Principes itaq; Italiæ, Rempub. potius defendent aduerſus vires Turcarum, quam ſe ipſi iungerent ad exitium Reipub. in qua ſola, adhuc radius antiquæ gloriæ nominiſque Italici ſplédere, dici poteſt. Cum hucuſque ſit narratum quibus ex rebus Reſpub. excellat, quæ res tales ſunt, vt auſcultanti admirationem incutiant, operæ preciũ erit (cum nihil in Orbe ſit perfectum) enarrare quid ei deſit, & quid in ipſa deſiderari poſſet, quantumuis id haud ſit magni momenti. Primum forſitanque maximum quod in hac Repub. deſiderari poſſet dicique ei deeſſe, eſt annonę copia, illiq; obijci adeo magnam illam habere ditionem eamque populo adeo refertam, vt eo nutriendo alterius annona indigeat, quodq; niſi Mari, Venetias infinita annonę quantitas aduéheretur, laboraret eius ditio continua panis penuria, quæ res populis grauiſſima eſt: hæc eſt vna cauſarum quare Reſpub. tantopore conatur cum Turca pacem conſeruare, hanc quoque ob cauſam magnopere colit Regem Hiſpaniarum, qui Venetis ſæpe concedit vt ex Sicilia & Apulia frumentum euehant. Secundo loco vertitur ei vitio, quód nullo Peditatu quam Italico vtitur in,

bellis

bellis, eſtque nimis verum, id in cauſa eſt, quod multum de ſua antiqua reputatione deceſſerit; accidit ex eo, quod pugnandi modi multum ſint mutati nec peditatus Italicus ſtatarijs pugniis valere exiſtimatur, nec comparari poſſe peditatui Germanico. Heluetio Hiſpanicoque; deberet itaque Reſpub. Veneta, in ſuis exercitibus conſcribere, bonum peditum Heluetiorum & Germanorum numerum, quod ſi faceret pluris fierit æſtimareturque Reſpub. Tertio loco taxatur in Venetis, quod ſuis exercitibus aliquem ſuorum ſubditorum non præficiunt, ſed extraneum, quod aliud non eſt, quam ſua externi arbitrio exponere, ſubmittereque. neceſſe quoque eſt, vt Reſpub. multum in extruendis Fortalitijs impendat, cum enim noui excogitentur modi Arcium expugnandarum, neceſſe eſt vt aliquo elapſo tempore mutentur Fortalitia, qua in re, infinitam pecuniarum vim, in vanum inutiliterque abſumſit. Hæc res multum de fœlicitate huius Reipub. detraxiſſe videtur. Sed his malis medicina adhibetur, prudentes enim illi patres, in aliud nihil quotidie collimant, quam vt omnibus Reipub. malis medeantur, nec alio tendunt, quam vt in ipſorum Statu pax quieſque vigeat libertaſque ſalua ſit, ipſi autem quietem non explodunt, non enim rixas particulares, quæque inter ipſos exoriuntur lites, radices agere creſcereque ſinunt, ſed eas ſtatim, aut amica tranſactione, aut ſeueritate illuſtris Concilij X. virorum ſopiunt. Ciues quoque Nobileſque huius Reipub. nunquam tantam reputationem gradumq; nanciſcuntur, nec tantas ſibi parant opes, vt Tyrannidem inuadere tentent, ſed viuunt in ſumma pace concordiaq; inter ſe, vt bonos Chriſtianos decet, agunt itaque vitam quietam, liberam, fœlicemque,

ſperarique poteſt illos, ea diu multoque tempore gauiſuros, ſi pergent, annitentur optimas ſuas leges incorruptas ſeruare Chriſtianeque viuere, ſicut ipſorum pars maxima facit, quod ſi fecerint, habebit ipſorum curam ſpecialem Deus ſicut illos hucuſq; ei curæ fuiſſe palam notumque eſt omnibus.

MAGNI CHAM TARTARI IMPERIVM.

SIcut veteribus ignotæ fuerunt Regiones ad Ortum Maris Caſpij ſitæ (quod Oceani partem eſſe putarunt.) Ita & adhuc parum nobis conſtat de populis omnibus, qui vltra id Mare & montes, qui vulgo Dalanguer & Vſſonte dicuntur, habitant. Marcus Paulus Venetus primus omnium, earum regionum ſatis amplam deſcriptionem edidit, & ab eo accepimus, quicquid nobis de Tartaris innotuit. Longinquitas enim regionum in cauſa eſt, quo minus cognitæ fuere regiones, tum etiam difficultas itinerum, ſituſque locorum: Magnus enim Moſcorum Dux (per cuius ditiones ad illas regiones ire poſſemus) non concedit exteris aditum profectionemque per ſuas ditiones. Mare Caſpium quoque, quod itineri oportunum eſſe poſſet, non frequentatur. Offerunt ſe deſerta denique loca, monteſque infiniti, qui Tartariam à Perſia diuidunt. His etiam accedit, quod nec magnus Cham, ſicut nec Rex Chinæ, nec magnus Dux Moſcorum, ſuis populis peregrinari, nec exteris ſua regna ingredi, concedunt, (niſi ij Legatorum munere fungantur, quibus tamẽ libere verſari non permittitur.) Tartari hic ſub diuerſis Principibus degunt: præcipui ſunt qui viridia inſig-

inſignia in capite geſtant: ij Samarchandum ciuitatem inhabitant, perpetuas cum Sopho alunt inimicitias Bacaranus, qui Mahumetanus eſt: Mogori, de quorum Imperio alio loco actum eſt: Cathainus, de quo nunc agere ordimur. Nulla in Orbe gens eſt, quæ maius Imperium habuit, aut maiores expeditiones ſuſcepit; vtinam ſuorum geſtorum ſcriptores habuiſſent. Scribit dictus Marcus Paulus, hos populos, quondam Ciurzam & Bargam, Prouincias, ad Oceanum Scythicum incoluiſſe, abſque domibus, non dico ciuitatibus caſtelliſque, ſed ſicut Arabes, nunc in hoc, tunc in alio loco, ſecundum paſcuorum oportunitatem, vagos vixiſſe: Recognoſcebant tamen ſupremum Dominum Vncham (quem aliqui Presbyterum Ioannem interpretantur) cui decimas pecudum ſuorum dabant. Progreſſu temporis adeo multiplicati (ſicut Iudæi in Aegypto) ſunt, vt Vncham eos ſuſpectos habens, eorum numerum vireſque minuere cœperit, eos nunc huc, nunc illuc, ſecundum oportunitates, in expeditiones periculoſas longinquaſque amandando. Ipſi autem id animaduertentes, coniunxerunt ſe, concluſeruntque ſolum patrium relinquere, quod & fecerunt, ſuntque tam procul à ditione Vnchami profecti, vt ſibi ab eo non amplius timerent. Poſt aliquot annos ſibi elegerunt in Regem Chingin, cui propter victoriarum & expeditionum amplitudinem, cognomen Magni datum eſt: Regione enim ſua Anno 1162. egreſſus, cum terribili exercitu, ſubiugauit cũ viribus tum æſtimatione, nouem Prouincias. Cum denique ab Vncham vnam ex filiabus ſibi in vxoré dari popoſciſſet, nec id obtinere potuiſſet, ei bellum indixit, prælioque ſuperatum eiecit ex regno ſuo. Poſt Chingis morté, eius ſucceſſores Europam

afflixerunt: Anno enim 1212. expulerunt Poloſoſchos ex confinijs Ponti Euxini, 1228. inuaſerunt deprædatique ſunt Ruſſiam:& 1241. exciderunt Kiouiam Ruthenorum Metropolim: Battuſq; ipſorum Capitaneus diripuit Poloniam, Sileſiam, Moraũiã, Hungariam. Hac de cauſa perterrefacta Europa, Innocentius IV. Papa Anno 1242. ad Aulam Magni Chami, aliquos patres ordinis diuorum Dominici, & Franciſci miſit, vt pacem Chriſtianis impetrarẽt. Sextus à Chingi (qui ſe Cublai nuncupauit) regnum eſt auſpicatus anno 1256. & 60. annorum ſpacio quo præfuit, Imperium per vniuerſum fere Orbem deduxit. Subiugauit enim Anno 1269. Chinam, quam Marcus Paulus Mangi vocat: Anno 1272. occupauit regna Mein & Bengalæ, quæ ditiſſima erant, præcipue Bengalæ, quod ſe iuxta maritima, fere ad 120. leucas extendit, tantundemq; in Mediterraneis dilatatur: Fluuius nobiliſſimus Ganges, ſecat ipſum medium: Metropolis eius eſt Gouro, 4. leucas longa ſed non valde larga, ad fluuium ſita. Sed cum dixerim Paulum, Chinam nuncupaſſe Mangi, neceſſarium mihi videtur id probare, quod factu difficile nõ eſt. Ciuitates.n. Panghin & Nãghin, quas Marcus Paulus, in Mangi ponit, adhuc hodie, ab omnibus, qui de ijs aliquid retulerunt, in China ponuntur, & quod ipſe ſcribit, in Mangi 1200. ciuitates numeratas fuiſſe, ſatis conuenit cum recentioribus Relationibus de China. Facit quoque multum ad rem quod incolæ inſulæ Cipanghi (quam aliqui Iaponiã eſſe putant) Mangi, tunc adhuc dabant nomen Cin. Vna tantum difficultas ſupereſt, quod Paulus & alíqui patres, qui ibi circa Innocentij quarti tempora fuere, pro primaria regni Magni, putant eſſe fama celebrem ciuitatem Quinzai, vbi decies ſexies,

xies, centies mille familiæ numerabantur, de qua ciuitate tamen nullam mentionem faciunt Luſitani, nec patres Ieſuitę, nec alij, qui aliquam cognitionem regni Chinæ nobis dederunt: Id & mihi admirandum videtur, vel ob id, quod Paulus qui in Mangi ponit portum Zaiton (quem omnes recentiores locant in China, inter ciuitatem Cantan & Caput Liampo) aſſerat, quod fluuius qui ſe in eum Portum exonerat, ramus ſit illius, qui Quinzai perlabitur. His difficultatibus reſponderi poteſt, quod ciuitas Quinzai, hodierna die ſita eſt extra Chinam, ad Septentionem illius admirandi muri, de quo diximus. Veriſimile quoque eſt, Quinzai in Tartarorum poteſtate manſiſſe, poſtquam Chinam ſibi ſubiugarunt, tanquam magnæ æſtimationis ciuitatem, & quæ propter ſui ſitus fortitudinem, ſatis facile defendi poſſet, talemque eam vidimus in aliquibus Tabulis, quæ in illis Regionibus exaratæ ſunt. Alij ipſam exciſam dicunt. Cum enim tanti momenti tantique nominis ciuitas ſit, incredibile ipſis videtur, noſtris temporibus (quibus plus quam vnquam Orbis detectus eſt) de ea nullam mentionem factã eſſe: adeo magnæ autem ciuitatis excidium res incredibilis videri non debet: Magnæ enim ciuitates, vt plurimum ſentiunt damna, aduerſaque quæ bella adferunt: China etiam terræmotibus adeo impetuoſis, vehementibuſq; obnoxia eſt, vt ijs ciuitates integræ euertantur excindanturque. Legitur quoque in aliquibus litteris Luſitanorum, magnas, ciuitates, igne de cœlo delapſo abſumptas eſſe: Sed neceſſe non eſt, vt quod ciuitatem Quinzai, intra terminos Chinæ non reperimus, eam dicamus exciſam: veriſimilius eſt, terminos illius Prouinciæ mutatos confuſoſque eſſe (ſicut bello & irruptione

Barbarorum, aliunde factum eſt) quam,vt talis ciuitas nunc in nihilum redacta ſit. Amplitudo imperij Magni Cham Cathaienſis,temporibus ſupra notatis,extendit ſe ab extrema Aſiæ parte , in Armeniam,& à Bengala ad Volgam vſque,vt nihil dicam de Tartarorum excurſionibus, ad Nilum & Danubium vſque. Inde percipitur Alexandri Magni, & Romanorum Imperium , cum illorum dominio conferri non poſſe. Sed cum per Regiones ſupradictas Tartari vagati eſſent,armaque modo huc, modo illuc circumtuliſſent , ſeque omnibus formidãdos tremendoſque oſtendiſſent , videntur vltra montem Caucaſum ſedes fixiſſe. Quamuis autem eorum dominium in multos Principatus diuiſum ſit, nominis tamen amplitudino , & Imperij maieſtas manſit penes Magnum Chamum, qui à Magno Chingi originem ducere exiſtimatur Eius Imperium extendit ſe à deſerto Lop , ab vno latere,& à lacu Kitaia ab altero , ad murum vſque qui ductus eſt, inter 43.& 45.gradũ ciuitatis Ochioi (quæ inter duos montes ſita eſt) ad alium montem vſque,qui ad Oceanum finem habet, diuiditq; Tartaros à Chinenſibus: Et ab Oceano Scythico ad confinia Tipuræ regioneſque vicininas vſque.

O P E S.

Conſcripto ſpacio comprehenduntur multa magnaque regna, multæ amplæque Prouinciæ: Tangunt nempe, in qua ſunt ciuitates Succuir & Campion ex lapidibus more Italico factæ, Ergimul, Carazan Tebet, Caindu, ciuitates, regnorum

norum Metropolitanæ. In medio Imperij, eſt Tenduch ciuitas, quæ Pauli Veneti tempore, erat Presbyteri Ioannis, ſed magno Cham ſubdita; potiſſima quoque populi pars credebat in Chriſtum, ſed Zizaniæ, & Idololatriæ multũ admixtum erat, multi quoque erant Mahumetani. Illic eſt ciuitas Cambalu Imperij caput, continet in ambitu 28. miliaria: & vicina Taiduc, ad lacum ſita; habet in circuitu 24. milliaria: Xaidu vbi Palatium Magni Chami eſt, figura quadratum. Eius vnaquæque facies, octo miliaria longa eſt, continetque quatuor portas: In eo circuitu, aliud eſt Palatiam, quod in vno quadrato ſex miliarium eſt, in cuius medio ſunt tres Portæ ad Meridiem, totidemque ad Septentrionem ſpectantes: in vnoquoque angulorum, & in medio vniuſcuiuſq; faciei, ſpectatur magnum Palatium. In hoc eſt præterea alter circuitus vnius Miliaris, in quadro, ſex Portas, inſtar earum, de quibus ſupra dictum eſt habens, totidemque Palatia. Inter vtrumq; murum viſuntur prata ſyluæq; ; In hoc circuitu eſt Palatium magni Chami, de cuius cõmoditatibus, ornatu, magnificentia meum nõ eſt dicere, ſicut nec de venationibus, aucupio, piſcationibus. Tota hæc regio vt plurimum, plena eſt ciuitatibus populiſq; diuitibus, ciuilibuſque; Cum quod Tartari; (qui ſibi eam in habitationem patriamq; elegerunt) totius Aſiæ, Chinæ, & partis Europæ (quam peruagati deprædatique erant) ſpolia eo detulerint quæ nunquã inde exportata fuere: Tum quod regio, conſuetudini & commercio vnius ciuitatis, cum altera, maxime commoda ſit: Procedit id, partim ex natura planiciei locorum, & amplitudine lacuum, inter quos eſt ille, qui Cazaia dicitur (cuius aquæ ſalſæ ſunt) & qui Cuiam, Dangu, Xandu, Catacora dicuntur: Partim

tim ex latitudine fluuiorum, qui curſu longiſſimo has regiones præterlabuntur nempe Curato, Poliſango, Zaiton, Mecon, (quem Paulus Quion nuncupat) Multum quoque facit varietas fructuum, qui naſcuntur: Abundat enim vt plurimum frugibus, Oryza, lana, ſerico, canabe, Rhabarbaro, Muſco, Camelotis excellentibus, ex piiis Camelorum confectis. Idem Paulus ſcribit, Caindu producere Zinziber, Cinamomum. Caryophila, quod tamen mihi creditu difficile videtur: flumina trahunt ſecum multum auri. Moneta quæ ibi penſilis, vnius nummi aut valoris non eſt. In Cathaio expenditur nummus, ex quadam charta nigra, quæ ex illa arborum pellicula conficitur, quæ inter arboris truncum, & eius corticem reperitur: Ea pellicula cum trita, contuſa, temperataque glutine fuerit, ſignatur deinde impreſſione Magni Chami In regnis Caiacan & Carazan, expendunt Conchylia marina, quæ aliqui Porcellette vocant. Id nummi genus, in vſu eſt in multis Indiæ & Aethiopiæ locis. Hac ratione trahunt Principes ad ſe omne Aurum Argentumque Prouinciarum, curantque id fundi conſeruantque in locis ſecuris, nec inde vnquam aliquid ſumunt. Opinantur itaque multi Magnum Chamum theſauros immenſos habere. Simili arte Presbyter Ioannes, dum grana ſalis piperiſque expendi iubet tanquam nummos; magnos quoque theſauros accumulat. Potum nobilem conficiunt Tartari ex Orijza, & aromatibus, inebriatque plus quam vinum: lacte acido (ſicut & Arabes) delectantur, Lacte quoque ſublimato, quod multum ad inebriandum valet.

VIRES.

MAGNI Chami potentia conſiſtit primum in ſitu, quem munitiſſimum eſſe demonſtrauimus: In amplitudine regionum: In magnitudine ciuitatum: In abũdantia commeatus: In copia redituum. Percipit inter alias res, decimas ex Lana, ſerico, canabe, frugibus, pecudibus; eſtque abſolute Dominus rerum omnium: ſed potentiæ eius nerui conſiſtunt in militia, quam ſemper armatam habet. Milites degũt ſemper in campis, quatuor aut amplius miliaribus procul ab vrbibus. Vltra ſtipendium, quod à Principe recipiunt, faciunt etiam compendium ex ſuis pecudibus, lacte, & lana. Cum magnus Cham militibus opus habet, vocat ad ſe partem illius militiæ, quæ ad formam Legionum Romanarum, per Prouincias diſpoſita eſt. Tartari vt plurimum non peditibus vtuntur præterquam Varcheni, qui Magno Cham non ſubijciũtur. Præcipua eorum arma ſunt Arcus, & ſagittæ, quibus nõ minus fugiendo, quam aggrediendo nocent. In bello valde expediti ſunt: eorum tentoria ſunt ex lana coacta, quibus ſe tempore pluuio cooperiunt. Viuunt vt plurimum lacte, quod ad ſolem exſiccant, poſtquam butirum ex eo ſegregarunt; & ſanguine equorum, dum vrget neceſſitas. In prælijs non congrediuntur cominus cum hoſte, ſed nũc à fronte, nunc à latere; verum perpetua ſagittarum grandine, ad modum Parthorum obruunt hoſtes. Qui ſe ſtrenue geſſerunt, remunerantur largiter, honoranturque altioribus gradibus priuilegijſque, Donarijs quoque. Excubant Magno Cham duodecim equitum millia, æſtimaturque

ipſum

ipſum colligere poſſe multo maiorem equitũ numerum, quam vllus alius Princeps. Eius vires duas ſingulares conſiderationes habent. Vna eſt multitudo copiarum, quæ ex amplitudine ditionis ipſius colligi poteſt: Altera eſt promptitudo earum; perpetuo enim eos in ære habet, quæ res magni compendij eſt. Sicut enim in milite ſpectanda eſt agilitas potius quam robur, ita in exercitibus pluris faciendi ſunt prompti expeditique, quam prægrandes & numeroſi. Illi autem Principes fortes, potentiſſimique habendi ſunt, qui vires magnas expeditaſque habent. Sunt enim hi tanquam Aquilæ, Tigrides, Leones, aut Pardi, quæ quidem animalia inter alia Principatum obtinent, non ob aliud, quam propter agilitatem, robori corporis adiunctam, ſuntq; ijs duabus partibus Equis, Tauris, Bubalis, etiamque Elephantis quamuis multo maioribus ſuperiores.

REGIMEN.

VLTRA ea quæ ſcribit Marcus Paulus, aliqui Angli, qui per mare Moſcouiticum, regioneſque vicinas in Cathaiam penetrarunt, referunt res memorabiles de potentia maieſtateque illius principis, quem Moſci Cæſarem Cathaiæ, Turcæ Vlu Cham, id eſt magnum Principem vocãt; Palatiorum ſiquidem magnificentia, amplitudine ditionis, opulentia theſaurorum, numeroque militum ſuperat omnes Aſiæ Principes regnatque tanta cum maieſtate, vt ſubditi eum Spiritum, vmbram, etiam filium Dei immortalis, inepti dicãt. Eius verbum eis pro lege, in quo ſtat illorum vita & mors,
eſt:

eſt. Tuetur iuſtitiam rigore notabili: criminis enim rei, excepta prima vice, qua virgis acriter cædũtur, ob omne genus delicti, diſſecantur per medium. Videtur quod in eo ſequantur opinionem Stoicorum de æqualitate criminum. Fur quoque priuatur vita, niſi nonuplum perſoluat, tam pro obolo quam pro aureo. In Imperium ſuccedit primogenitus, hac cũ ceremonia, Præcipui ipſorum ſeptem generationũ aut Tribuum, induti albo (quo colore in luctis vtuntur qui & Giaponenſibus mos eſt) Principem ſedere faciunt ſuper pannum nigrum, ex lana coacta, in terra ſtratum, dicuntque ei vt Solem intueatur reuereaturque Deum immortalem, quod ſi faciat, id ei in cœlo copioſius quam in terra remuneratum iri, alias ei vix pannum nigrum, ex lana coacta, relictum iri, ſuper quem in campis recubet, eumque mille calamitatibus afflictum iri. Imponũt ei deinde coronam, Magnateſque deoſculantur ei pedem, iurant ei fidem, honorantque eum muneribus ditiſſimis. Scribitur deinde eius nomen literis aureis, reponiturque in templis maioribus, vrbis Metropolitanæ. Duos Senatus habet, vnum bellicum duodecim prudentum, alterum Statuum totidem Conſiliariorum. Hi tractant omnia, quæ ad gubernationem ſpectant, curam gerunt eorum omnium, quæ ad pœnas & præmia pertinent: Non vtũtur minori diligentia curaq;, in remuneranda fortitudine officijſque præſtitis Imperatori, tam in pace quam in bello, quam in caſtigandis puniendiſque ijs, qui ſe male, aut negligenter geſſerunt. Ijs duabus in rebus, nempe in remunerando & puniẽdo, conſiſtit tanta vis regiminis, vt dici poſſit, maximam Pricipum barbarorum partem, ijs ſolis ſuam amplitudinem retinere. Quam enim aliam regendi formam

formam habent Turca,Seriffus,Mogor, Perſa alij-que? Non vtuntur eo quam in rebus bellicis (paucos enim alios remunerantur quam milites & Capitaneos) imo nec ponunt fundamentum ſuorum dominiorum in alia re, nec collimant in pacem & quietem, ſed in victoriam & potentiam aut amplitudinem; in puniendo ignauos abiectoſque, & omnem excedunt modum in remunerando fortes audaceſque. Nunquam fuit Reſpublica, aut Principatus, vbi robori militari, maiora emolumenta, præmiaq; propoſita fuerint, quam inter hos Barbaros. Sed magis inter Turcas, quam alibi: Tartari quidem, Arabes, Perſæque habent nobilitatem in aliqua æſtimatione precioque: Turcæ excindunt extirpantque nobiles familias, nec aliud magni faciunt quã audaciam & fortitudinem ponuntque in manus mancipiorum, & gentis viliſſimæ ſi ſanguis ſpectetur (tantum curent vt idonei inueniantur capaceſque præclaræ fortunæ) omne ſuum Imperium. Sed redeundo ad Tartaros, & ipſorum ritum regendi gubernandique populos: Aſtrologi illis regionibus magno in pretio eſſe videntur, . ſcribitque Paulus, eorum in ciuitate Cambalu reperiri quinquies mille, & cum Cublai Cham ex illis cognouiſſet, illam ciuitatem rebellem futuram, curauit ædificari aliam, cui nomen eſt Taindu illi vicinam, quæ in ambitu 24. miliaria continet, præter ſuburbia, Quodque in Palatio, quod in Xaindu habet, multi Aſtrologi & Necromantici ſint. Aſtrologia iudiciaria in China quoque magno in pretio habetur. Perſiæ Rex Iſmael, paucas res magnas aggrediebatur, niſi conſilio Aſtrologorum, nec mirum eſt (cum ea ars, in illis regionibus inter Aſſyrios & Chaldeos inuenta ſit) ipſam ibi adhuc florere. Turcæ eam parui faciũt.

Imperato-

ImperatoresRomani eam ſunt execrati & plus quã ſemel,ei cũ ſuis profeſſoribus indixerunt exilium. Vtinam ex Dei eccleſia exularet: nihil enim aliud eſt quam Stolo gentilitatis.Sed vt aliquid de qualitate populorum magno Cham ſubditorũ dicamus: Tartari ſunt vniuerſaliter ſtatura mediocri,humeris & pectoribus longi,facie lati,naſo ſimo, colore ſqualidi,compoſitione robuſti, aduerſorum incommodorumque patientes,equis exercitati, vſu arcuũ dexterrimi.Sicut autem Arabum pars ciuitates incolit,dicunturque Mauri,pars autem in campis degit,vocanturque Baduini: ita & Tartarorum pars habitat ciuitates, tales ſunt Cathaienſes,Bocarẽſes, Samarchandenſes:pars in campis vagando oberrat, dicunturque campeſtres; diuiduntur in Hordas, quarum ſunt quinque:Zauolenhſes, Coſſanenſes, Præcopitæ,Nagai, Coſſachi, quamuis vna horum pars oppida incolit.

MAGNVS MOGOR.

Regio quæ inter Gangem & Indum eſt,ſemper magnis Monarchis ſubdita fuiſſe videtur: vt enim vetera taceamus, circiter annum domini 1300.fuit in Regno Delij Princeps Arabs,ſecta Mahumetanus,cui nomen erat Sanoſaradin(vt ſcribit Ioannes Barros.)Tantum ei erat potentiæ & roboris,vt ſibi dominium Aſiæ parare tentarit. Relictis itaque illis regionibus, in quibus Indus & Ganges oriuntur,cum prægrandi exercitu,paulatim illos Principes populoſque deuicit, qui ſe ſibi opponebant,donec attigit regnum Canaræ, quod

ſuper

ſuper Caul,ad fluuium Bate incipit, extenditurque inter Gate & Sinum Bengalicum, ad Caput Comorinum vſque.Cum itaque tam præclarum dominiũ ſibi paraſſet,cogitauit concluſitque in regnum Delij réuerti,relinquens in Canara,qui ſuas vices tueretur,Abdeſſam:hic victorijs ſui Regis fretus, ſuaque induſtria confiſus,eripuit Gẽtilibus maximam Canaræ partem,collegitque numeroſiſſimum exercitum,in quo erant Mahumetani,Gentiles, Chriſtiani;mortuuſque eſt,cum ei omnia proſpere cederẽt, durauitque ea proſperitas ad annos 20. reliquitque poſt ſe filium Mamudzam, quem Rex obire munus paternum paſſus eſt,ea lege, vt ei quotannis tributũ penderẽt: Hic nec de pendendo Tributo ſollicitus fuit,nec Regi alijs in rebus obedire curauit.Accidit vt Sanoſaradinus in bello, quod in Perſia gerebat, moreretur,filium adeo imbecillem relinquens, vt Mamudza ſe Regẽ Canarę inſcribere, auſus fuerit, vocauitque eam Decan,& populus,Decainos;quod nothos ſignificat.Inſtituit deinde 18. Capitaneos,diuiſitque inter eos ſuum dominium, dans vnicuique eius qartem,cum conditione, vt certum equitum, peditumque numerum,ſemper præſto tenerent. Vt his autem occaſio rebellandi auferetur non elegit in Capitaneos,qui natalium ſplendore clari erant, ſed ex mancipiorum ſuorum numero: Quod plus eſt,voluit vt eorum vnuſquiſque, in ſua ciuitate Regia Bider,pro ſua habitatione Palatium ædificaret,in quo ſui liberi manerent, & ipſi parentes, vt ſingulis annis,ſæpius ad ſuam Aulam commearent. Cum autẽ omnis authoritas, quæ proprijs viribus, & ſuorum immediate ſubiectorum obſeruantia nõ innititur,parum diuturna, eſt: Ita huic etiam accidit, dum mancipia authoritatem ſui domini,ſibi ven-

vendicantia, ipſum neglexerunt, non ſecus, ac ſtatuam ipſum obſeruantes, vt omni reſpectu & authoritate caderet ipſe, nullamque iuriſdictionem reliquam retineret, quam ciuitatem Bider, cum ſuo diſtrictu. Vnuſquiſq; enim ſibi armis arripuit iuriſdictionem eius regionis, cui vicario nomine præerat. Facti ſunt itaque ex Capitaneis, Principes, & qui potentia plus valebant oppreſſores eorum, qui minus poterant. Redijt itaque res ad paucos, quorũ duo fama celebres ſunt: Vnus eorum pertingit ad Cambaiæ fines: Alter Narſingæ conterminus eſt: Ille Luſitanis Niſſamalucco, Hic Idalcane vocatur. Vterque eorum adeo potens eſt, vt anno 1571. Idalcane, Goam cum 35. equorum, 60. elephantorum millibus, & 250. tormentis bellicis, obſidione cinxerit: Niſſamalucco autem, obſedit Caul, cum minoribus viribus, ſed fœliciore exitu: Quãuis enim hunc locum non expugnarit, eum tamen ad extremam neceſſitatem redegit, amiſitque in ea obſidione 12. Maurorum millia. In ijſdem Regionibus, in quibus Sanoſaradinus Imperij ſui fines protulit, ab hinc quinquaginta annis, dilatauit ſuum Imperium Princeps potentiſſimus, quem Orientales populi vocant Magnum Mogorum, eo modo, quo nos Magnum Turcam vocamus. Sicut autem Rex Barmæ (de quo alias diximus) temporibus noſtris, valde mutauit res regni Pegu & Siam, regionumque vicinarum: Ita & Mogor confudit, peſſum deditque Status ab hoc Gangis latere. Communis opinio eſt, Mogoros Tartaria oriundos eſſe, prodijſſeque ex ea regione, quam antiqui Maſſagetæ inhabitarunt, qui inuicti roboris in armis fuere: Nam cum nunquam ſub alieno imperio fuerint, ipſi ampliſſimorum regnorum dominium ſibi parauerunt: Cõtermini ſunt

Perſis ad flumẽ Oxũ,cõtendũtq;,vt plurimũ cũ ipſis bello,tũ de religione,tũ de Imperio:Eorum ciuitas Metropolis eſt,Samarcãda,vnde magn.Tamerlanes prodijt,ex cuius ſanguine,ſe Princeps Mogororum, gloriatur oriundum. Mogororum Principis,qui nunc ad clauum ſedet,prædeceſſor,nomen ſuum in Oriente illuſtrauit Anno 1536. quum ſolicitatus à Rege Mandao(cui Badurius Cambaiæ Rex ditionem eripuerat)ex Septentrionalibus partibus,ei auxilio venit: Duxiſſe ſecum Bellatorum infinitum numerum fertur,percipiq; id poteſt ex eo,quod Maffeus ſcribit de exercitu Regis Badurij, nempe hunc Regem,ſub ſignis habuiſſe 150.equitum millia, quorũ 35.millia,phalerati erant : peditum numerus erat quingentorum millium.Inter hos erant 15.externorum militum millia,& inter eos 80.Chriſtiani,partim Franci,partim Luſitani,qui via & modo, mihi incognitis illuc peruenerant : Nauis illorum quæ dicebatur,Dobriga,paſſa fuerat naufragium in plaga Cambaiæ. Apparatus belli commeatuſque tanti erant,vt ſi iuxta Europæ vires cenſeantur,credi non poſſit. Sed ſupra demonſtrauimus cauſas, quare Principes in Oriente,& in Meridie, exercitus noſtris multo maiores educere poſſint,eadem quoque valent,vt quæ de bellici apparatus incredibili copia dicuntur,credibilia fiant:Sicut enim illi Myriades hominum armis inſtruere poſſunt, quod ad eos paſcendos,armandoſque non multo opus habent, ita etiam inæſtimabilem commeatuũ, machinarumque bellicarum copiam,accumulare poſſunt: nihil enim ducunt ſecum,quam quod bello neceſſarium eſt.Copia vini,diuerſa edulia, aliaque ſimilia,quæ niſi magnis impenſis, labore,& moleſtia,vehi poſſunt, ab ipſis omittuntur: Omnes ipſorum res ad

belli

belli vſus,ordinatæ ſunt: æs,ferrum,chalybs, ſtannum ad fundendas machinas,tormentaque bellica; Ferrum & plumbum fundendis ſphçrulis; Ferrum & chalybs fabricandis enſibus;Boues Elephantiſq; trahendis tormentis;Commeatus nutriendis exercitibus,Metalla ijs armandis;Venæ Minærarum Redituſq; ijs conſeruandis.Omnes illi Principes Tyranni ſunt,& vt ſua dominia conſeruent, anguſtioraque faciant,premunt populum, traduntque omnia in manus militum.Vtque hi ſibi fidi ſint,faciunt eos rerum omnium dominos.Principes. Mahumetani ſuis ſolis mancipijs fauent,eorumque fidei cōmittunt Arces, expeditioneſq; magni momenti. Ij fiunt autem ſæpe ſuis patronis rebelles, eripiuntq; ipſis ſuas ditiones: Vt earum poſſeſſionem retineant,exponunt prædæ populos. Neceſſarium enim eſt,vt Principum potentia,aut beneuolentia ſubditorum,aut aliorum innitatur, (qui enim ab omnibus timetur,diu in ſuo Statu perſiſtere non poteſt.) Tyranni autem,cum nihil boni ſibi de ſuis ſubditis (quos non tanquam ſubditos ſed vt mancipia tractant)polliceri poſſint,neceſſe eſt, vt militibus innitantur,demereantur eorum animos, promittendo libertatem, dandoque eis in prædam facultates ſubditorum.Turca fulcit ſeIanizaris,qui non alium non dico patronum, ſed nec patrem norunt,ab ijs diligi ſtudet,concedendo eis omnia. Multi Principes Malabares habent populos loco pecudum: ſtabiliuntque ſua regna ſuper Naires.Reges Ormuzij, Cambaiæ,Decan & Achen rerum ſummam, Mancipijs committunt. Vt finem faciam:Sicut legitimus Princeps iuſtuſque curat vt à ſuo populo diligatur, quo ab eo ſuffultus aduerſus externos hoſtes, munitus ſit: Econtrario, Tyranni

ſcientes ſe à populo odio haberi, curant vt à ſuis mancipijs,& à militibus diligantur,quorum armis vtuntur,tam ad deprimendos vaſallos, quam ad procul arcendum hoſtes:Cum itaque ſtabilimentũ ſuæ amplitudinis,ſuper milites Naires, Ianizeros, liberos aut ſeruos,indigenas aut extraneos, quales illi ſint conſtituant,neceſſe eſt, vt ſola militia ipſis finis ſcopuſq; omnium rerum ſit,& vt ſe ipſos militibus,& apparatu bellico inſtructos conſeruent, nulli rei parcunt. Vt ad regem Badurium reuertamur:ducebat cum numero militum, (quem diximus)mille Tormenta bellica,& inter illa quatuor. Baſiliſcos,quos trahebant,tantundem boum centenaria:Quingentos currus,puluere pyrio, & ſphærulis onuſtos:ducentos elephantos armatos: Vltra hæc,quingenta dolia auro & argento plena,ſoluendo ſtipendia exercitui.Sequebantur exercitum multi Principes dominiq;,cum eorũ aulicis & ſequela,Mercatores,Annonarij, Artifices, famuli innumeri:Duobus tamen prælijs à Mahamudio victus fuit:Vnum prælium in vicinia ciuitatis Doce factũ eſt:Alterum apud Mandao,ex quo mutata veſte vt ſaluti ſuæ conſuleret,in Diu aufugit: Cum ſe à metu recollegiſſet,miſit legatos ad Solimannum Turcarum Regem cum dono,quod ſexcentis aureorum millibus æſtimatum fuit,ab eo petens auxilium. Poſtea ſecum animo reputans, res ſuas magis prompto auxilio opus habere,inijt fœdus cum Luſitanis,qui ipſi magis vicini erant; Vtque eos amicos, ſocioſque belli haberet, permiſit, vt in inſula Diu (alias Dio)Arcem ædificarent. Sed vt ad Mahamudium reuertamur: Eius fortuna,multum Tamerlanis ſui anteceſſoris,ſimilis fuit. Sicut enim hic Perſiæ Aſiæque tremorem incuſſit,nihilo minoris tur-

bas

bas excitauit ille in India.& in Oriente: Si ille prę-
lio ſuperauit Baiazetem RegemTurcarum,vicit hic
Badurium Cambaiæ Regem, qui exercitum multo
ipſius maiorem,aduerſus eum eduxit, ambo ſibi
Magni cognomen pararunt.CumMogori abundan-
tiam Indiæ cognouiſſent, percepiſſentque eius fer-
tilitatem,occupauerunt paucis annis, & perpetuo
victoriarum curſu fere id omne, quod inter mon-
tem Caucaſum & Mare intra Gangem & Indum ia-
cet.Continentur eo ſpacio 47. regna: Adabar enim
Mahamudij ſucceſſor,cepit Madabar, cum potiori
Cambaiæ parte.Quanti momenti ſit hæc Prouincia,
in qua ſunt fama celebres ciuitates Madabar, Cam-
panel(hæc ciuitas ſita eſt in monte,qui in media pla
nicie attollitur)& Cambaia,quæ ſuum nomen Pro-
uinciæ communicat(hęc ciuitas vt ſcribunt,inſtruit
130.focorum millia)poteſt comprehendi ex ijs, quæ
de exercitu Regis Badurij, & de eius apparatibus
bellicis diximus,ex quibus,& de eius fertilitate fie-
ri poteſt iudicium.Non eſt enim in Orbe terrarum
Prouincia abundantior,ditiorque omnium rerum:
nempe Oryza,frugibus,leguminibus,ſaccharo,bo-
bus,pecudibus domeſticis omnis generis,ſerico,di-
citurque in ea eſſe ſexaginta millia municipiorum,
qui numerus profecto permagnus eſt.Scribit Guic-
ciardinus in Germania inferiori(quæ in 17. Prouin-
cias diuiſa eſt)208.oppido muris cincta,& 150. mu-
nicipia eſſe, quæ ciuium Iure & priuilegio gaude-
ant.Et præterea 6300. pagos campanilia habentes.
In regno Neapolitano ſunt 1800. partim oppida
partim Caſtra:In Bohemia ſunt 780. partim Arces,
partim oppida & 32.pagorum millia;in Francia, vt
ſcribit Ioannes Bodinus,numerantur 27.municipio
rum millia,quæ habent campanilia,vltra ea,quæ in

Burgundia ſunt,quæ eo tempore,cum alijs Prouin-cijs deſcripta non fuit. Quamuis ex municipiorum alicuius regni numero,de eiuſdem potentia , iudi-cium abſolute faciendum non ſit, ſed id ex eorum amplitudine fieri debeat, eorum tamen numerus multum etiam ad rem facit : Cambaia autem pro-pter vtrumque pro regno ampliſſimo habendum eſt. Acabar acquiſiuit ſibi quoque regnum Bengalę, quod ditiſſimũ eſt : vnde in illa Orientis parte dici ſolet ibi tres Reges eſſe: 1. in Cãbaia, 2. in Narſinga: 3. in Bẽgala, Et vt quod verũ eſt dicatur, Cãbaia, & Bengala,præſtant omnibus alijs Prouincijs,territo-rij fertilitate,& concurſu mercatorum: Ambæ ſac-charo,goſſipio,pecudibus,elephantis , equis , exi-mie abundant.In Bengala quoque creſcit piper lon-gum & zinziber:Illam interſecat Indus fluuius no-biliſſimus;Hanc Ganges totius Orbis celebriorum fluminum vnus,habetque duo emporia fama cele-bria,Satiganum nempe &Catiganum.Poſſidet quo-que Magnus Mogor regna Citor,Mandao,& Delly, vbi ipſe habitat.Magnũ habet Elephanthorũ,Equo-rũ, Dromedariorũ numerũ , magnãq; Tormentorũ, & bellici apparatus copiã , quib. ſe toti Oriẽti for-midabilẽ tremendũq;fecit.Scribitur (vt ſummatim dicã)ipſũ in cãpos educere trecenta equorũ, millia, & quod in ſuis ditionibus habeat 500000. Elephan-tos. Rogabit aliquis vnde accidat , cum hic Prin-ceps adeo potens ſit , vicini autem fere inermes, quod ſibi non parat dominium reliquæ Indiæ & to-tius Orientis? Obſtant multa: Vnum eſt,quod ſicut ingenium,& ars hominis in continuo labore , & motu eſſe non poſſunt , (nam perpetuo ſe mouere poſſe , ſolius Dei , & naturæ eſt) ita & conatibus humanis curſus continuus dari non poteſt : Et quamuis magna Imperia à viribus externis non in-

feſſentur, ipſa tamen ſua mole ruunt. Rebus magnis conceſſum non eſt, in ſuo culmine ſtare diu, minus perpetuo: Creſcunt, ſed ea conditione vt tandẽ decreſcant: Attolluntur in altum, ſed ea lege, vt certus caſus ſuccedat: In ſe magna ruunt. Quanto autem magis creſcit dominium, tanto plus procliuitati & agilitati decedit: Et quamuis vires euadant maiores, ſunt tamen tractationi, ne dicam vibrationi minus aptæ: Non mouent ſe niſi lente. Velocitas autem bello ſumme neceſſaria eſt. Conquiſitorum magnitudo fert ſecum inuidiam, curamque ea conſeruandi, ſecuraque reddendi; & vt res conquiſitæ bene ſtabiliantur, tempore opus eſt: Interim armãt ſe vicini prouidentque ſuis rebus, cum occaſione autem fugit auolatque vincendi commoditas. Qui hoſtes vicit, timet, vt plurimum ſocios & participes victoriæ, & vt victor, ſe de ijs ſecurum reddat opus eſt, vt expeditionem interrumpat, & vt in medio curſu receptui canat. Vltra hæc: Victoriæ reddunt Capitaneos inſolentiores, milites contumaces, & cum illi vltra progredi iubent, recuſant. Accidit id Alexandro Magno & Lucullo. Nec debet prætermitti, quod magna molimina ad optatum finem perducta ditent quidem quoſdam particulares, ſed euacuant, vt plurimum Principis Theſauros, qui retinent exercitus ſub ſignis, redduntque animos paratos factionibus bellicis. Progrediamur. Tam numeroſos exercitus, quẽ Mahamudius duxit aduerſus Regem Cambaiæ, non ſolum vaſtauit regiones quas pertranſiuit, & in quibus morã traxit; ſed præcidit ſibi ipſi media ſe ſuſtinendi conſeruandiq; Magni itaq; exercitus, quãuis ab hoſte nõ profligantur, conſumuntur fame, quam comitatur peſtilétia. Videmus itaq; inũdationes Attilę, Tamerlanis.

ſimiliumq́ue populorum exiguo tempore duraſſe: Econtrario autem Græcos, Macedones, Charthaginenſes, Romanos, & Hiſpanos, exercitibus potius exiguis, quam magnis, magnos progreſſus feciſſe. Res enim moderatæ durant fluuiorum inſtar, qui quod vno anno non conficiunt, duobus aut amplius annis perficiunt. Immodicæ res, ſimiles ſunt torrẽtibus, qui plus ſtrepitus fragoriſque, quam effectus faciunt, præcipitantur quidem, ſed ſuo impetu diſſipantur. Itaque aduerſus numeroſos exercitus, non aliud ſalubrius conſilium eſt, quam tempus extrahere, ſuique defenſioni tantum incumbere. Certum enim eſt illos non diu ſubſiſtere poſſe, neceſſeque eſſe, vt breui commeatuum & pecuniæ defectu, aut propter infectionem aeris, aut morbos diſſoluantur: Quod plus eſt: Res proſperæ excæcant homines: Aduerſæ autem reddunt eos cautiores. Fiunt itaque res victoris deteriores, victorum autẽ meliores. Id quoque eſt perpendendum, quod ſucceſſu temporis parantur victoriæ, quo tempore ſenium contrahit Princeps: Corpus autem afflictum, delaſſatumque extinguit animi vigorem, qui ad expeditiones bellicas ſumme neceſſarius eſt. Huius rei fidem faciunt, Iulius Cæſar, Imperator Carolus V. Obſtat quoque progreſſibus Mogori locorum natura. Caucaſus enim diffundit ſe in illis confinijs, mille ramis, quorum aliqui terminant regna: Alijs non ſufficit terminare, ſed & cingunt ea, muri inſtar: Alij concludunt ea prorſus: Alij autem reddũt tranſitus difficiles. Magis nocent eæ difficultates Mogoris, quam alijs quod nerui roburque ipſorum militum in equitatu conſiſtit, qui ſicut in campis valet dominaturque, ita eſt exigui momenti in montibus. Huius qualitatis ſunt confinia Perſiæ, inter alia

regnum

regnum Sableſtan, quod vndequaque cinctum eſt, illa Caucaſi parte, quam Græci paropaniſum dixerunt. Nec minus ambitur montibus Sigeſtan, Ita vt fluuius Ilmento per eam vix viam inueniat. In ipſa Cambaia, vbi Mogori adeo potentes ſunt, non ipſos timent Resbuti, qui ſe in montibus munierũt; Sunt hi reliquiæ nobilium Gentilium, qui ſe in mõtes inter Cambaiam & Diu contulerunt, cum Cambaia primum à Mahumetanis occupata fuit, conſeruantque armata manu ſuam libertatem, inferuntq; ſæpe planiciei damnum. Sunt ibi adhuc aliæ regiones ſteriles, omniumque rerum, non aquæ ſolum, indigæ. Eius generis eſt Dolcinda, ad fines Cambaiæ, per quam exercitus duci non poſſunt. His adiungitur temporis iactura, quam Principes (quibus magnum dominium eſt, voluntque ſuſcipere expeditiones) neceſſario faciunt in itineribus. Aeſtas enim elabitur antequam eo, quo tendunt, cum equis ſemienecatis, exercituque hominum numero multũ diminuto, viribuſq; valde debilitato, peruenerint, ingruitque hyems, quæ ipſis aduerſa, hoſtibus commoda eſt: Ille enim in campis inter lutum & glaciẽ caſtra metatur: Hic autem degit ſub tecto, commodeque ſe habet. Inde accidit, vt omnes Principes, qui magnas expeditiones faciendas ſuſceperunt, propter incommoda, quæ occurrunt ducendo magnos exercitus, ex vna regione in aliam, coacti ſint claſſes inſtruere, & fluminibus aut mari vti. Huius rei dedit præclariſſimum exemplum Cæſar Germanicus in bello Germanico: Videns enim tempore, (quod conſumebatur mouendo exercitum) incommodis, laboribuſque, & itinerum longinquitate quoque, viros equoſque abſumi, reſque nimis in lõgum protrahi, concluſit inſtruere claſſem. Mogoro

autem nullæ prorſus nauales vires ſunt: Ab vna parte, nullos portus habet: Ab alia ei ſunt vicini Luſitani, qui duabus maximi momenti Arcibus, quarum vna eſt Diu, altera Daman, obſtruunt totum Cambaiæ Sinum. Vltima cauſa, quæ illorum Tartarorum progreſſibus obſtitit, eſt finitimorum potentia, quæ impedit ne ſe Orientem verſus extendant. Regem Barmæ habet ibi vicinum, qui nec potentia nec viribus ipſi cedit: In tot enim regna, regioneſque dominium obtinet, imperatque populo adeo feroci pugnacique, tantumque eius numerum in campos poteſt educere, vt vicinorum neminem timeat Si autem Mogor extendit ſui Imperij terminos, intra Gangem & Indum, non minus dilatauit hic ſuos terminos inter Gangem & Siam. Denique creſcentibus ingenijs, quibus hoſtes offenduntur, creſcunt conſequenter modi, quibus ſe defendunt fitque ingenium humanum modulo maius. Ducitur enim pronius à natura ad defendendum, quam ad offendendum. Naturę enim magis curę eſt conſeruare, quam deſtruere. Imo nec permittit quidem aliquid corrumpi, niſi vt conſeruet. Dici non poſſit quantum homo ſubtilitate, induſtriaque, valet, vt ſe reſque ſuas defendat. Vtitur enim ad defenſionem, non ſolum eo, quod ſibi proprium eſt, ſed & omni eo, quod ad offendendum pertinet: nec poſſet reperiri aliquod inſtrumentum offenſioni aptum, quo non etiam ad defenſionem vti poſſit: Illæ itaque Arces, quæ nimis coopertæ tectæque ſunt, inter meliores non cenſentur. Tollunt enim defenſori commoditatem offendendi vexandique hoſtem, faciendi excurſiones, vtendi tormentis bellicis, igne artificioſo, alijſque eius generis inuentionibus. Sed quæ res eſt magis admiratione digna, quam ingenium fortiſi-

tificandi? Quid magis ſubtile, quam ſermo qui de fortificatione habetur? nempe Cortinis, Propugnaculis, lateribus, Vallis, Foſſis, Contramuris, Cuniculis, Aggerib. intrinſecis, Calemattis, Cõtraminis, Diuerticulis ſimilibuſque inuentionibus? Eſt ne res aliqua quæ exactiſſime excuſſa non ſit? Hæc ars efficit vt pauci multis reſiſtere poſſint, & vt exiguus locus, ſed munitus, vires, & theſauros potentiſſimi Regis conſumat: Parua bellica Arx, potentiam magni Imperij fatiget, debilemque reddat. Hac arte octingenti Luſitani ante aliquot annos, eluſerunt conatus, impetumque Magni Mogori, ad Daman in ora Cambaiæ, qui locus illorum eſt. Paucis ab hinc annis, per celeres equos ab Emmanuele Soſa Cotigna, Prorege Indiæ, Regi Catholico nunciatum fuit, quod Magnus Mogor 60. Idolorum templa excidi iuſſit, dicens ea (idola) nullius eſſe efficaciæ, accerſiuiſſeq; concionatores, qui ipſum inſtruerent, baptizarentque, & quod modo duo eius filij baptizati eſſent.

REX

REX CHINAE.

REGNI Chinæ Imperium olim multo latius fuit quam nunc eſt Deprehenditur enim ex hiſtorijs ipſorum(quibus memoriam rerum ibi factarum,per bis mille,& amplius ter centum annos conſeruarunt)& alijs eorũ ſcriptis, proprio idiomate editis,(quorum adhuc fragmenta ſuperſunt)Reges eorum,dominos fuiſſe,fere totius oræ Maritimæ Aſiæ,à Freto Aniano,ad regnumPegu vſque,& regnorum Melitaij, Bacam, Chalam, Baragu,(quæ ad Septentrionale latus Pegu ſunt)vicinorumque illorum,vbi adhuc eorum opera, cum epitaphijs & alijs eorum monumentis reperiuntur. In dictis omnibus regionibus , adhuc reliquiæ ceremoniarum veteris religionis obſeruantur, quibus tradebatur ſcientia rerum Mathematicarum, vt eſt anni in menſes diuiſio, Zodiaci in 12. ſigna & aliarũ huiuſmodi rerum, quæ monumenta ſui Imperij ſunt.Nec adhuc longum tempus præterijt,cum omnia illa regna,Regem Chinæ, pro Monarcha habebant,ei quoquo triennio , mittentes Legatos cum donis:Legati ad minimum quatuor eſſe debebant, nam antequam ad Aulam, quo mittebantur peruenissent,ob locorum diſtantiam,difficultatẽ audientiæ,& moram in expeditione moriebantur duo , & quamuis morbus ipſos non confeciſſet, Chinenſes mortem eis veneno,(quod in aliquo publico epulo ipſis dabatur) accelerabant ponebantque eis ſumptuoſa ſepulchra,quibus nomen Legatorum , & à quo miſſi erant,inſcribebatur: Id omne fiebat ab

ipſis,

ipſis, vt memoriam ſui Imperij potentiæque æternam redderent. Nec minus protulerunt ſuam potentiam, in vaſto illo Oceano, quam in Continenti: Chinenſes enim primi in Inſulas Orientis dominium obtinuerunt: Poſt eos Giaui illarum dominium ſibi pararunt: Deinde Malacenſes & Mauri. Tandem Luſitani & Caſtellani adepti ſunt illarum Inſularum partem. Sed nulla illarum nationum, potentiam Chinenſibus parem habuit. Ipſi enim præter Inſulas Chinæ vicinas quæ cum propter multitudinem, tum propter magnitudinem fertilitatemque in maximam partem Inſularum, illius immenſi Archipelagi, ad Zeilan vſque, magni ſunt momẽti, dominium obtinuerunt, vbi idioma Chingallum reliquerunt, ſicut & in terra Continenti ei oppoſita Legitur quoque in aliquibus Relationibus Patrum Ieſuitarum, in vna parte Inſularum Diui Laurentij, inueniri populum album, quem à populis Chinæ originem trahere dicunt. Chinenſes primi Inſulas Molucas detexerunt, dedereque nomen Garyophilis: deduxeruntque colonias, in multas Inſulas, quæ adhuc nomen ſeruant, nempe Battachina à Muar: Batta China Mauri. Bate enim oppidum, Batta china oppidum Chinenſium ſignificat. Aeſtimatur quoque habitatores Iauæ, ab ijs originem traxiſſe. Vt quod verum eſt dicatur: Videtur magna ſimilitudo in ipſorum viuendi, veſtiendi, ædificandi, ritu, induſtria mercaturæ, & artificiorum ingenio. Cum autem Chinenſes, in Freto Zeilano claſſis 80. nauiũ iacturam feciſſent, vltra alia infortunia, perpendentes ſimiles expeditiones, ſuis rebus damnoſas eſſe, concluſerunt eas prorſus miſſas facere, regredique in ſuos fines: Vt hæc concluſio rata eſſet, pœnam capitis ſtatuerunt in eos, qui in illas partes nauigarent.

rent. Reges Chinæ bello, alios offendere, prorſus abſtinent. Vt verum dicatur: Cum ipſi fœliciſſima regione potiantur, vbi terræ fertilitas cum hominum inæſtimabili induſtria certat cui nihil deeſt, multaque eorum vſibus abundant, cur conſumerent ſuas opes in faciendis acquiſitionibus, ſuo Statui parum profuturis? Cur abſumerent proprias vires, & ſubſtantiam vt acquirerent aliena? Quid piſcarentur Reti aureo? Carthaginenſes, ſicut ſcribit Polibius, ſimili fere medo exonerarunt ſe vna parte rerum prius partarum. Romani cum ſecundo bello Punico iacturam feciſſent maximarum claſſium, præ deſperatione valedixerunt Mari. Poſtea autem videntes, quod qui Mari dominarentur, quoq; terra præualerent, rurſus nouas claſſes inſtruxerunt, quibus tãdem hoſtibus ſuperiores fuerunt. Quamuis hæc Chinenſium reſolutio hodie prudentiæ non aſſcriberetur, tamen pro maxima ſapientia habenda eſt. Cum enim maior fatuitas non ſit, quam tua perdere, vt rapias aliena: deſtruere fines proprij Regni, vt inuadas alieni: profundere ſanguinem vitæ neceſſarium, vt haurias alienum, Regium magis, & Principis opere dignius eſt, conſeruare, (ſicut alibi diximus) quam dilatare: Conſeruatio enim Statuum dat eis eſſentiam, ampliatia autem eo ſpectat vt eis bene ſit. Ad quem finem autem ſe macerabit aliquis, vt ſua ampliora reddat, ſi ampliatio Statuũ nõ ſolũ non efficit, vt bene commodeque eis ſit, ſed deſtruit id, quod ante bene erat Ad quid expendet proprium pro alieno? Rem quæ iam ſubſiſtit, pro incerta & quæ accidere poſſet? Neceſſarium pro vtili? quare debilitabit ſuam perſonam, vt maior fiat? Princeps ſapiens debet alienus eſſe ab ijs expeditionibus, quæ ipſum ſecurũ non faciunt, aut inſigne com-

ne commodũ ſecũ feruut:Securitas enim Status, eſt vna Baſis,in qua ſubſiſtit: quod ſtudet acquirere eſt vt ſecurior ſit:Securitatem autem adferunt acquiſitiones Anguſtiarum,clauſtrorũ, viarum, rerumq; oportunarum,vt hoſtem longe à te ſubmoueas: Vtilitatem commodumq; adferunt eæ regiones,quæ pecunijs ditant,aut commeatibus apparatuque bellico,rebuſque talibus inſtruunt. Sed ad Chinenſes reuertamur.Quando illud ſapientiæ plenum decretum fecerũt,liberos dimiſere populos, qui eis ſubiecti erant.Aliqui tamen eorum, manſere feudatarij,& ſub illorum vmbra, inter quos fuere Reges Coreæ,Lequij,Caucinchinæ,Siam. Quamuis autem (vt diximus)ſe inter ſuos terminos fineſqueChinẽſes reduxerint contulerintque, poſſident tamen regionem paulo minorem quam Europa eſt: Extendit ſe enim à Septentrione Meridiem verſus,à 17.gradu ad 52.vſque,quo ſpacio continentur 35.gradus: Ab Ortu ad Occaſum,ſunt gradus 22. Pacquin in qua degit Rex, eſt in 48. gradu noſtri Poli. Diuiditur China,in 15,Prouincias, harum ſex ſunt Maritimæ nempe,Centan,Foquien, Chiqeuan, Pantora, Naquij,Quincij:Mediterraneæ,Quinchiu,Iuana,Quancij,Sniuam,Fuquam,Canſij,Xianxij,Nouam, Sancij, Prouinciæ Quinci,Cantanor,Foquem,à Mediterraneis diuiſæ ſunt monte,noſtris Alpibus ſimili, nec plus quam duo itinera ibi reperiuntur,quibus ad ſe mutuo meant.Thomas Perezius Legatus Regis Luſitaniæ Emmanuelis,à Cantan ad Nanquij conſumſit quatuor menſes, Septentionem verſus ſemper tendens: Attamen Nanquin ad Septentriones magis eſt.Ad amplitudinem confinium ſupra dictam, accedit fundi fertilitas incomparabilis: Producit enim quidquid ad delicias & delectamenta non ad neceſſitatem ſolum, & ad vſum humanum facit.

Multæ plantæ bis aut ter in anno fructus reddunt. Ad id facit fluuiorum frequentia, aquarum copia, quæ totam regionem, non ſolum nauigabilem facit, ſed & ita irrigat eam, vt amœniſſimus hortus videatur. Ea fertilitas geminatur duplici via: Vna, quod Rex nullis ſumptibus parcit, vt tota Regio vndique irrigari poſſit, ſecando aſperrimos mõtes, vt fluminibus trãſitus pateat: Aequando profundas valles: Corriuando àquas lacuum & fluminum multis modis: Cum itaque nullo loco deficiat calidum, quod tota fere regio intra Zonam temperatam contineatur, nec humidum (quo natura benigna, & hominum induſtria eam irrigat) luxuriãt omnia, plus quam credi poſſet. Nullus alius locus eſt vbi propagatio plantarum & pecudum, maiores progreſſus faciat: Altera fertilitatis cauſa eſt, ſegnes ſeueriſſime caſtigantur, nec hic prorſus otioſi tolerantur, vnuſquiſque aliquid facere cógitur, nec relinquitur palmus terræ, qui non colatur, nec drágma materiæ quæ non formetur. In Cantan, inter alias res notatu dignas, numerantur quatuor cæcorum millia, qui terendis frugibus, & Orijza occupantur. In China habet vnuſquiſque quod agat, ſecundum eius vires, hic manu, ille pede, oculo, lingua aliquid agit: ijs ſolum in Protodochijs publicis locus eſt, qui prorſus membrorum omnium impotentes ſunt, nec affines habent, qui eis ſuccurrere poſſent. Stercus humanum (taceo alia) hic venditur. Vt ſe nemo excuſare poſſit, quod nihil agere norit, vnuſquiſque artem paternam exercere cogitur. Cum itaque filij in artibus paternis quodammodo naſcantur, obligatique ſint eas exercere, addiſcunt fere eas antequam id perceperint, idque perfectiſſime. Qui ſibi in terra victum non poteſt parare, facit id mari, id e-

id enim non minus frequenter habitatur, quam illa:viuuntque infinitæ familiæ in fluminibus,in cymbis,nec poſt longum tempus in terram deſcendunt. Horum aliqui vehendo, aut traijciendo perſonas, merceſque,merent: Alij officinas ſibi parant: Alij hoſpitio excipiunt iter facientes: In medio fluuiorum reperitur quidquid ad amictum aliaſque commoditates vitæ ciuilis facit, non ad cibum alimentaque ſolum. Multi nutriunt in nauibus magnum pullorum numerum,præcipue Anatarum. Ad fouēda oua,excludendoſque pipiones, matribus non vtuntur,ſed temperato igne, fere ſicut in Aegypto, ſingulariter autem Alcairi fit: Tenent has aues noctu in cymbis, mane in campos Oryza ſeminatos emittunt:cumque ſe magno ruſticorum commodo herbis noxijs pauerint,vbi nox ingruit, ad ſonitum cymbali aut tympani ad ſuas caueas redeunt. Multi viuunt vehendo piſces fluuiatiles & marinos in Prouincias Mediterraneas: Vere enim dum turgent flumina, ob aquam pluuiam & niuem liqueſcentem,confluit piſcium marinorum incomparabilis copia ad oſtia fluuiorum, vbi piſcatores eorum incredibilem copiam capiunt: Eos nauicularij fluminum paruo emunt à piſcatoribus,conuehuntque (in quibuſdam vaſis ad id idoneis paſcendo illos,ac ſæpe recenti aqua reficiendo) in regiones longiſſime ab Oceano diſſitas.Ibi venundantur, mittunturque,in latas ciuitatum foſſas, & in viuaria,in quibus toto anno perdurant, ſeruiuntq; Chinenſium menſarum delicijs:Paſcunt piſces ſtercore bubulo aut columbino. Vt finem faciam: Cum ciuibus vetitum ſit finibus excedere,niſi cum venia (quæ pro certo tantum tempore permittitur) neceſſe eſt vt creſcente quotidie progenie, innumeri

incolarum cœtus excreſcant: Ab ipſis obſeruatum eſt, vice quinque morientium, adnaſci ſeptem: Adde, in his regionibus tantam eſſe cœli benignitatem aeriſque ſalubritatem, vt non meminerint, ibi aliquando peſtem vniuerſalem fuiſſe. Ne autem aliquis exiſtimet, bonum aliquod alicubi inueniri, cui non tantundem calamitatis, rerumque aduerſarum rependatur, Accidunt in China terræmotus, qui plus damni quam peſtis faciunt: Abſorbêt enim integras ciuitates, deſertas reddunt regiones: Condunt antiqua flumina, & recondunt noua: Montes ſolo æquant, faciuntque miſerandam ſtragem illius populi. Anno 1555. erupit è terrę viſceribus tanta aquarum copia, vt 180. miliaria inundauerit, digluti̇uitque ciuitates cum earum villis. Qui aquas euaſerant, illos ignis cœleſtis conſumſit. Numerantur in China 150. ciuitates, 235. magna oppida, 1154. caſtella, 420. vrbes abſq; muris, in quibus milites degunt. Villarum Pagorũq; quorum aliqui habent mille focos, numerus iniri non poſſet: tantum enim vndiquaque populi eſt, vt vniuerſa China vna ciuitas videatur. In ea ſunt duæ Metropolitanæ ciuitates Nanquin & Panquin: In hac (quæ Regia Septẽtrionalis interpretatur) nunc habitat Rex: Iſtiq; ſubſunt 7. Prouinciæ; huic octo. Ambæ adeo amplæ ſunt vt vno integro die equites, priuſquam ab vno capite ad aliud perueniās. De numero habitatorum Chinæ nihil affirmari poteſt, ſecundum autẽ quod ex Relationibus manu ſcriptis extat, & ore refertur, colligitur 70. Milliones animarũ excedere. Hęc profectò res magna eſt, nec creditu facilis illi qui cũ regnis Chriſtianitatis illum numerum conferre, & ex illis æſtimationẽ facere velit. Italia nõ accedit ad nouẽ Milliones. Nec Germania (excludendo Heluetios

& *Bel-*

& Belgas) ad plus quã decẽ, nec additis duabus dictis Prouincijs excedit quindecim Milliones, quem numerũ forte cõficiet Francia. Hiſpania populo infrequẽtior eſt Italia. Sicilia habet vnũ Millionem & tercenta hominũ millia: Anglia tres Milliones. Tantundẽ numerâtur in Belgio, quãuis belli diuturnitate numerus Belgarũ, multũ immunitus ſit. Non tamẽ incredibilis ille numerus (quẽ habitatores Chinæ cõficere diximus) videbitur, ſi cõſiderẽtur ipſius amplitudo, fertilitas & loci habitati. Ea enim Prouincia adea ampla, & tot habitatoribus frequẽs eſt, vt minor incolarũ numerus ei tribuẽdus nõ ſit. Tot habet vrbes & tã amplas, aliaſq; ciuitates, vt tantũ numerum capere & excipere poſſit. Eſt quoq; adeo copioſa, rerũq; omniũ copia, partim naturæ beneficio, partim hominũ induſtria abũdãs, vt tantũ numerũ paſcere poſſit. Nos Itali nobis ipſis egregie imponere ſolemus, cũ opinamur Italiã omnibus vniuerſi Orbis regionibus præſtare, nobiſq; perſuademus nullã Prouinciã, nec opulentiorem eſſe nec frequẽtius habitari. Nec perpendimus Italiã longã anguſtamq; eſſe Prouinciã, nõ ſpacioſã nec capacẽ: Nec quod duæ tertiæ partes flumẽ nauigabile non habẽt, qui defectus admodũ prægnãs eſt: Nec quod quartã partẽ occupat Apenninus, qui mons vt plurimum aſper & parũ frugifer eſt. Quod ad fertilitatẽ Italiæ attinet cui eius parti, cedit Francia copia frugũ & pecudũ? Aut Anglia frugibus, pecudibus, lana, piſcibus & metallis? Aut Belgium multitudine & amplitudine ciuitatum, varietate artificiorum, opibus & mercatura? Aut Græcia pulchritudine & opportunitate ſitus, & maris Portubus aut regionibus perpulchris? Aut Hungaria pecore, equis, vino, frumento, piſcibus, Mineris, omni deniq; bono? Sed nolo in his

enarrandis me detinere diutius quàm neceſſe eſt. Longobardia tertiam tantum Italiæ partem occupat: Sed cum explicetur pulcherrimis planiciebus, irrigeturque amœnis fluminibus, nec montes aſperos, nec campos arenoſos habeat, tantum populi, quantum dimidium Italiæ habet: Quid autem dicemus de Francia, Auſtria, Germania inferiori, Pannonijs, alijſq; quæ omnifariã planæ, opimæ, extremeq; delitioſæ ſunt? Concludamus ergo: Cũ China non minus amplum ſpacioſumque regnum ſit, quã vnitum, ſibi iunctum, plenum populo, annona & opibus, pro vno maximorum Imperiorum, quæ vnquam fuere habendum eſt.

REGIMEN.

CHinæ regimen Deſpoticam cum plurimum refert: In tota China, nullus eſt alius dominus præter Regem. Ignorant quid Comes, quid Marchio, quid Dux ſit. Nulli alteri tributum aut vectigal penditur quam Regi: Confert is omnes Magiſtratus, etiam nobilitatem: Dat eis quo ſe ſuſtentant, nec aliud ponderoſum faciunt, cuius ipſe certior nõ fiat. Non ſicut Regi tantum ei obeditur, ſed & colitur ſicut numen. In vnaquaque Prouincia eſt Regis effigies aurea, quæ velo operitur, præterquam nouilunijs: Tunc detegitur, viſitaturque à Magiſtratibus, inflectuntque genua coram ea, tanquam Rege ipſo. Nec ſolus Rex adoratur, ſed & Pręſides, ipſique Iudices ita honorantur, vt eis nemo loquatur, niſi genubus inſidens. Hac re vileſcunt admodũ animi populorum, facitque eos mancipia potius

quam ſubditos Principis. Exteri (quod eorum conuerſatio conſuetudoque aliquam mutationem, aut aliquid noui in regimine introducere poſſet) non admittuntur in regnum: Concedûnt eis autem aliquid commercij, in oris maritimis, vt diſtrahant diuendantque annonam, & opificia quæ ipſi fecere, Mercatores qui hic verſantur, mercaturamq; terra exercent multi ſe coadunant, vnumque inter ipſos Principem conſtituunt, cui titulum Legati dant. Hac cautela intrât regnum, ſed Officiarij & miniſtri Regis, nunquam diſcedũt ab eis. Indigenæ non poſſunt regione excedere, niſi permiſſu, nec conceditur permiſſio, niſi ad certum tempus: Vt de reditu ſecuri ſint, non dant facultatem exeundi, niſi exercendæ mercaturæ gratia, nauigando in nauibus 150. vaſorum capacibus, ſuſpicantur enim eos multo lõgius nauigaturos, ſi maiores naues concederentur. Vt finem faciam, Huius regni lex eſt, vt ad nihil aliud, quam ad pacem & conſeruationem Reipublicæ colliment: Ideo floret hic Iuſtitia quietis mater, deinde Politia magiſtra legum, denique induſtria pacis filia. Non aliud regnum, nec dominium antiquum nec nouum illo magis politicũm eſt. Plus quam bis mille annis (ſicut ipſi ſuis hiſtorijs docent) regitur China ijſdem legibus. Nos miramur Rempublicam Venetam cõſtitiſſe iam 1100. annis, regnum Franciæ autem iam ſe per 1200. annos conſeruaſſe. Circiter ducenti iam anni ſunt, cum China à Tartaris oppreſſa pertulit eorum dominium circiter 90. annis. Chinenſes ſeipſos magni faciunt in rebus ciuilibus & politicis, quibus prorſus inuigilant. Solent dicere ſe habere duos oculos, Europæ populos vnum, cæteros nullũ. Ita honorifice de nobis loquuntur, quod ipſis noti

ſunt Luſitani,cum quibus mercimonia exercent in Macao,& alijs locis,& propter famam Caſtellanorum,qui ab ipſis non longe abſunt,in Philippinis inſulis nempe.

VIRES.

EX frequentia populi (quam docuimus) fieri poteſt iudicium virium Chinæ: In ea enim cōſiſtunt omnes aliæ vires: Sed vt aliquid in particulari de ijs dicamus: Potentia Regis Chinæ (quod ſuo contentus,omnem inuaſionem abhorret) defenſioni magis,quam offenſioni prona eſt, & aptior,vt ſua conſeruet,quam vt ea augmentet Ciuitates vt plurimum ad flumina nauigabilia ſita ſunt, habentque foſſas profundas largaſque,muri earum tum è lapide foſſili tum coctili ſunt,adeo firmi ſolidique,vt credi vix poſſit.Turres nō deſunt, nec propugnacula quam optime inſtructa.Ad fines Tartariæ vt ſecuri eſſent aduerſus potentiam talium hoſtium,qui quondam Chinam ingreſſi eam ſubiugarunt,murum qui initium habens, ad ciuitatem Ochioi,(inter duos altiſſimos montes poſitam) extruxerunt, extendit ſe ad ſexcenta miliaria Ortum verſus,donec ei alius mons occurrit, qui ad Oceanum vſque protenditur. Ad regni fines videntur frequentes,ſed paruæ Arces,eæ erectæ ſunt, vt hoſtem ſiſtant,donec concurrant vicina præſidia , & deinde Regius exercitus.In quadringentis magnis pagis,magnum populi numerū , quotidie ſtipendia merentium habet Rex: Hi ad minimum indicium, in eam partem,qua neceſſariū eſt,tēdunt. Vnaquæq; ciuitas ſuos Prǣſidiarios,& ſuam cuſtodiā ad portas habet,

habet,eæq; non clauduntur ſolum,ſed & ſuo tempore obſignantur,nec aperiuntur antequam ſigillũ diligenter recognitũ ſit. Eorũ militia, cũ equeſtris, tum pedeſtris,tam terreſtris,quam Maritima, numeroſa potius,probe inſtructa apparatu bellico rebuſque neceſſarijs,& quod maximum eſt,probe ordinata eſt,quam fortis & vegeta. Indigenæ enim cum cum propter nimiam mollitiem regionis,tum propter formem regiminis,quæ ipſos viles, timidos,abiectoſque reddit, audaciæ animique parum habent:Externo ſubſidio non vtuntur, præterquam illorum quos bello ceperunt, quos in citeriores regiones mittunt,vbi ſignũ geſtantes, (quod ipſos ab alijs diſtinguit) ſeruiunt, ſed animo mancipiorum potius quam militum, ſtipendia certa eis perſoluũtur,nec pręmia virtuti,nec pœna ignauię deſunt, quod magnę efficaciæ eſt. Qui militiæ adſcripti non ſunt,arma habere non poſſunt. Maritimæ vires terreſtribus nõ ſunt inferiores:Nam præter claſſes ordinarias cuſtodiæ & ſecuritati oræ maritimæ deſtinatas:(cũ China fluminibus nauigabilibus tota abundet,oraque maritima Portubus Inſuliſque inſtructa ſit)facile eſt, cum vrget neceſſitas, colligere à quingentis ad mille magna nauigia, quæ ipſi Giunchi vocant. Non deſunt ſtipendio perſoluendo pecuniæ,nec ad delectus faciendos,retinẽdumq; maiorem,quam credi poſſet numerum nauium militumque:Aſſerunt enim multi, Reditus Regales ad 120.aureorũ Milliones accedere,qui numerus quãuis incredibilis videri ei poſſet,qui ex Statibus Europæ,Chinæ æſtimationem facere velit,fidẽ tamen facile inueniet apud illos,qui conſiderabunt ſequẽtia,nempe amplitudinem & naturã Prouinciæ,quæ Europa paulo minor eſt: Frequentiam habitatorũ,

quam conſequitur inæſtimabilis opulentia: Diuerſitatem & diuitias Minærarum Auri, Argenti, Ferri aliorumque metallorum: Inexplicabilem copiam mercimoniorum quibus (mercimonijs) mire fauēt tot flumina nauibus peruia, tot Sinus & brachia maris, Emporia, Portus maritimi: Telonia: Vectigalia mercium: Tributa perſonalia & ſimilia: Percipit inter alia decimam omnium, quæ terra producit, vt ſunt omnis generis frumenta, hordeum, Oryza, Oliuæ, vuæ (ſed non premunt vuas vt vinum extorqueant.) Goſſipium, Linum, Lana, Sericum infinitum, metallorum omne genus, germina infinita, pecudes, Saccharum, Mel, Rheubarbarum, Camphora, Cinnabaris, Glaſtum Odoramentorum multa genera, & interea Muſcum. Vectigal ſolum ſalis ciuitatis Canton, (quæ nec ex maximis, nec multi cōmercij eſt) reddit aureorum 180. millia. Decima Orizæ vnius mediocris oppidi, iuriſdictionis ſupra dictæ ciuitatis, reddit plus quam centum aureorum millia: Inde aliarum rerum æſtimatio fieri poteſt. Percipit Tributum ex lucro meretricum: Subditis nihil præter victum & amictum relinquit. Nullos ſub ſe Comites, aut dominos alterius generis habet, nec priuatas perſonas, qui opulenti ſint. Cum itaque regnum immenſum ſit, redituſque fere omnes, in Regis manu ſint, mirum non eſt, ſi ipſe inde aureorum numerum incredibilem percipit. Duæ præterea res hanc ſummam redituum credibiliorem reddunt: Vna eſt, quod non omnia ſoluantur in pecunia, ſed pars in rebus nempe Fœno, Oryza, frugibus, palea, Serico, Goſſypio: Altera cauſa eſt, quod Reges 120. Millionum, quas percipiunt, tres partes expendant: Dum itaq; è manibus Regis exit, quod à populo percepit, nemini mirum videri

debet,quod populus ipſi,id quotannis reddere poſſit.Sicut enim aqua tantum deſcendit , quantum ſe in altum extulit,ita & Tributa,facile tantum inferre poſſunt quantum Regi in ſuſtencalum ſuorum expendendum eſt,ipſeq; populus tantum Regi pendere poteſt,quantum ipſe in regno expendit. In regno dico,ſi enim extra regnum expenderet Angariæ dupliciter conſumerent populum , nam ex eius manibus elaberentur pecuniæ facultateſque,neque ſpes ſupereſſet alicuius emolumenti,aut fructus alicuius. Sed hac de re ſatis diximus in rationibus Status.

PRINCIPES FINITIMI.

NVllius Principis potentia Regi Chinæ terra timenda eſt,præterquam Magni Chami Tartari:Omnes enim alij,ipſum pro ſupremo domino agnoſcunt:Aduerſus hunc hoſtem curarunt Reges præteriti,ſtrui ſtupendum illum murum.A maris latere Rex Chinæ conterminus eſt Iaponibus & Caſtellanis.Iaponia varie diſtat à China:à Goto Iaponiæ inſula,ad ciuitatem Liampo,numerantur 60.Leucæ : A Cantone 297. Iapponenſes diuexant oras Maritimas Chinêſium incurſionibus, in terram deſcendentes,vt deprædentur regionem, ita vt magis latrocinia exerceant, quam quod quid bello agant:Cum enim Iaponia in plures inſulas,& in varios Principatus inter ſe fere diſſentientes,diuiſa ſit,non niſi inualide contra regnum Chinæ mouere ſe poteſt.Iaponenſes animis armiſque Chi-

nenſibus præſtantiores ſunt. Dicitur Nabunangam, qui ſe hodie, pro domino magnæ partis Iaponiæ gerit, in animum habere in Chinam expeditionem ſuſcipere. Ab alia parte iungunt Chinenſium fines cum inſulis Philippinis quas poſſident Hiſpani, qui Chinenſibus admodum ſuſpecti ſunt, nec id abs re: Sunt enim Philippinæ ſitu valde commodo, ad vexandum Chinam: Hiſpanis quoque probe notũ eſt, quàm diues ſit illud regnum. Rex Hiſpaniarum Philippus, omnes vias tentat, vt tranquille recipiatur Euangelium, videturque dominum Deum noſtrum, modo aliquam portam aperuiſſe: Quamuis enim Chinenſes, in ſuam ditionem exteros non admittant, ſicut alibi diximus, attamen aliqui Patres Ieſuitæ, moti intenſo deſiderio gloriæ Dei, & ampliationis ſuæ ſanctæ legis, in campo adeo ſpacioſo, qualis ille eſt magna arte, nec minori patientia regnum Chinæ ſunt ingreſſi, comparataque ſibi aliquorum Magiſtratuum beneuolentia, obtinuerunt priuilegium neutralitatis, præcipue Pater Michael Rogerius: Venit hic in Europam anno 1590. vt referret, quid illic ageretur. Dum ego hæc ſcriberem, allatæ ſunt Significatienes à duobus Patribus, qui in regno Chinæ remanſerant, quibus ſignificabant, ſe diuerſas perſecutiones paſſos, tandemque coactos fuiſſe, ciuitate in qua habitauerant aliquoſque conuerterant excedere, & maritima verſus ſe conferre. Luſitani ipſis quoq; aliquantulum ſuſpecti ſunt, ij mercimonia in illo mari exercendo, primum fidem ſibi conciliarunt, auſpicijs Ferdinandi Andrada, propter ſignificationem iuſtitiæ, & moderationis, quã de ſe, in Inſula Tamo dederat. Hic primus omnium Luſitanorũ, in ciuitatem Cantam venit, expoſuitque in terram Thomam Petreium Legatum

Emmanue-

Emanuelis Regis Luſitaniæ, Sed eo poſtea delati alij Capitanei prauis ſuis actionibus moribuſq; occaſionem dedere, vt Legatus pro exploratore captus fuerit, & in carcere detentus, vbi miſerabiliter ſuos dies finiuit, cum alijs autem, tanquam cum hoſtibus actum fuit: Tandem poſt multos annos conceſſum fuit Luſitanis, vt ſedes figerent (mercimoniorũ gratia) in parua inſula Macao, in qua fere coloniam fundarunt, ſed parum firmam, quod penitus ſubiecti ſint arbitrio Chinenſium, qui ipſos ob ingenia, & ſtrenuitatem ſuſpectos habent: Eos quoque non fugit amicitia, colluſio & conſenſus qui ipſis cum Caſtellanis intercedit, ideoque reſtringunt quotidie libertatem commerciorum, conanturque ita ſe gerere, vt Luſitani ſua ſponte, Macao relinquant repetantque Indiam.

REX SIAM.

AD limites Chinæ, relinquentes regnum Caucinchinæ (de quo, quod huic operi ininſeratur, dignum nihil habemus) ſequitur regnum Siam, quod inter magna Aſiæ regna habetur. Nomen à Siam ciuitate, ad oſtia fluuij Menam traxit, dicitur quoque regnum Gornao. Extenditur ab Ortu Occaſum verſus, à ciuitate Campaa, ad ciuitatem Tauai vſque, quo ſpacio quingentæ leucæ ſecus oram Maritimam comprehenduntur. Interim verum eſt, Arabes eius regionis, vltra ducentas leucas vſurpaſſe, cũ oppidis Patane, Paam, Ior, Malacca (quam poſtea Luſitani his eripuerunt) Perca:

A Meridie

A Meridie Septentriones verſus,extendit ſe à Sincapura,quæ in medio gradu eſt,ad populos qui vernacule Gueoni dicuntur , qui ad 29. gradus ſunt. Lacus Chiamai qui ſexcentis miliaribus a mari diſtat Regis Siam eſt:in locis mediterranies,dilatatur à finibusCaucinchinæ vltra Auam fluuium,vbi regnum Cencran poſſidet.Sunt itaq; ipſius ſimul cum lacu Chiamai,Menon (quod Capitaneum aquarum ſonat)Menam,Caipumo,Aua flumina , quæ omnes illas regiones plus quam credi queat, omni annonæ genere fertiles reddunt. Potiſſima regionis pars, vndique montibus Auæ,Bremæ,Iangomæ cincta,ſitu plana eſt ſatiſque Aegypto ſimilis. Abundat Elephantis,Equis,Pipere,Auro Stanno , In regni parte Occidentali,habet ſyluas immenſas,Tigridibus, Leonibus,Lyncibus & Hyænis plenas.Continet regna Camboiæ,Siami,Muantai,Bremæ, Caipumo & Chencran.Regi Siami obediunt populi Lai, qui ad Septentrionem regnorum Muantai & Caumua ſunt, in tria regna(vt alibi diximus) diuiſi : Primum eſt Iangomæ,ſecundum Cucrai,tertium Lancaan,Caucinchinæ vicinum: Inhabitant regionem planam & opulentam in quam , ex montibus deſcendentes Gueoni (Marcus Paulus Venetus appellat eorum regionem Cangigu)appetitu carnis humanæ,faciũt eorum horribilem Lanienam. Ab his ſibi timentes Lai,agnoſcunt Regem Siami in ſuperiorem dominum,ſed ei parum obediunt, ſæpeque ei rebelles fiunt.

(·.·)

DIVITIAE.

Huius regni opes,ex eius fertilitate percipi poſſunt:cum enim in planicie ſit, quæ à nobiliſſimis maximiſque fluminibus, oportuna inundatione Nili inſtar irrigatur,dici non poteſt quantum rerum omnium copia affluat.Producit Oryzam,frugeſque innumeras, Equos, Elephantes, pecoraq; infinita:Aurum quoq;,Stannum, Metalla. Argentum à populis Lai eo defertur:Hæc terræ fertilitas in cauſa eſt, vt populus ſe valde delicijs & voluptatibus obruat.Agriculturam exercent, ſed artibus non admodum delectantur,eamque ob rem regnum exigui commercij eſt. Inter alias ciuitates tres admodum celebres ſunt,nimirum Cambaia,ad flumen Meicon aut Menon ſita,quod in China oritur & in decurſu adeo fluminibus & aquis augetur, vt ei ſuus alueus non ſufficiat: & propter aquarum vim ſe mutuo protrudentium rumpit diſcinditque terram,plus quam in mille partes, efformatque lacum quaſi alterum Meotidem,plus quam ſexaginta miliaria longum: Meicon Capitaneum:Menon matrem aquarum ſignificat. Altera ciuitas eſt Siam, cuius amplitudo toti regno nomen dat: maxima ciuitas eſt commercioque admirabilis,id inde colligi poteſt,quod quidam Pater Ieſuita ſcribit, vltra Indigenas incolas, plus quam triginta millia Arabicarum familiarum in ea eſſe: Tertia ciuitas Vdia nomine,Siana adhuc maior eſt,diciturque in ea eſſe quadraginta incolarum millia, & quod in flumine Caipumo(ad quod ſita eſt)diſcurrant ducenta cymbarum millia.

VI-

VIRES.

REx Siami magnifice viuit, ſex excubitorum millia habet,& ducentos Elephantes,oſtentandæ ſuæ amplitudini: Elephantorum 30. millia habet,quorum tria millia bello idonei ſunt. Ea res pro maxima habenda,ſi eorum precium, & impenſæ in ea animalia faciēdæ,conſiderentur.Regis Siami adminiſtratio plus deſpotiæ refert quam Regiam gubernationem: omnium enim ſui regni terrarum dominus eſt,eaſque locat colonis, aut dat eas ſuis Baronibus,ad ipſorum ſuſtentaculum, ad certum tempus,aut quamdiu viuunt, ſed nunquam iure hæreditario: dat quoque iiſdem Baronibus ciuitates oppidaq;,cum iuriſdictione ad tempus præfinitum,vel etiam ad vitam,ſed ea conditione,vt ei in bellis,certo cum peditu numero,Equis &Elephātis inſeruiant.Hoc modo 20.equitum & 250. peditum millia(quibus nulla ſtipendia largitur) habet, nec regno hoc oneri eſt. Si maiores vires coadunare vellet,multo maiorem numerum conficeret:Regnum enim amplum eſt,ciuitates oppidaque populo frequentia ſunt:Sola enim ciuitas Vdia(quæ regni Siami caput ſedeſque regia eſt)emiſit 50. hominū millia:Quamuis Rex Siami nouem regnorum dominus ſit,non aliis tamen,quam Siamitis, in bellis vtitur,qui duo regna,Siami nempe(quod ipſi Chaumua vocant)& Muantai(in quo ciuitas Vdia eſt) inhabitant.Sequuntur tria Laiorum regna, duoque alia ad mare ſita nempe Como & Camboia. Ad Occaſum eſt Caidoco regnum,& Septentriones verſus Brema,quod alii Barma,alii Brama dicunt, ſicut in

bar-

baris nominibus euenire ſolet. Cum ſpes parandi opes,& acquirendæ amplitudinis, in hoc regno ab armis dependeat, vigente etiam pace, fiunt exercitia bellica; & in aliquibus ludis, quos Rex quotannis Vdiæ exhibet, referuntur omnia ad exercitia militaria. Vni fiunt in flumine Menam, vbi plus quã tria Paraorum (genus nauigij eſt) millia, in duas claſſes diuiſa, confligunt: congrediuntur quoque equis & elephantis: pedites quoque, enſe parmaq; inſtructi: exercentur quoque in venationibus ferarum. Vitæ quod ſuper eſt impenditur delicijs & vitijs.

PRINCIPES VICINI.

SIamenſium fines ad Ortum Caucinchinam attingunt, inter quam & ipſos ſunt ſyluæ immẽſæ, Leonibus, Tigridibus, Lyncibus, Hyænis, Elephantis plenæ, impediuntque, ne ſe inuicem bello infeſtent. Cum autem ambo hæc regna Regi Chinæ ſubdita ſint, (cui quotannis Legatos mittunt) pacem inter ſe colunt. Chiamai lacum verſus contermini ſunt Siamenſes Chinenſibus. Ad mare iunguntur Arabibus, & locis quæ Luſitani occuparunt: illi Patane, Paam, Ior, Peram: hi Malaccam totumque eius regnum rapuerũt, ita vt regi Siam ad ducenta terræ miliaria ademerint: Sed cum ora maritima contenti, latius in interiorem regionem, iuriſdictionem non exerant, recipiantque ex inuectis & euectis mercibus magnos Reditus, nec viribus, ad Mediterranea inuadendum, ſatis firmis inſtructi ſint, pacem cum Rege Siam colunt. Regnum Pegu ad occaſum eſt regno Siam, mediæ Lunæ inſtar: iacet

inter

inter montes,quosBrami & Iangomei incolunt,extendit ſe ſecundũ mare,à ciuitate Rei (quæ ad mare in 14.gradu,& eius parte tertia eſt)ad Sedoch vſque,quæ in decimo octauo gradu ad oram maris eſt per ſpatium 90.leucarum, paulo minus in Mediterraneis latum eſt. Fluuius Pegu regionem mediam interſecat,& certis temporibus intumeſcẽs,diffundit dilatatque ſe per illos amœnos campos, idque tam egregie,vt magnum Sinum tibi ob oculos ponat. Is triginta leucas latus eſt: Vbi autem fluuius decreuit & in ſuum alueum reflexit, creſcunt ibi omnia, quæ illud clima fert, tam abunde, vt Pegu Aegypto non inuideat. Regni Pegu Portus præcipui ſunt Pegu ad eiuſdem nominis fluuium: Tauai, Matabane, Colmin. Siamenſibus ad Septentriones vicini ſunt Gueoni,aſperrimorum montium incolæ, inter quos & Siam ſunt Lai, qui eam à Septentrionali & Orientali & latere prorſus circumcingunt ſecundum flumen Mecon : fines denique iungunt China,Campa & Camboia. Lai parent Regi Siam,quod metuant Gneoni à quibus illos Rex Siã tuetur,niſi id faceret,iam dudum ab illis exciſi eſſent. Ante 40.annos,eos aggreſſus eſt Rex Siam,cum 20.equorum millibus(qui quamuis parui ſint,ferũt tamen egregie labores)habebat præter eos 250. peditum & decem elephantorum millia : pars prælio bona erat,pars geſtabat impedimenta. Non aliud regnum eſt quod maiorem Elephantorum copiam habeat,iiſque plus vtatur.Trahebat quoque poſt ſe boum bubalorumque clitellariorum ingentem numerum, quos deficiente commeatu mactabant.

MVTATIO REGNORVM SIAM ET PEGV.

HVc vſque diximus de Regnis Siam & Pegu, ſicut erant, quando Luſitani Indiam ſunt ingreſſi, ſed ab eo tempore, res valde mutatæ fuere, modo qui ſequitur. Regi Pegu obediebant quondam aliqua Bramorum regna, ſecundum flumen, Chiamai lacum verſus, vbi ſuos Legatos habebat. Sexaginta ab hinc annis quidam Legatus, quem regno Tangu præfecerat, confiſus aſſeclis, quorum multos habebat, & authoritate, quam ſibi virtute parauerat, rebellis Regi factus eſt, rapuitq; ſibi regnum, occiſis viris primarijs: Quod plus eſt, cepit ciuitates, & regna Prom, Melintai, Calam, Mirandu & Ana, quæ omnia Bramis inhabitata erant. Ea Septentriones verſus, plus quam ad 150. leucas extenduntur: Tentauit quoque occupare Siam, venitque in conſpectum Vdiæ Metropolis ciuitatis regni Muantaij vſque, ſed nihil efficere potuit. Suſceperat illam expeditionem, cum trecentis peditum millibus, conſumſitque plus quam tres menſes in aperiẽdis vijs, per montes aſperrimos, ſyluas vaſtas, & loca inacceſſibilia, in quibus amiſit 120. hominum millia, cepitque Siamenſium ducenta millia. Domum reuerſus, aggreſſus eſt ipſum regnum Pegu, & quod expugnauit: Poſtea, anno nimirum 1507. reuerſus eſt ad expeditionem Siam vicitque Regem, qui ſibi veneno mortem conſciuit, eius filios autem cepit occupauitque eius regni magnam partem. Hic & eius

M ſuc-

ſucceſſores,quod eorum potentia incœperit,occu-
patione regnorum Bramorum, vocantur à neoteri-
cis Hiſtoricis Reges Bramæ,aut vt alij dicunt,Reges
Birmæ: Luſitani autē à nobiliori,& magis cognita
occupatorũ parte,vocant eos Reges Pegu.Tentauit
poſtea aliquoties, cum vno virorum Millione &
amplius ciuitatem Vdiam: Sed vt quod de magno
numero diximus fabuloſum non videatur (quod
res alibi dicendæ ſimiles ſunt) non erit ab inſtituto
noſtro alienum,ſi hic demonſtremus, vnde accidit,
vt hic,alijſque in regionibus,tam numeroſi exerci-
tus colligi educique poſſint. Primo itaque dicimus,
quod bella,tuis in finibus,aut procul ab ijs gerun-
tur. magnos exercitus, longo tempore alere non
poteſt is,cui maximi Reditus, copiaque paratæ pe-
cuniæ non ſuppetit:Sicut enim noſtri corporis mē-
bra ſine neruis moueri,& abſque ijs, motus conti-
nuari non poteſt:ita nec exercitus colligi, nec quo
opus eſt duci,nec vniti in expeditione retineri poſ-
ſunt,niſi prompta pecunia, quæ ipſos oportuno tē-
pore reficiat,trahatque poſt ipſos,arma, commea-
tum,annonam aliaſque res vitæ neceſſarias, vſuiq;
armorum commodas.Cum autem Principum redi-
tus,ſicut priuatorum hominum facultates, (vnde
Principes ſuos theſauros inſtruunt) certis finibus
conſtent, efferendoque vno aut duobus annis, ex
tuis prouincijs pecunias,ijs eas denudabis, omne-
que aurum & argentum ita exhauries,vt ijs poſtea
inanes remaneant,conſequitur quod bella longin-
qua,nec ſuſcipi,multo minus continuari poſſint,ni-
ſi à Principibus,qui à longo tempore theſauros ac-
cumularint,aut habeāt fodinas inexhauſtas, & nũ-
quam deficientes: Theſauri autem,quantumuis ma-
ximi,conſumentur paruo temporis ſpacio: Id e-
nim

enim quod in pace, parce colligitur, in bello, prodige expēdēdū eſt. Vnus ſiquidē annus quo bellum geritur, fructus multorū annorū pace cōquiſitoru abſumit. Quare quidam Capitaneus Luſitanus, magna cū cauſa dixit Luſitaniæ Regi Sebaſtiano, cū de expeditione in Barbariā ſuſcipienda ageretur, ad id bellū tres torrentes requiri: vnū virorū, alterum cōmeatuum, tertium pecuniarum. Ille quoque egregie dixit, qui ab belligerandum pecunia infinita opus eſſe dixit. Cum autem in omni bello multum expendendum ſit, id tamen quod procul à domo geritur, infinitas, & quæ omnium opiniones ſuperent, pecunias requirit. Magnus Turca id expertus in bello Perſico, quo adeo potens Princeps ſuas facultates & theſauros tali modo conſumpſit, vt ei valorem auri argentique diminuere, illorum precium ad duplum augere, patique monetarum falſificationē milleque tales res, neceſſe fuerit. Qua de cauſa Ianizari plus quam ſemel ſeditionem & turbas concitarunt, ciuitatem Conſtantinopolim furioſè peruagati, flammas iniecerunt, ſuntque eius magnam partem deprædati. Rex Catholicus tot bellorum onera in tam longinquis Prouincijs, tantoque tempore ferendo, facultatibus tantum Hiſpaniæ ſuffultus non ſufficeret, niſi dominus Deus ei dediſſet alium Orbem, Minæris inexhauſtis argenti plenum, veniſq; & fluminibus auriferis ſcatētem, qui ipſum quotannis nouis theſauris (qui ad ipſum claſſibus deferuntur) reficit: Pecunia ea eſt, quæ militibus commeatum & apparatum dat, illos in vnum locū coire facit, & eos modo huc, modo illuc ducit, ſicut occaſiones neceſſitateſque expeditionum exigunt. Tanti momenti eſt pecunia, vt Ioannes Iacobus Triuultius, magni nominis Capitaneus, rogatus,

quæ res in bello neceſſariæ neceſſariæ eſſent, tres requiri reſponderit: Pecunias, Pecunias, Pecunias. Hæc intelligenda ſunt, cum impenſæ ex tua ditione capiendæ ſunt: accidit enim aliquando vt expeditio bellica ſe ipſam alat, ſubminiſtretque ipſa vires: Hunni, Vandali, Gothi, Arabes, & noſtrum auorum tempore, Magnus Tamerlanes, maximos exercitus foras eduxerunt, Prouinciaſque nullis viribus inſtructas, ſine magna reſiſtentia & obſtaculo intrantes, dabant in prædam & direptionem: ciuitates ruraque alebant conſeruabantque ſe ſpolijs & ruina regionum. Idem noſtris temporibus Luſitanis in India Orientali, & Caſtellanis in India Occidentali, ſed plus his quam illis accidit. Nulla enim vnquam natio in Orbe fuit, quæ nullo fere proprio ſumptu tantum acquiſiuerit, quantum Hiſpani in Noua Hiſpania & Peruuia. Sed id hoc tempore factu adeo facile non eſt, ſicut olim fuit, minuſque in Europa, quam in Aſia, aut Africa, propter tormentorum bellicorum vſum & Arces, quæ pluribus menſibus, immo annis, ſuſtinere, imo defatigare hoſtem præpotentem poſſunt. Turcæ hoc ad Zigethum experti ſunt, paruum id in Hungaria caſtrum eſt, quod anno 1566. Solimannus Turcarum Rex, cum ter centum bellatorum millibus aggreſſus, tandem expugnauit, ſed cum tanta ſuorum ſtrage, vt tanti exercitus pars tertia domos non reuiſerit. Fuit itaque acquiſitio tanto conatui longe inferior. Luſitani initio ſuæ expeditionis Indicæ, cum paucis militibus modicoque tempore magni momenti acquiſitiones fecere: Sed cum illi populi tormenta bellica ſibi paraſſent, architectos nacti Arces extruxiſſent, claſſeſque inſtruxiſſent, nō vltra progreſſi ſunt Luſitani. Hiſpanis idem in nouo Orbe accidit: Re-

pererunt enim poſt primas illas victorias, in noua Hiſpania Chichimechios, & in Perruuia Pilcoſſonios, Ciriguanios, & Cuchios: vt 27. annorum ſpacio non latum pedem terræ potuerint ſuo imperio addere, ſicut nec in valle Arauco, Tecapel, in regno Chile, vbi cum illæ gentes vidiſſent Hiſpanos ictibus ſagittarum armiſque interfici, non habuerunt eos amplius in ea exiſtimatione, qua ipſos habuerant, cum pro cœli filijs & gente immortali ipſos æſtimabant: experientia autem praxique edocti, nõ amplius timent equos nec Sclopetos: Sed ſi bellum non procul domo geritur, non eſt difficile pauco tempore magnos exercitus colligere: Sicut legimus de Crotoniatis & Sibaritis. Et ne exempla adeo antiqua adducamus, legitur Gandauenſes Flandrię populum, ſe aliquando potentiæ Regum Franciæ cum 80. bellatorum millibus oppoſuiſſe. Cum enim eorum regio abundans populo eſſet, bellumque in finibus gereretur, currebat in id vnuſquiſque commeatu (qui in aliquot dies ſibi ſufficeret) inſtructus; ſed diu in expeditione ſubſiſtere nõ poterant, quod pecunia & annona deficerent: conſtringebanturque omnes: hic ad aratrum, ille ad officinam, tertius ad tabernam, vnde ſe ſuſtinebãt, reuerti. Scoti, qui præ defectu pecuniæ nunquam præclaram expeditionẽ extra Inſulam ſuſceperunt, neceſſitate patriæ id exigente, aliquando modico temporis ſpacio, magnũ hominum numerum collegerunt, eoque aut hoſtes aggreſſi ſunt, aut defenderunt fines, ſicut & faciebant Romani, qui per aliquot ſæcula, dum cum vicinis Romæ populis belligerarent, priuatis ſtipendijs arma tulerunt. Egrediebãtur enim domo cibis in vnum aut duos dies, alijſque rebus neceſſarijs inſtructi, vnoque prælio paucis horis bellum finiebant.

bant. Sed cum expeditio in Veios ſuſcepta diutius protraheretur, coactus fuit Senatus populo ſtipendia parare. Exercitus ad expeditiones vicinas colligere in regionibus Orientalibus, & in Africa, longe facilius eſt, quam in Europa: eius rei multæ ſunt cauſæ. Prima eſt, quod regiones vt plurimum abundantiores copioſioreſque rebus vitæ humanæ neceſſarijs ibi ſunt: deinde quod populi Meridionales & Orientales, vt plurimum minori quam nos contenti viuant: ſunt ciborum parci ſimpliceſque: Europæ autem populi non ſolum vt ſe nutriant, edunt bibuntque, ſed vt frigus à ſe arceant: illi autem à cibo nihil præter nutrimentum recipiunt. Vinum, quod apud nos pane carius eſt, apud ipſos non reperitur: Ipſorum aquæ ſunt noſtris meliores. Ars culinaria non apud ipſos tam exquiſita eſt, quam apud nos, nec eorum ſtomachus aſſueuit adeo opiparis delicijs. Turcæ finiunt conuiuia Oryza & carne veruecina, nec Orientales inſumunt tantum in veſtes quantum nos. Eunt ſeminudi in bella, nec præter pudenda aliquid cooperiunt Inde accidit quod apud ipſos, non tanta artium artificumq; frequentia ſit, quanta apud nos eſt, vbi maior elaboratarum rerum pars, ad veſtes, & ad perſonarum ornatum pertinet, nempe tot generis panni, lanei, ſerycei, varietas veſtium, colorum venuſtas, pompa veſtimentorum, aliæque tales. Apud illos populos fiunt fere omnes expenſæ in panniculo ex goſſypio, qui eos ab vmbilico ad genua vſque tegit. Has ob cauſas facilius illic quadraginta quam apud nos decem militum millia ſuſtentari poſſent. His adiunge expenſas, quæ in tormenta bellica & in eorum apparatum, in commeatum, equos, homines, aliaſque res, quæ ad gerenda bella requiruntur, faciēdę ſunt:

hæc

hæc ignorat maxima populorum Orientaliũ pars, ij maxime,quibus cum Arabibus & Luſitanis nihil negocij eſt,& qui prouincias Mediterraneas inhabitant.Sed parui momenti non eſt,quod ſupra dicti populi in bella eant, nullis armis defenſioni aptis inſtructi,abſq; thoracibus,galeis, ſquamis æreis & laminis,quibus multum impenditur,nec ea, ex vno loco in alium abſque impenſis vehi poſſunt. Multũ hac in re differimus à Romanis,qui in bella euntes tam defenſioni quam offenſioni apta arma & ſæpe commeatum in decem & plures dies ferebant:quare Virgilius hoc onus,Iniuſtum faſcem canit, quod præter modũ eſſe videretur. Cum itaque illi populi commoditatibus fruantur nempe fœcunditate regionum,facilitate parandi victus,amictus,armorũ,facile eſt,vt vrgẽte neceſſitate exercitum multo maiorem, quam nos, colligant,qui rebus infinitis indigemus,quas ipſi ne quidẽ norunt. Legimus res maximas de exercitibus Aſſyriorum, Aethiopum, Beli,Nini,Semiramidis,Cambiſis,Cyri,Darij,Seſoſtris,Seſaci,& temporibus minus antiquis, Arabũ, Tartarorum,Mogororũ aliorumq;. Et ne exempla tantũ longinqua adducamus,& vt ex ijs,quæ recens acciderũt,rebus antiquis fides concilietur, eaq; fiant credibilia: Literis patrum Ieſuitarum & Capitaneorum Luſitanorum celebratur res illa, quæ accidit anno 1584. in Angola (ea nobilis diueſque Prouincia eſt Aethiopiæ Occidentalis regno Congo vicina.)In ea Paulus Diazius Capitaneus Luſitanus, ſecunda Februarij die obuiam habuit exercitum,vnius Millionis,& ductorum Aethiopum millium, quem aduerſus ipſum eduxerat Angolæ Rex, qui ab illo,incredibili fœlicitate, nõ armorũ vi, ſed Dei benignitate diſſipatus & in fugam actus fuit.

Huius rei certiorem me fecit literis Eduardus Lopezius Luſitanus,qui eo tempore erat cum Rege Congo.Certum itaque eſt,quod adeo numeroſi exercitus parum durent, & torrentibus quam fluminibus:nimbis quam pluuijs ſimiliores ſint: quamuis enim colligi poſſint,non tamen diutius conſeruantur,quam commeatus, quem ſecum domo attulerunt,durant. Accidit inde vt intra paucos dies diſſoluantur valedicantque expeditioni, non cum ea in medio curſu eſt,ſed cum incipit moueri: non habent enim ſecum rem quæ mercatores, & epulatores cum rebus conſeruationi vitæ humanæ vtilibus,& ad bellum neceſſarijs,poſt eos trahit. Quod plus eſt,vt Millioni militum, de rebus neceſſarijs proſpiciatur, opus eſſet alio hominum Millione, curribus,iumentis clitellarijs,famulis, mercatoribus & epulatoribus qui illos ſequantur:Tantæ multitudini autem, nec flumina aquam, nec campi fruges, nec terra hoſpitia ſuppeditare poſſet:neceſſe itaque eſſet vt ſua mole rueret & in nihilum redigeretur.Reges illi Orientales,qui exercitus ſolito maiores collegerunt,eaque in bella, & longinquas regiones duxerunt,ea quæ diximus bene perpendentes, primum maximam pecuniarum, commeatuum,aliorumque neceſſariorum apparatuum copiam compararunt.Inter alios,Xerxes, qui maiorem exercitum,tam mari quam terra (de quo memoria ſit)collegit,conſumpſit ſeptem annos, in apparandis ijs,quæ ad expeditionem neceſſaria erant.Sed reuertendo ad Regem Barmæ,cepit is paucis elapſis annis Port.Martabane & Ternaſeri, armaque deinde,nunc ad Septentriones, nunc ad Occaſum verſus circumagendo, diuexauit Principes Caor & Tipuræ, cepit regnum Aracan, Macin duxitq;

xitque in eam expeditionem ter centum millia, & quadrageſies mille Elephantos. Aracan, regnum, montibus obſitum & vndiquaque fere ſyluis ſpacioſis cinctum eſt, ſuntque eæ regno pro muro valloque: Ciuitas magiſtra, quæ regno dat nomen, ſita eſt ad fluuium, diſtatque quindecim leucis à mari, 35. à Catigan, Macin, regnum eſt diues Aloe: id lignum (quod Arabes dicunt Calambuco, alij lignū Aquilæ) propter odorem ſuauiſſimum, æſtimatur ab omnibus illis populis Orientalibus Argēti pondere. Vtuntur eo in India & Cambaia, in exequijs magnorum Principum, in balneis, & in ſimilibus delitijs: Naſcitur vt plurimum, in aſperioribus montibus Campæ, Camboiæ Macin: quod in noſtras regiones defertur, nullo in precio apud illos eſt. Intelligo in regnis Congo, Angolæ, regionibuſque vicinis laudatum probumque reperiri, & quod indigenæ eo vtuntur pro remedio & medicina variorum morborum, quibus laborant Sed ſi id verum eſt, miror, quod Luſitani ex eo lucrum non captent.

(∴)

REX NARSINGAE.

POtentiorum Principum qui inter Indum Gangemq; ſunt, vnus eſt Rex Narſingæ: eius enim dominio quicquid eſt inter montem Gate & Sinum Bengalicum, inter Promõtoria Guada vernũ & Comorinum, quod ſpacium 200. leucas continet, abundantia & copia rerum cum alijs Indiæ regionibus certare poteſt. Aquę à montibus cadentes nũc à fluminibus, alibi riuulis, alias lacubus ſtagniſque receptæ, mirifice terram refrigerant, adaquant humectantque. Ea aquarum copia, ſolis calore adiuta, miras res propagandis frugibus pecudibuſque facit. Oryza varij generis, auibus, feris, domeſticis animalibus præcipue Bubalis, Elephantis, Minæris gemmarum & metallorũ, mirifice luxuriat regio. Equos bello aptos non producit, ſed à mercatoribus ex Arabia & Perſia, magno numero adducuntur, id quodque quadam æmulatione Principes Decan faciunt. Inter ſupradictos regni Narſingæ fines, habitant quinque nationes, lingua inter ſe differentes, plura quoque loca ad Oceanum Indicum habet munita Narſingæ Rex: Eius enim dicto audiens eſt prouincia Canara aut Cocam, vbi ſunt oppida & & portus Mangalor Mayandel, Batticala, Onor, ſed Luſitani vectigal Batticalę recipiunt, & ante aliquot annos occuparunt Onor. In Narſingæ regno ſunt duæ ciuitates regiæ, vna earum Narſinga, altera Biſnagar nuncupatur, vnde hic Princeps aliquando Rex Biſnagaris, aliquando Rex Narſingæ vocatur.

VIRES.

PRo re certa habetur, Regem Narſingæ 12. Ducatorum Milliones quotannis recipere, quodque eorum tres, aut duo & ſemis ipſi manent, omne reſiduum impendere in magnum corpus militiæ, nempe 40. Nairorum & 20. equitum millia, quibus pacis bellique tempore ſtipendia largitur: Neceſſitate vrgente, multo maiorem exercitum educere poteſt: eius enim ſtipendia merentur 200. Capitanei, quibus territoria ſuæ ditionis confert, ſub obligatione, vt certum equitum, peditum, Elephantorumque numerum ſemper ad manum paratumque habeant. Amplitudinis redituum regni, argumento eſſe poteſt, quod Capitaneorum aliqui à Rege Millionem Ducatorum conſequuntur. Sed pro re incredibili habendum minime eſt, quod hic, ſicut in maiori Otientis parte, omnes terræ, ſyluæ mineræ, etiam aqua ipſa aliquorum fluminum, ad Principes ſpectãt: Nemo enim aqua fluminis Gangis quod regnum Bengalæ perlabitur, nec Gangæ quod per Oriſſæ regnũ fluit, ſe lauare poteſt, niſi Regibus vectigal Teloniumq; perſoluat. Ipſe quoq; Narſingæ Rex aquam iam dictorum fluuiorũ emere cogitur, eam enim è longinquo ad ſe deferri iubet, vt in ea balneetur, aut quadam ſuperſtitione ſe ea purget luſtretq;. Rex omniũ fundorũ ſuæ ditionis dominus eſt, populo autẽ præter brachia & laborẽ nihil relinquitur, quidquid è reditibus regni percipitur, id inter ipſum & Capitaneos diuiditur: ipſi enim Regi pars tertia redituũ, Capitaneis duæ reſiduæ partes cedũt. Cũ itaq; maxima Principũ Oriẽtaliũ pars ſibi

non

non pacem aut iuſtitiam pro ſcopo, in quem colliment, proponant: ſed victoriã, amplitudinemque, collocant omnes facultates in militiam, nec aliud eis curæ eſt: Indeque conſequitur, vt equitum peditumq; numerum, nobis vix credibilem tenere alereque poſſint. Sed vt ipſorum potentia credibilis fiat, operæ precium feciſſe videbimur, ſi ob oculos ponamus, quid Princeps Chriſtianæ profeſſionis (qui Dominus eſſet omnium fundorum territoriũque ſuæ ditionis) efficere poſſet. Aeſtimatur id omne, quod è territorijs Franciæ percipitur, ad 15. Milliones aſcendere: in Francia autem nec auri mineræ nec argenti ſunt. Sex Milliones percipit Clerus Regni; vna Myrias & ſemis Regis eſt Domainium vt vocant, reliquum aliorum eſt, qui reditus habẽt: nihilo tamen minus ruſtici eo in regno laute viuũt, (ij in Oriente, in India præcipue, in Polonia & Lithuania pro mancipijs habentur) Principes itaque Orientales, multo maiores reditus è Francia perciperent. Vltra ea quæ dicta ſunt, habet Rex Chriſtianiſſimus, plus minus octo Milliones ordinarij reditus, ex vectigalibus datijſque, quanto autem eſſet potentior, ſi vltra hæc (in quibus ſua potentia conſiſtit) Dominus fundorum territoriorumq; totius regni eſſet, illaque (ſicut Rex Narſingæ facit) in milites impenderet? certe ſicut quando Francia in flore erat, vix expenſis in 4. cataphractorum & 6. ſagittariorum millia, faciendis, ſufficiebat, ſi quæ iam dicta ſunt, alijs eius reditibus accederent 150. equitũ millia poſſet tenere. Sed vt ad Narſingam redeamus, hic Rex vt ſuos Capitaneos ſedulos diligenteſque reddat, inſtituit quotannis luſtrationem, in qua omnes ſe ſiſtere tenẽtur: Ea luſtratione peracta, gradu mouet eos, qui minus militum quam debebant,

bant,aut armis non probe inſtructos adduxerunt: eos autem qui plenum numerum riteque inſtructū ſecum traxerunt,complectitur benigne,melioremque reddit eorum conditionem. Sed quæ vires ex tantæ amplitudinis regno,modoque quo dictum eſt inſtructo,educi poſſint, inde colligi poteſt, quod Ioannes Barros ſcribit,de exercitu quē Rex Chriſmarao,aduerſus Idalcanem, in expeditionem Raciolenſem eduxit:quod vt melius intelligatur, præter meum inſtitutum recitabo punctuatim quidquid is dicit.In plura membra ſub ſuis Capitaneis diuiſus erat exercitus,in prima acie erat Camaraique cum mille equis 17.elephantis, & 30. peditum millibus: Tiarabicare cum duobus equorum millibus,20.Elephantis,& 50.peditum millibus, poſt eū erat Timapanaique,cum tribus equorum millibus & quingētis & 60.peditum millibus:Hadapanaiq;, qui eum ſequebatur,ducebat 5.equorum millia, 50. Elephantes,& centum peditum millia.Condomara 6.millia equorum,60.Elephantes,120.peditum millia;Comara 250.equos,40.Elephantes,& 80. peditū millia.Gendraio mille equos,decem Elephantes,& 30.peditum millia,Poſt hunc ibant duo Enuchi Regi familiares,cum mille equis,15.Elephantis, & 40. peditum millibus,Pediſſequus Betel ducebat 200.equos,20.Elephantes,& 15. peditum millia. Comaberra 400.equos,20.Elephantes, 8. militum millia, ſequebatur Rex,cum ijs,quibus ſui corporis cuſtodiam credebat,nempe 6.equitum millibus,300.Elephantis,& 40.peditum millibus: Ad eorum latus ibat Gubernator ciuitatis Bengapor, cum diuerſis Capitaneis,ſub quorum ſignis erant 4200. equi 25. Elephantes,& 60.hominum millia, pedibus merētium.Vltra hanc gētem adhuc erant duo equorum,

& cen-

& centum hominum millia, in exiguas turmas diuiſa, qui curſorum inſtar, vndiquaq;, ante, retro, & à lateribus regionem, tali cum ordine perſcrutabantur, vt vno tractu, quidquid accidiſſet, cognoſci poſſet: hos comitabantur 12. aquatorum, & 20. meretricum millia, famuli, mercatores, artifices, lixæ (quos ipſi Maniati dicunt) boum bubalorumq; clitellariorum numerus iniri non poterat. Dum flumẽ tranſmitteret exercitus, eius frequentia, ex eo cognoſci potuit, quod aqua quæ ad dimidium cruris eorum, qui primi tranſierãt perueniſſet, vix vltimis ad bibendum ſufficeret. Antequam Rex ad hanc expeditionem egrederetur, nouẽ dierũ ſpacio 20736. capita animalium, tum aereorum, tum terreſtrium ſacrificauit, eorum carnes in honorem Idoli, cui ſacrificabantur, in egenos diſtributæ ſunt. Milites veſtibus ex goſſypio, tam firmis ſolidiſque induti erant, vt lanceis non minus quam laminæ ferreæ reſiſterent: Goſſypio quoq; cooperti erant Elephãtes, quorum quilibet geſtabat caſtellũ, in quo quatuor armis inſtructi viri erant, Elephantorum dentibus, prælongi latique enſes alligati erant, quibus omnia diſſecabãt: Peditatus in arcus, frameas, enſes, ſcutaque gerentes, diuiſus erat: quod autem horum vltimi, ſcutis pergrandibus vterentur, vt eis commode corpus tegere poſſent, arma offenſiua nulla geſtabant. Silentio prætereundum nõ eſt, quod cum Idalcane, tormentis bellicis, Regis Narſingæ exercitũ valde afflixiſſet, hic ſuum ſuorumq; animos excitans in hæc verba (Principe digna) prorupiſſe fertur; malle ſe vt Idalcane de ſe occiſo, quam deuicto gloriaretur, ſeque inter primos oſtendens, addidit ſuis animos, fecitque ex agnis leones, diſſipauit hoſtem, egitque eum in fugam. Inter alia ſpolia,

qua-

quatuor equorum Arabicorum millia, centum Elephantes, 400. tormenta bellica maiora, præter alia minora, inuenta fuere; boum, bubalorum, tentoriorum captiuorumque numerus iniri non poterat. Cum Idalcane his in bellis fuere 40. Luſitani, cum Rege Narſingæ 20. & ab ijs quæ ſupra dicta ſunt, habemus. Huic Regi, noſtro æuo rebelles facti ſunt duo Capitanei, quorum vnus Virapaneiq; nomine, reſidet in Negapatam; alter cui Veneapatir nomen eſt, dominium locorum vicinorum Malipuro ſibi rapuit.

REX CALICVT.

IN Indiæ parte nobiliſſima, quæ inter Gate montem, Oceanumq; Indicum ſita eſt, extenditurq; à promontorio Comorino, ad fluuium Cangiere cor vſque, ſpacio 300. milliariorum, nullus Rex eſt, qui viribus potentiaque, cum ijs, quos hucuſque nominauimus conferri poſſit: regio enim tot in partibus, nunc Sinubus maris, nunc fluminibus, aliquando lacubus ſtagniſque ita diſcinditur, vt eam natura in plures diuiſiſſe videatur, nempe Trauancor, Colam, Cochin, Cranganor, Calicut, Tauo, Cananor. Ante ſeptingentos annos, præfuit his regionibus Pereimal, Rex totius Malabaris, qui cum factus eſſet Mahumetanus, Mecan profecturus, vt dũ viueret ibi moram traheret, ſuũ Regnum (vt alias diximus) in plures partes diuiſit, voluit tamen, vt maieſtas ſuperioritaſq; eſſet apud Regẽ Calicutij, cũ titulo Samorini (quod Imperatorem ſignificat.) Quam-

Quamuis potentię huius Regis multum deceſſerit, tū quod Luſitani commercia à ſuis portubus auerterint,tum quod authoritatem Samorini diminuerint,eius æmulos ſubditoſque (quales erant Reges Tauor & Cochin) ſuſtinendo : nihilominus ſuam maieſtatem tam egregie adhuc tuetur, vti inter alios,à nobis celebrari mereatur,vel propter id ſolum,ne nobilis illa Indiæ pars, à nobis tranſeatur, nulla facta mentione eius Principum. Calicutij regnum ad 25. Leucas in longitudinem protenditur. Malabar vbi latiſſima eſt, decem leucas non excedit.Ciuitas Calicut(quæ regno nomen dedit)ad maris oram ſita eſt,ſecundum quam ſe fere ad tria miliaria extendit,ſed paucæ in ea domus,nec eæ magni precij ſunt,nempe 10. 15. 20. aureorum ordinarij reditus,quod & commune precium eſt, maximæ partis ædificiorum nouorum Orientis,quibus Arabes aut Luſitani manus non admouerunt.Suſtentant ſe incolæ Oryza,palmetis,pecore,piſcibus.Diuitiæ conſiſtunt in Zinzibere & Pipere, quorum mercatura magnos theſauros in illius regni portus trahit Primo enim Arabes(qui multis ſeculis huius commercij domini fuere) deinde Luſitani, indicibilia pericula tam immenſæ nauigationis ſpernentes, ab hinc 90.annis venerunt illuc, inuehuntque adhuc ſuas opes,quas commutant cum Pipere alijſque rebus.Sicut autem Luſitani Cochin oppidum diues & opulentum reddiderunt,ita etiam Arabes Calicutium,& eius Regem locupletarunt: commercium enim illud,tanti eſt momenti,vt non ſolum Principes vectigalibus datijſque ditet, ſed & mercatoribus tantæ inde opes accreſcant,vt eorum aliqui, cū aliquibus Europæ ducibus & Africæ Regibus conferri poſſint.

VI-

V I R E S.

IN Malabar communiter in prælijs equis non vtuntur,non ob id ſolum quod equos regio non generet(magno enim numero ex Perſia & Arabia eo ducuntur,)ſed quod regio id non ferat : ſicut enim in Suecia pedites haſtis; equites lanceis non vtuntur ob ſyluarum frequentiam,quę earum vſum impediunt,eaſque inutiles reddunt; ita & in Malabar raro equis vtuntur,propter regionis anguſtiam & quod mille in locis hic fluminibus; illic maris Sinibus,aliquando lacubus rumpitur: vires itaque in peditatu & armis naualibus conſiſtunt.Peditatus his in regionibus, ad militiam adeo probe inſtructus eſt, vt id creditu difficile ſit.Milites omnes nobiles ſunt,dicunturque Nairi: cum hi ſeptimum ætatis annum attigerũt, ducuntur in ſcholas militię, vbi eorum nerui iuncturæque, per homines excellentes diſtenduntur, frequenti vnctione olei Seſami,conſequunturque ea inunctione agilitatem fere incredibilem,vertunt,inclinantque membra facillime in omnem partem,quaſi in ijs nulla eſſent oſſa, ſaltantque antrorſum retrorſumque ad miraculum vſque.Semper erercent ſe armis , exiſtimantesque neminem pluribus in rebus excellere poſſe: aſſueſcunt vni tantum armorum generi cui ſe maxime aptos norunt.Arma eorum quondam fuere haſtæ, arcus,enſes,ſed poſtquam Luſitani in eas regiones penetrarunt,adeo exacte ipſi artem metalla temperandi,& fundendi tormenta bellica , ijſque vti didicerunt,vt ipſorum Sclopeti puluiſque pyrius,no-

ſtra longe ſuperent,In bella(præterquam infra vmbilicum)nudi eunt,nec thoracibus ferreis vtuntur, vnde accidit vt in prælijs, omnique alia militari actione,mira agilitate leuitateque polleant, & falconum inſtar, aduerſarium aggrediantur & effugiant:quando eos longe abeſſe putas, vno momento eos tibi imminere vides, ita vt difficilliimum ſit eos effugere,& perſequi,pedibus enim inſtar Pardorum valent:Nec minus timenda eſt eorum fuga quam aggreſſio.Si cominus pugnandum (quod niſi neceſſitate coacti aut occaſione ipſis commoda non faciunt)cuſpide feriunt fere ſemper.Laminas ęreas aut argenteas,manubrijs enſium ad ligatas geſtant, earum ſonitus,ipſis tubarum, aut tympanorum loco eſt,quod eos ad prælia accendant. Scutis ſe tam probe tegunt, vt nullum feriendi locum hoſti relinquant.Inter Nairos vnus ordo militum eſt, (Amochi dicuntur) hi grauiſſimis execrationibus ſeipſos,familiam,& poſteros execrantur,niſi iniurias ſocijs factas vlciſcantur:Si Rex occiditur, tāto cum furore,ad eius necem vindicandam currunt, vt nec ignis,nec præſentiſſimum periculum eos remorentur: quo igitur maior minorue Amochiorum numerus Regibus Indiæ eſt, eo potentiores debilioresue cenſentur.Nairis animos audaciamque in periculis addit augetque,quod vxorati non ſunt.Ante aliquot ſecula,harum regionum Princeps(huic forte nota erat Reipubl.Platonis praxis)mulierum inter eos communitatem introduxit:his accedit maxima libertas,vel potius elatio & ſuperbia, non enim plebeio licet Nairo appropinquare, niſi male tractari velit,ipſique ſeruos ſuos,in diuerticula viarum præmittunt,qui ipſos venire indicent,vt ijs via cedant vel alio ſe conferant. Si verum eſt Gianizaros ad

ros ad bella audaces animoſq; reddi libertate, quæ ipſis pacis tempore conceditur quidquid lubet agendi, multo audaciores elatioreſque redduntur Nairi, qui ſe ab infimæ ſortis hominibus conſpici non ſinunt: ordinarie ciuitates non inhabitant, ſed domus ipſorum terra, denſis ſepibus, ſyluuliſque cinguntur, viæ ad eas adeo inter ſe intricatæ ſunt vt Labyrinthi videantur. Quantas copias educere poſſit Calicutij Rex, cognoſci poteſt expeditione, quam in Luſitanos ſuſcepit: Anno 1503. coadunauit 60. bellatorum millia contra Eduardum Paciecum Regis Luſitaniæ Emanuelis Capitaneum, (is tunc Cochin eiuſque Regem tuebatur) & 200. nauigia bellica, ſubſtititq; in ea expeditione totos quinque menſes: Anno 1529. Arcem, quam Luſitani in Calicutio excitarant, & Ioannes Lima defendebat, cinxit obſidione cum exercitu centum hominum milliũ, perſtititque in obſidione per totam hyemem, & quamuis Luſitani in propugnanda Arce, ſe ſtrenue geſſiſſent, potentiam Regis perpendentes, eam ſuis manibus demoliti ſunt. Idem Rex Anno 1561. cum exercitu 90. militum millium, obſedit Arcem Ciale, venitque in eius manus, dedente eam Capitaneo Luſitano qui in ea erat. Quid viribus maritimis poſſit, plus quam ſemel oſtendit: Cum enim multorum portuum, in quos multæ naues appellunt, dominus ſit, quandocumque placet, magnum nauigiorum numerum armis inſtruit. Fatendum eſt ões Indiæ vires maritimas hodie Luſitanicis inferiores eſſe, ob nauium qualitatem, militumque pręſtantiam: eos terra marique ſuperiores facit vſus armorum defenſiuorum: & (vt dicatur quod verum eſt) raro fit vt nudus ferrum non ti-

N 2 meat,

meat,& armatus audacior nudo non ſit. Accidere inde videmus,populoſ armis defenſiuis tantum inſtructos,in bellis agilitate magis, quam viribus ſe tùeri,fugiendoque plus, quam pedem pedi conferendo pugnare,quod plus ſpei in numero, quam in robore ponant,deſtituuntu rque ſæpe ea re,quæ exercitus reddit formidabiles, nempe bono ordine.

REX PERSIAE.

PErſiæ Perſarumque nomen,aliquanto tempore ſuppreſſum fuit,primum ab Arabibus(qui Perſis ſubiugatis, vt eos ignauos redderent, lege ſanxerunt,ne amplius Perſæ ſed Saraceni dicerentur)deinde à Tartaris,primo ductu Chingis,poſtea Tamerlanis.Sed paulo ante noſtra ſecula, priſtinæ gloriæ reſtituta eſt Perſia, virtute Iſmaelis Sophi,de cuius origine,aliqua tradere,abs re non erit, quod ad conſequendam notitiam Status regniquè Perſiæ facere videntur.Cũ Mahumetes (à quo ſecta Mahumetana nomen habet) apud Arabes, diuitijs ſuæ dominæ(à qua hæres inſtitutus erat) & nouo dogmate(quod in vulgus ſpargere incipiebat) nomen ſibi paraſſet,duxit in ſecundam vxorem Aiſſam,cuiuſdam Bubaci viri prædiuitis,& magnæ exiſtmationis filiam:illiuſque & Omari & Ottomari, eius parentum fauore, collegit magnum Arabum numerum,cepitque titulo & prætextu religionis, multa oppida,quæ ei vicina erant, deditq; eo tempore Hali ſuo cognato,in vxorem Fatimam filiam, ex priore vxore,vitaque decedens, anno ſuæ ætatis 63.re-

63.reliquit ei ſuam ditionē, conſtituit quæ eū caput ſuæ ſectæ cum titulo Caliphæ. Bubacus ægre ferens, quod Mahumetes ſibi (cuius fauore magnus factus erat) ætate maturo, iuuenem prætuliſſet, eiecit eum ditione, auxilio Omari & Ottomari, qui ipſum Calipham malebant, tum quod eorum conſanguineus eſſet, tum quod eius ætas iam grandior prouectiorque, ſpem ipſi cito ſuccedendi faceret, quod accidit, nam Bubaco ſucceſſere ordine, dicti Omar & Ottomar. Omar à mancipio occiſus fuit: Ottomaro in quada rixa neci tradito, redijt Caliphæ dignitas ad Halim, ſed eam quiete poſſidere non potuit: nam cepit contra eum arma Mauia, ſub prætextu, quod mortis ſui patroni Ottomari, conſcius fuiſſet: curauitque eum occidi Cufæ, hæc ciuitas eſt in decurſu Euphratis, infra Bagdet, diciturque ob id adhuc Maſſadal, quod eſt domus Hali, qui ibi ſepultus fuit. Hali mortuo dixerūt incolæ Cufæ Calipham Ocen filium Fatimæ, ſed & hic loco deturbatus, & veneno necatus eſt à Mauia, qui ſe Calipham abſolute dixit, ſucceſſitque ei Iazit filius. Ocen reliquit poſt ſe duodecim filios, quorū vnus Mahumetes Mahadin fuit, eum Mauri non mortuum eſſe aiunt, ſed eum expectantes, dicunt quod ad conuertendum Orbem, reuerſurus ſit: hanc ob rem in Maſſadalla, in qua ſecundum eorum ſtultitiam, conuerſionis initium futurum eſt, equus ſemper paratus eſt, qui magna cum pompa in templum, quod illi Moſcheam dicūt, ducitur offerturque. Ex controuerſijs quæ Hali cum Bubaco, Omaro, Ottomaro & Mauia interceſſere, remanſere grauiſſimæ contentiones cum armorū, tum opinionum: volunt enim Perſæ, Halim ex teſtamento Mahumetis, verum Calipham fuiſſe, ſed Arabes fauore tres primos proſequuntur. Cum cir-

citer annum 1363. Mauri nullum Calipham haberẽt, quod ij finem habuiſſent anno 1258. in Muſtacem Mumbila (quem Allacu Tartarorum Rex occidit) ſurrexit in Perſia quidam Baro, cui nomen erat Sophi, dominus oppidi Ardeuel, qui ſe ſanguine Hali, per Muſam Cereſin, eius nepotem (vnum, ex duodecim filijs Ocen) genitum gloriabatur, in cuius memoriam mutauit formam Turbantis (geſtamen capitis id eſt) adiunxitque duodecim acies, conciliauitque ſuæ ſectæ nomen & æſtimationem: huic ſucceſſit Guine filius Adar, cui Aſſambec in Siria & Perſia, potentia celeberrimus Princeps, in vxorem dedit ſuam filiam: ſed eius filius Iacob beg, authoritatem exiſtimationemq; Adar veritus, curauit eum occidi, deditque duos eius filios, Iſmaelem & Solimannum, Capitaneo ſuo Amanzaro, ei iniunges vt eos poneret in Zaliga (is montibus munitus locus eſt) ſed Amanzar, ſui domini crudelitatem deteſtatus, detulit pueros in ſuam domum, curauitque eos cum ſuis filijs liberaliter educari, cumq; in lethalẽ morbum incidiſſet, veritus ne adoleſcentes in diſcrimen venirent, dedit eis ducentos aureos, & equos, conſuluitque vt ſe ad domum matris conferrent. Iſmael qui natu maximus erat, domum reuerſus, ſtatim ſe patris necem vindicare velle profeſſus eſt, & poſt aliquos felices ſucceſſus, aſſumpſit titulum protectoris rerum Hali, à quo ipſe originem ducebat, fecit Turbantem altiorem, miſitque legatos ad omnes Principes Mahumetanos Orientis, hortatuſq; eſt eos, vt & vna ſectam, & inſignia reciperent: hac via, armorumque felicitate, fecit ſe toti Orienti formidabilem, occiditque Ocen, qui ſe tũc Perſiæ Regem inſcribebat, & decem eius fratres, ſolus Marabecus elapſus, implorauit in auxiliũ Selimum

mum primum Regem Turcarum. Vicit Iſmael magno prælio ad lacum Vay Regem Tartarorum Zagataiorum, volentique perſequi victoriam, tranſmittereque cum exercitu fluuium Abbiano, diſſuaſum id fuit ab Aſtrologo, cui multum fidebat, qui ei dixit, ſe quidem fœlices ſucceſſus in progrediendo videre, ſed nullum iter ad regrediendum apparere. Reliquit Iſmael filijs ampliſſimum dominiũ, quod Mari Caſpio, Sinu Perſico, lacu Siocco, fluminibus Tigri & Oxo (ni malimus dicere Abiano) & regno Cambaiæ comprehenditur, quod ſpacium eſt plus quam 20. graduum, ab Ortu ad Occaſum & 18. à Septentrione ad Meridiem, continentur hoc ſpacio multa amplaque regna, quæ quamuis non omnia ſub eius dominio immediate eſſent, agnoſcebant tamen eum pro ſupremo Principe, nempe Reges Macram, Patani, Guadel, Ormuzij, (cui Ormuzo nunc Luſitani dominantur) Georgiani ſequebantur eius inſignia: Iſmaelis erant multæ amplæq; ciuitates & nationes: Media quæ nunc Seruan: Diarbecca quondam Meſopotamia: Cuſiſtan quam inhabitarunt Suſiani: Farſiſtan Perſarum patria: Straua quæ quondã dicta fuit Hircania: Parthia quæ hodie Arac: Carmania nunc Chermain: Sigeſtan, Caraſſan, Sableſtã, Iſtigias, quarũ antiqua nomina ſunt Drangiana, Bactriana, Paraponiiſus, Margiana. Harũ regionũ aliarumq;, quarum nomina non edo, ea pars quæ Sinui Perſico vicina eſt, affluit omnium rerum vtiliũ copia, propter flumina, quæ ipſas interſecant: inter ea flumina, nobiliſſimus eſt Bindimirus, cuius aquis multum vtuntur illi populi, ducunt enim illas foſſis alijq; quibuſdã inſtrumẽtis, in ſuas poſſeſſiones, ſuo magno vſui & cõmodo. Prouinciæ Mari Caſpio vicinę, tũ ob fluuiorũ oportunitatẽ, tum propter

aeris temperiem, ſunt eiuſdem fertilitatis participes, qualis eſt illa pars, quam fluuius Pulimalon per labitur (is ſe in Lacum Burgianum condit) reliqua regionis pars ſicca eſt, quare nec oppida, nec pagi ibi frequentes ſunt, niſi ijs locis quæ fluuij aut lacus alicuius beneficium experiuntur. Ampliores ditioreſque ciuitates imperij Perſici ſunt Iſtigias, caput Bactrianæ, quæ inter amæniores Orientis cenſetur: Indion caput Margianæ, in territorio tam vberi lætoque, vt Antiochus Soter eam muro cingi fecerit: Candahar, caput Parapomiſi, multique commercij propter concurſum mercatorum Indiæ & Cathaię, qui harum regionum opes eo ferunt: Eri, caput Prouinciæ Ariæ, quæ roſis tam copioſa eſt, vt ab ijs nomen ceperit, Barbarus dicit eam 13. miliaribus ambiri: Iſpaam caput Parthiæ, eam aliqui illam eſſe volunt, quam antiqui hiſtorici Ecatompylas dixere. tanti momenti eſt, vt Perſæ de ea hyperbolice dicant, eam medium Orbem eſſe: Chirmain eſt Metropolis Caramaniæ, celebris propter excellentiam Pannorum aureorum argenteorumque, qui illic cóficiuntur: Eor, quoque nobilis ciuitas eſt, nec ei inferior Cuſtra Suſianæ caput. Sed omnes cedunt genuaque quodammodo deoſculantur (quo ad pulchritudinem) ciuitati Siras, ad fluuiú Bindimirum: fuit ea quondam Metropolis Perſarum (vt aliqui volunt) dicebaturque Perſepolis: Alexander Magnus inſtinctu ſui ſcorti, tradidit eam flammis: cum autem ſeipſum poſtea, ſui fere puderet, fecit eam reſtaurari: Quamuis hodie non ſit tantæ amplitudinis, quantæ olim fuit, æſtimatur tamen, eam maximarum ciuitatum Orientis vnam eſſe, circuit cum ſuburbijs plus minus 20. milliaria, inſtruitque 60. focorum millia: Perſis in prouerbio eſt. Quando Si-

ras,tum Cairus erat eius pagus: non habent tamen eam,pro valde antiqua,nec accedunt eorum ſentẽtiæ, qui eã Metropolim Perſarum faciunt. Tauriſiũ & Casbin ſunt quoq; ciuitates nobiles, & præter amplitudinem, oſtentant ſe propter Aulam regiam.

REGIMEN.

FOrma Reipublicæ, horum populorum, non eſt æqualis alicui alteri populo Mahumetano,nec vllo loco inter hos ea politica regendi forma viget,quæ apud Perſas. Aliæ omnes excindunt fere omnem nobilitatem, vtunturque opera mancipiorum,occidunt fratres, aut excæcant eos, ſed apud Perſas habetur nobilitas in pretio: Reges tractant humaniter fratres, habent in ſua ditione multos potentes,opibuſque claros Principes, quæ omnia Ottomani in ſuo imperio non ferunt. Equitatus apud Perſas in precio eſt,& ingenuitas: muſica & bonis literis delectantur, ſtudent poeſi, euaduntque ſua lingua excellentes: Aſtrologia quoque laudatur apud ipſos: hæc omnia contemnunt Turcæ. Mercatura manuariæque artes florent in Perſia. vt concludam,Turcas ſuperant ciuilitate & humanitate.

VIRES.

HVius regni vires conſiſtunt potius in virtute quam numero. Sunt ibi tria militum genera: vnũ eorum eſt, quos Rex ſemper habet ſtipendiarios & apud ſe: alterum eſt Timariottorum (habet enim Rex magnum equitum numerum, quibus ſtipendiorum loco certa loca attribuit (quod & Turca facit:) Tertium eſt auxiliariorũ, qui ære ſuo merent: Conſcribuntur ex Georgianis & Tartaris. Sed loquẽdo de duobus primis generibus (quæ regno Regique propria ſunt) duo hæc militũ genera ſunt equites: vbi enim armã ſunt in manibus nobilium, ibi peditatus vix vlla eſt ratio: ex eadem cauſa ſequitur, quod Perſæ viribus maritimis inſtructi non ſunt: Et quamuis Mare Caſpium ab vno latere, Sinus vero Perſicus ab alio ſit, nunquam tamen claſſibus nec in vno, nec in alio Mari vſi ſunt. Mari Caſpium quoque (quamuis octingenta milliaria longum ſit, latumq; ſexcenta) non tranſmittitur aut nauigatur, niſi iuxta littora. Luſitani imperant Mari Perſico, ſuis claſſibus, quas ſemper in inſula Ormuz habent. Et ſi Perſia abundat metallis, temperatura excellentibus, præcipue Prouincia Carazam: bellicorum tamen tormentorum nullum fere v'ſum habent, ſicut nec muniendi, oppugnandi, obſidendi, ſeruandi, defendendique loca, quod hæ militiæ partes peditatui magis propriæ ſunt, ſicut equitatui proprium eſt, in patentibus campis iuſtis prælijs confligere, in quibus Perſas multum valere negari non poteſt. Vltra militiæ neceſſarias res, laborat militia Perſica adhuc alio graui malo, nempe

pe diſcordia, quæ duabus ex rebus oriri ſolet: vna eſt Principum potentia, cui plurimum ſuperbia & contumacia coniuncta eſſe ſolet: alia eſt itinerum, & ducendi exercitus difficultas, quæ ex aquæ fluuiorumq; nauigabiliũ penuria naſcitur. Flumina enim Perſiæ non nauigantur, aut tã parũ nauigantur, vt quod præſtãt, nullius fere momẽti ſit: õnes in Sinũ Perſicum influunt, aut in Mare Caſpiũ, vt regiones quæ in medio iacent, relinquantur aridæ & aquæ inopes: quam ob rem vires regni iungi nõ poſſunt: regni enim dimidium ſiccum eſt, nec flumẽ aliquod hic eſt, quod toti regno ſeruiat, ſicut Ligeris Franciæ: Padus Longobardiæ: Viſtula Poloniæ: Scaldis Flandriæ, alijſq; alijs regnis faciunt. Terræ deſertæ quoque hic ſunt, quæ Prouincias à ſe inuicem diſiũgunt: montes etiam, qui eas à ſe inuicem ſeparant. Has ob res, mihi hoc regnum, Hiſpaniæ ſimile videtur, vbi nec fluuij commercio vtiles ſunt, præter quam in finibus prouinciarum: & montes ac regiones propter ariditatem, incultæ ſunt. Sed natura, vt commercia adiuuaret, commoditatique vitæ humanæ, in locis aqua nauigabili indigis, proſpiceret, dotauit Perſiam, regioneſque vicinas Camelis, qui ibi commodiſſimi ſunt: ferunt enim onera grauiora, quam equi aut muli ferre poſſent, perdurantque diu in labore: ferunt onus mille pondo, continuabunt iter 40. & pluribus diebus: & in locis ſiccis ſabuloſiſque: ſicut ſunt Lybia, Arabia, Perſia, in quibus aqua & paſcua deſunt, bibunt tantum quinto die ſemel, & ſi opus ſit, ferent ſitim, per decem & plures dies: quód ad pabulum attinet, onere leuatis, datur pro pabulo modicum herbæ, ſpinæ, aut rami arborum. Non itaque vllum animal eſt, quod laborem diutius ferat, minoriſque ſit impen-

penſæ : propter has conditiones accommodatiſſimum eſt regionibus aridis & ſiccis, Aſiæ & Africæ, in quibus homines ſumma inopia aquæ & ciborum laborant: Cum enim Camelo parum ſufficiat, poteſt tamen in aliorum vſum, magnam commeatuum quantitatem ferre. Tria ſunt eorum genera, minoribus inſident homines: mediocres, duos gibbos habent, ferendiſq; mercibus valent: maiores craſſioreſque onera mille pondo ferunt: Hæc de Camelis dixiſſe ſufficiat: Quem equitum numerum Rex Perſiæ educere poſſit, viſum fuit bellis inter Iſmaelem & Selimum primum Regem Turcarum: Inter Iſmaelem & Solimanum, & inter Codabendam & Amuratem tertium geſtis: nemo horũ Regum habuit vllo in loco, contra Turcas, vltra 30. equitum millia, ſed armis adeo inſtructos equites, vt multo maioris exercitus impetum non timuerint: Equites Perſiæ, quibus ſuppetit res, quique ditiores inter ipſos ſunt, armant ſe fere in modum noſtrorum cataphractorum, alij (qui duas ac tertias equitatus partes conficiunt) cõtenti ſunt galea, lorica, ſcutoque: vtunturque lancea arcuque alternatiue. Sed dicamus pauca de Reditibus, quibus auxiliarios conducere poſſit. Profiteor me præciſe non ſcire, ad quam ſumma eius Reditus accedant, duo enim, qui dedita opera, eo profecti ſunt, vt explorarent, quæ Regis Perſiæ opes ſint, inter ſe diſſentiunt, diuerſaque loqui audiui: vnus tres, alius quinque aureorum milliones annui reditus ei attribuit: hoc autẽ dico, ex duobus argumentis colligi poſſe, ipſum opulentum eſſe: vnum eſt, quod Tamaſus, eius qui nunc regnat pater, toto ſuo regno ſuſtulit vectigalia omnium exportatarum & importatarum mercium. Id vectigal reddebat 60. Tomanorum

norum millia, quæ conficiunt Millionem, & octingenta anreorum millia; vnus enim Tomanus valet 20. aureos: vt autem id faceret, induci non potuiſſet, niſi alij reditus, ei animos dediſſent. Aliud argumentum eſt, quod Status Perſiæ in ſeptem Prouincias diuiſi ſunt, quarum ea quæ Ipſaam dicitur, reddit ſeptingenta aureorum millia: tantundem dat Siras, nec tamen inter ditiores cenſentur hæ duæ; eas enim longe ſuperant Coraſſan, Diargument, quarũ illa fodinis Cyrneorum, metallorumque, hæc ſerici prædiues eſt. Sed vnde percipit ſuos reditus, ſi ſe vectigalibus, inuectarum & euectarum mercium ſpoliauit? Ex territorijs ſui dominij: ex decimis fructuum: ex fructibus minærarum: ex officinis; vnuſquiſque enim officinam, aut tabernam quarumcumque rerum ponere volẽs, certi quiddam Regi quotannis pendere debet: ex donis quoque particularium, & donationibus communitatum: confiſcationibus, alijſque rebus talibus: Adferunt quoque aliquid tributa Principum, coronæ ſubditorum, quales ſunt Principes Far & Candaar, alijq; quos ſupra nominauimus.

PRINCIPES FINITIMI.

AB Ortu Mogororum, à Septentrione Zagataiorum fines attingit Sophi: ab occaſu longiſſimo tractu, Perſiæ conterminus eſt Turca, ad Meridiem habet regnum Ormuzij (cui corona Luſitanica dominatur.) Cum Mogoris nihil fere negocij Perſiæ Regi eſt, propter cauſas alias deductas:

ſicut

ſicut enim Hiſpania & Francia, ſe mutuo offendere non poſſunt, propter itinerum anguſtias, & aſperitatem ſituum ad limites, quæ commeatum (qui exercituum ſuſtentatio eſt) tranſuehi nō ſinunt, ita & inter confinia Indiæ & Cambaiæ (à Mogoris occupata) & ditiones Perſarum, ſe interponunt montes, & deſerta, quæ non permittunt, vt iuſtis viribus ſe inuicem hi Principes impetant. Pro maximo quoq; obſtaculo habendum eſt, quod equitatus in quo amborum vires ſitæ ſunt, in talibus locorum anguſtijs explicari non poteſt: petunt tamen ſe inuicem bello, ad fines regnorum Cabul & Sableſtam, quorum aliqui Principes Mogororum ſibi dominium pararunt. Sophi immediate Magni Cham fines non attingit, quod aliqui Principes, & deinde, magna deſerta inter ipſos ſint. Videtur ipſum pro termino ſui Imperij, ſibi ſtatuiſſe flumen Oxum, quod alij Abianum dicunt, id in Sableſtam ſubtus montem Dalanguer, poſt longum curſum, in quo multum protenditur, propter frequentiam & amplitudinē fluminum quæ recipit, condit ſe in mare Caſpium, diuiditque à parte Septentionali Sophum à Zagatai. Sophus nunquam auſus fuit hoc flumen tranſmittere, & cum Saba Rex Zagataiorum id trangreſſus eſſet, magno prælio ab Iſmaele victus fuit. Cyrus Rex Perſarum conſtruxit pontem in hoc flumine, tranſduxitque exercitū, aduerſus Tomirim Scytharum reginam, quæ ipſum cum omnibus ſuis cōcidit. Turcæ conterminus eſt Sophi per totam imperij ſui longitudinem occidentalem, nempe, à mari Caſpio, ad Sinum Sauraceuſem vſque, ſpacio fere 15. graduum. Vt verum fatear, nō habet Perſa hoſtē, à quo plus ei periculi timendum ſit, cuiuſq; vires ei plus metuendæ ſint quam Turcam; quoties enim ar-

ma cum

ma cum eo contulerunt Perſæ, fere ſemper aliquid perdiderunt: Mahumetes 2. vicit Vſſuncaſſanum, eripuitque imperium Trapezuntinum Dauidi, qui ſe ſub eius vmbram protectionemque contulerat. Selimus Primus, ſuperauit in locis campeſtribus Iſmaelem, eripuitque ei Caramit (ciuitatem ampliſſimam fortiſſimamque) Orfam, Merdim, totamque regionem, quam ipſi Alech, nuncupant: Solimannus egit in fugam Tamaſum, ſpoliauitque eum Bagdeto, & tota Meſopotamia, ætate noſtra, occupauit Amurathes, id omne quod inter Derbentum & Tauriſium iacet, quo in ſpacio eſt Georgia (cuius populorum pars maxima, ſequebatur partes Sophi) Seruan: & munitis Arcibus (quas in Tiflis, Sumachia & Eres magnis ciuitatibus, & in Tranſitibus Cars, Tomanis & Lori ædificari fecit) reddidit paulatim ſibi iter ſecurum, ab Ezechia ad Orontem fluuium vſque, qui trium dierum itinere, vltra Tauriſium fluit, in qua ciuitate (Tauriſio) curauit ędificare magnam Arcem, nec cogitat eam relinquere, ſicut primum Selimus & deinde Solimannus fecere, ſed vult ea Arce Tauriſium tanquam freno conſtrictam, in perpetuum retinere. Eo bello, quod ab anno 1567. in 91. annum vſque durauit, mutarunt Turcæ ſuum belligerandi modum: cum enim huc vſque ſuæ multitudini, virtutique ſui equitatus, peditatuſq;, copiæ tormentorum bellicorum, apparatuque bellico confiſi, non curarint Arces, munitioneſque extruere, ſed vt plurimum quidquid ceperant exciderint, nec magni fecerint quod retinuerant (quod vt verùm dicatur, in campis fortis eſſe non poſſit, qui vires in loca munita diſpartitur) hoc bello Perſico neceſſitas coegit Turcas, (vt euitarent errores, in quos impegerát Selimus & Solimannus) ſe

ſe paulatim munire, fecerunt itaque caſtella, in locis oportunis: ædificarunt ciuitatulas, in præcipuis ciuitatibus, inſtruxeruntque eas magno tormentorum bellicorum & militum numero, conſtititque eis id bellum magno. Quamuis autem Perſa improuiſis aſſultibus multa hominum millia in fruſta diſſecuerit, multaque eorum millia fame incommodiſque perierint, tantum tamen terræ amiſit, tum ſuæ propriæ, tum amicorum, quantum iam dictum eſt, & inter alia ſuam ciuitatem regiam Tauriſium. Aeſtimaturque Turcam, in ditione, quam ſibi bello parauit, inſtituiſſe 40. Timarrorum millia, & quod ei adhuc auri Millio, ex reditibus eius ſuperſit. Perſa non poteſt reſiſtere Turcæ in prælijs campeſtribus, ei enim peditatu, tormentis, & apparatu bellico & (quod ſummum eſt) obedientia populi conferri non poteſt. Selimus Primus, Solimannus & Amurathes Tertius, nunquam contra Perſas arma mouerunt, niſi aut à rebellibus, aut ipſorum diſcordijs inuitati: Selimus ab Marabecho, filio Ocen, Principe in Perſia potentiſſimo, in auxilium vocatus fuit: Solimannus auxilio venit Elcaſo Tamaſi fratri, cui ex ambitione, aut ſuſpicione erat infenſiſſimus: Turca itaque ſuo commodo vſus eſt beneuolentia, qua Elcaſus apud populum valebat, eiuſque authoritate: Amurathes non ante arma cepit aduerſus Perſas, quam ex literis Vſtaff Baſſæ Vani ciuitatis, & aliorum intellexiſſet, omnia contentionibus flagrare apud Sultanos Perſiæ, qui inter ſe de Rege diſſidebant: quidam enim Iſmaelem, alij Ayner (qui ambo Tamaſi filij erant) volebant, & Periacocona, occidit ſuum fratrem Iſmaelem, excluſoque Aynere, conſequutus eſt coronam Mahumetes Codabanda. Exortæ ſunt poſtea diſcordiæ, inter Codabandam & filium,

filium,& inter Turcamonos(familiam inter Perſas potentiſſimam) & Regem, quæ Perſis non minus nocuerunt quam arma Turcica. Nullum negocium eſt Regi Perſarum cum Luſitanis Ormuzij, quod ipſi nec vires maritimæ(ſine quibus id regnum recuperari non poſſet)ſint:nec Luſitanis ſatis virium eſt,vt in mediterraneis regionibus, ſibi aliquid acquirere poſſint.Tamaſus ipſi,cum aliquando inſtigaretur,vt expeditionem in Ormuzium ſuſciperet, rogauit,quid ea in Inſula creſceret, num frumentũ, fruges,fructus,aut quid aliud boni? cumque intellexiſſet fundum Inſulæ ſterilem, omniumque rerũ eſſe inopem,ſed commercio valde conducere inſulam, ideoque magni momenti eſſe,neglexit, irriſitque eos, dicens ſe ſuis populis remiſiſſe nonaginta Tomanorum millia, talis reditus.

REX IAPONIAE.

IAponia dicitur multarum variarumque Inſularum diuerſæ magnitudinis corpus, quæ ſicut à cætero Orbe terrarum ſitu diſtinctæ ſunt: ita à populo multum ab alijs,moribus ritibuſque diſſimili incoluntur.Hæ Inſulæ parum à ſe inuicem diſtant,inſtar Maldiuarum in Mari Indico:Hebridarũ, & Orcadum in Oceano Septentrionali.In ijs ſunt 66.regna,quæ in principales partes tres diuiduntur quarum pars vna nouem; altera quatuor; tertia 53. regna complectitur:inter quæ quinque regna Coquinai, nobiliora & illuſtriora ſunt,in quibus eſt fama celebris ciuitas Meaco,acciditque plerumque vt qui eorum quinque regnorum dominium ſibi

parauerit,aſpiret ad imperiũ totius Iaponiæ, quæ à Noua Hiſpania 150.à China 60.leucis diſtat.Pro ſterili potius,quam fertili habenda eſt Iaponia.Capaci ingenio præditi ſunt incolæ, & in aduerſis incredibili patientia præſtantes; puerulos recens natos in fluminibus lauant,& cum ablactati ſunt, remouent eos à matrum aſpectu,exercitantque venatione.Nudi capite,viri & mulieres incedunt,tam cœlo pluuio quam ſereno: gloriæ honoriſque cupidi ſunt:paupertas nobilitati ſanguinis nihil detrahit: miuimam iniuriam inultam non ſinunt: honorant ſe mutuo multis cæremonijs,graues ſimul, animoque ſedato ſunt,ſicut Hiſpani: cauent diligenter ne in factis dictiſue ſe timidos aut abiectos animis mõſtrent:infortuniorum calamitatumq; ſuarum neminem conſcium faciunt. Animalia tam fera quam manſueta eadem,quæ nos,habent,ſed vix alia, quã ferarum venatione captarum carne veſcuntur. Verum quidem eſt,quod carne non multum delectentur,ſed plurimum herbis,piſcibus,hordeo, oryza viuunt,ſuntque hæc præcipua eorum alimenta, vinum quoque ex ijs faciunt.aquam, cui puluis pretioſus valde,admixtus eſt,in delitijs habent: hunc potum vocant Chia.Aedificia ipſorum vt plurimũ ex ligno ſunt conſtructa,tum quidem quod Regiones mediterraneæ plerumque lapidum inopes eſſe ſoleant;tum vero etiam quod arboribus, ad ædificandum maxime aptis,(inter quas Cedrus in admirabilem incredibilemque altitudinem craſſitudinemq; exceſcit)abundent, & quod Iaponia terræ motibus valde obnoxia ſit.Principi qui nuncupabatur Dairi,paruit quondam tota Iaponia,hunc ſumma obedientia,reuerentiaq; colebant incolæ, quod magna cum grauitate maieſtateq; regeret, durauitque

que id plus minus 1600. annos. Sed quingentis ab hinc annis inſurrexerunt in eum duo eius præcipui miniſtri,turbaruntq; totum Imperium:nam eorum vnuſquiſque,tot regnorum Dominium , ſibi armis arripuit,quot potuit,ſpoliauitque ijs Dairi. Creuit deinde ambitio,cum modo hic, modo ille rebellis fieret raperentque ſibi,hic vnam,alius aliam Imperij partem:cum titulo tamen Iucatai (quod Regem ſonat)reliquerunt ipſi Dairi nomen, quod eſt Domini vniuerſalis Iaponiæ,ſed ſine iuriſdictione,aut dominio vllo;imo vix in dapes & cultum aliquid ei pendebatur ab illis Principibus,qui Meaco vicinas ditiones habebant:ita vt vmbra tantum veteris amplitudinis &Monarchiæ Iaponiæ,penes eũ manſerit. Ab hinc quingentis annis ſe Dairi loco,Imperatorem,aut Regem Iaponiæ dicit ille, qui ſibi dominium Coquinai arripuit(vocat ſe quoque Dominum Tenzæ) vbi illa quinque regna ciuitati Meaco vicina ſunt.Talis fuit noſtro æuo Nabunanga, nunc autem Faſſiha, qui dominij amplitudiue potentiaq; omnes ſuos prædeceſſores ſuperat:Nabunanga, qui præ alijs excelluit, non plus quam 36.regna ſibi cõparauerat,ſed Faſſiha vt minimum 50.eorum ſub iugum egit.

(∵)

REGIMEN.

IAponiæ regimen differt plurimum ab eo regendi modo, qui in Europa in vſu eſt. Potentia Principis Iaponiæ, non conſiſtit in reditibus ordinarijs, aut in beneuolentia populi, ſed in authoritate imperioque: nam vbi primum vnam, vt plures ditiones ſibi comparauit, diuidit regna: partiturque ditiones inter amicos, & ſibi fidos, qui ei ſe tam pacis quam belli temporibus obligant, cum certo hominum numero ſuis ſumptibus inſeruire. Hi rurſum eas ditiones inter ſibi fidos ſubdiuidunt, vt ad eorum obſequia parati ſint, aliquid ſibi ſuæque domus vſibus reſeruantes, ita vt omnes Iaponiæ opes, tam priuatæ quam publicæ à paucis dominis, hi pauci autem ab vno, nempe Tenzæ Domino, dependeát, qui pro libidine, dat aufertque quod vult, premit, extollit, fauet, reducitque ad inopiam Principes, cumque eorum vni ditio eripitur, mutantur omnes nobiles militeſque eius ditionis, manentq; tantum artifices, & agricolæ. Ea regiminis forma conuerſiones perpetuas, mutationeſq; imperiorum ſecum trahit: nam Dairi (quamuis ei nec potentia, nec imperium ſit, eſt tamen apud populum in dignitate, ac reuerentia) facit, vt Dominus Tenzæ alijque Principes Tyranni, alienarum rerum vſurpatores, euerſores Monarchiæ, hoſteſque amplitudinis Iaponicæ videantur, quod ſane & eorum æſtimationem tollit, & animos populorum auertit: inde accidit vt facile ſe moueant, capiantque arma, ſperantes ſe ampliores facere, deprimendo ſocios. Cum itaque Principes quotidie mutentur, non poſſunt à populo, tan-

ſo,tanquam Domini naturales amari, ijque cum incerti ſint de dominio,vni ditioni;quam alteri addictiores non ſunt;ſed ſperantes eadem facilitatė,qua vnam nacti ſunt, ſe aliam meliorem nanciſci poſſe, exponuut periculo hanc pro illa, ſicut in luſu chartæ & aleæ fit:nunc per ſe, rurſus cum alijs coniuncti,tentant diuerſa,detinentque ijs modis omnes illas inſulas in perpetuis bellis.Faſſiha vt ſibi abſolutum dominium , aut potius tyrannidem paret , ſolet Principes ex vna regione, in aliam ſæpe transferre:vt Domini ſuis dominij deturbati , degenteſque inter exteros vaſallos,impotentiores ſint , nec aduerſus ipſum adſurgere, aut rebellare poſſint: & vt minus valeant,diuidit regna, ditioneſque, ita vt Domini non habeant ditiones vnitas. Nunquam deeſt illis cauſa diſſidij bellorumque,quod fines ditionum anguſtæ ſunt. Vult quoque Faſſiha, vt in his Statuum viciſſitudinibus , tam ij quorum conditio potior,quam ij quorum res deterior facta eſt , reuerentiam homagiumque(vt dicitur,faciunt , ſeq; ipſi quotannis,quam opulentiſſime ſiſtant : qua re potiſſimam diuitiarum Iaponiæ partem ad ſe trahit Populos occupatos tenet,in ædificandis Palatijs admirabilibus,templis ampliſſimis,in fabricandis Arcibus & ciuitatibus,quibus nullæ aliæ ſimiles ſunt: in ijs ſubſtructionibus plus quam centum operariorum,millia,ipſorum expenſis , diuerſis in locis labori incumbentium habet. Inter alia nunc templum ædificari curat,cui omne Iaponiæ ferrum inſumere vult:præcepit enim omnibus mercatoribus populoque,vt arma omnia in certum locum comportent,vt illi fabricæ impendantur:exuit hoc opere populum armis facitque paruo temporis ſpacio opera magnifica , habet enim duabus tantum in

partibus,laboratorum,ſuis expenſis opera facientium,plus quam centum millia. Vltra obligationẽ, qua Reges & Principes,tam pacis quam belli tempore,ſe ſiſtere eique inſeruire tenentur, percipit duos Milliones ex reditibus Oryzæ,quæ ex poſſeſſionibus quas ſibi retinuit, colliguntur. Propoſuit vbi confecerit ea,quæ in Iaponia facere conſtituit, Chinam aggredi,vt eam ſuo Imperio addat; ad hoc præcepit ſcindi ligna duobus nauigiorum millibus ſufficientia,vt ijs exercitum trãſmittat.Tam amplis ſubſtructionibus,magno molimine, tanta ditionis amplitudine, adiectioneque regnorum ſuo Imperio,ſperat ſe immortalem reddere, futurumque vt pro Deo colatur,ſicut ij omnes fecere,qui apud Iaponenſes deorum nomina adepti ſunt.Amida enim Xaca, Canis & Fotoque nihil aliud quam Domini Iaponiæ fuere,qui belli gloria,aut pacis artibus ſibi in Iaponia opinionem diuinitatis pararunt;ſicut olim Hercules & Bacchus in Græcia;Saturnus & Ianus in Italia:nec minus fabularum nugarumque de his,quam de illis narratur.Faſſiha autem videns lege Chriſti,non probari alium Deum, præter eum qui cœlum & terram ex nihilo creauit, & ex conſequenti deteſtari omnes deitates ſtulte fabricatas, propoſuerat in exilium agere omnes patres Ieſuitas,qui eam concionabantur, euellereque nouam vineam,quæ in illis regionibus altas radices agere incipiebat. Superbiæ profecto exemplum memorabile hoc eſt:Romani enim Imperatores, omnibus viribus ſe prædicationi S. Crucis & Euangelij oppoſuerunt,vt ſua Idola tuerentur & conſeruarent, quæ omnia lex Dei dæmonia vanitatemque eſſe docet:At hic mouet bellum fidei Chriſtianæ, vt ſibi deitatem arroget,quod extremæ eſt ambitionis, &

amen-

amentiæ, dum ſe pro Deo haberi vult. Sed inter tã vaſtas & immenſas cogitationes ſuſcitauit ei Deus nouum hoſtem, qui ab Orientalibus Iaponiæ partibus ſe mouet aduerſus ipſum, quod ex literis anni nuper elapſi intelligitur.

IMPERIVM PRESBYTERI IOANNIS.

IMperium Presbyteri Ioannis, quamuis ſit ampliſſimum, in effectu tamen non reſpondet famæ opinionique, quam vulgus, potiorque ſcriptorum pars de ipſo habet. Horatius Malaguccius, in ſuo Diſcurſu de amplitudine dominiorum huius temporis, vult ipſum habere dominium latius, quã vllum alium Principem, excepto tamen Rege Catholico. Fateor equidem antiquis temporibns, ipſius ditionem ſe longe extendiſſe, vt ex multitudine regnorum, quibus ſuos titulos amplificat, quoque æſtimari poteſt. Inſcribit ſe enim Regem Goiame (quod regnum vltra Nilum eſt) Vangue, & Damur, quæ vltra Zairi fluuium ſita ſunt; cum tamen hodie pro certo ſciatur, eius Imperium vix Nilum attingere. Scribit quoque Iohannes Barrozius, Abiſſinios eius fluuij exiguam notitiam habere, propter montes qui inter illos, & hunc ſunt. Centrum eius ditionis eſt Barcena: ab Ortu enim extendit ſe, à Suaquem, ad Oſtia maris rubri vſque: quod ſpaciũ 122. Leucas comprehendit, verum quidem eſt, intra mare rubrum, & ipſum eſſe Aciem montium, quos Mauri incolunt, qui & in locis maritimis dominautur. Ad Occaſum eſt Acies montiũ, ſecundum

Nili curſum,quos Gentiles inhabitant, penduntque ei Tributum. Ad Septem Triones,termini eius conſtituendi ſunt,linea imaginaria,quæ à Suaquen ducatur,ad caput Inſulæ Meroe vſque, extendaturque ad 125. leucas: Inde Arcus non admodum incuruus faciendus eſt. Meridem verſus,ad regnum Adeę vſque,(in cuius montibus naſcitur flumen,quod Ptolemæus Ratto vocat,ponitque ſub Melinda, ſpacio 50. leucarum,ad fines Gentilium: hic verte lineam imaginariam, facque finem in regno Adel,cuius Metropolis eſt Arar,in altitudine nouem graduum. Habet ita totum hoc regnum in circuitu, plus minus 672. leucas. Hæc regio diſtincta eſt in ampliſſimas planicies,lætos colles,altos montes,ſed culturæ aptos; frequenterque inhabitatos,& cum frumento non abundet,hordeum & Milium & ſemen quoddam bonum durabileq; producit. Eſt ibi ſatis Milij,Zaburri(quod nos frumentumIndię dicimus) omneque leguminum noſtratium genus: ſunt & ibi adhuc alia,ſed nobis incognita: vua eis non deeſt, ſed inde vinum non exprimunt,niſi in Principis & Patriarchæ ædibus. Vini loco conficiunt potionis genus,ex fructibus Tamarindi,qui acer eſt. Medicæ, Citreæ,Cedri arbores naſcuntur ſua ſponte. Exprimunt oleum ex certo fructu, quem ipſi Zeua dicũt; id aurei coloris eſt,ſed inodoratum. Apes mellificant etiam in domubus,vnde ceræ & mellis incredibilis copia ibi eſt. Omnes ipſorum panni ſunt ex Goſſypio contexti:ditiores veſtiuntur pellibus veruecum, honoratiores autem exuuijs Leonum, Tygridum, Lincium. Diuites ſunt incolæ boum, caprarum,o uium,mulorum,aſinorum,camelorum,equorum, quantumuis paruorum gregibus, ſed ex Arabia & Aegypto eorum magna copia adducitur,

quando

quando equæ pepererunt, eis pullos non vltra tres dies relinquunt, deinde eos vaccis ſubijciunt, quæ eos ablactant. Habent etiam talia animalia, qualia nos habemus, etiam gallinas, anſeres, ſimiliaq;, nempe vaccas, porcos ſylueſtres in magna copia, ceruos, capreolos, lepores, ſed nullos cuniculos. Præter hæc habent Pantheras, Leones, Elephantos, Lynces. Vt finem faciam, non eſt alia regio generationi multiplicationique, tum plantarum, tum animalium hac aptior: ſed parum adiuuatur induſtria incolarum; eo quod natura ingenioque tardi ſint lentique: habent enim in primis linũ; ſed non texunt telam: Cannas mellis; ſed ſaccharu inde deducere non norunt: Ferrum; ſed eius vſum ignorant, habentque fabros pro Nigromãticis: Sunt ibi flumina & aquæ, nec tamen ijs agros irrigant, nec reddũt eos fertiliores. Quid venatio & piſcatio ſit, vix intelligunt: itaq; campi auibus animalibuſq; ſylueſtribus; flumina & lacus piſcibus ſcatent. Altera cauſa eſt, quod plebs à primarijs male tractetur: Pauperes itaque videntes ſibi auferri quod habent, non faciunt plus ſementis, quam neceſſitas exigit. Loquendi regulas non habent, & ad epiſtolam conſcribendam, copia hominum, multiſq; diebus opus eſſet. In comedendo non vtuntur Mappis, mantilibus nec menſis. Medicamentorum nullum vſum habent. Nobiles, ciues, pleibei habitant diſtinctæ, poſſuntque nobililatem facto aliquo egregio acquirere. Primogeniti ex Aſſe hæredes ſunt. In tota Abiſſinea non eſt oppidum, quod plus quam 1600. focos habeat, ſuntque valde pauca eius amplitudinis: Nulla ibi Arx, nec locus munitus eſt, æſtimantque Spartanorum more, quod regnum conſeruari, defendique brachijs debeat, non propugnaculis ex

terra aut lapide. Vt plurimum in pagis diſperſi habitant. Mercimonia ipſorum fiunt permutatione rei vnius cum alia, ſupplentque iuſtum precium frumento & ſale: Piper, Thus & Myrrham & Sal, auro appendunt. Aurum pondere quoque expenditur: Argentum ordinarie in vſu non eſt. Maior cœtus conuentuſque eſt Aula Principis, quæ nunquam fixa manet, ſed modo huc, modo illuc commigrat, habitatq; Princeps in campis, ſub tentorijs: Hęc Aula occupat decem & plura milliaria.

REGIMEN.

FOrma regiminis Presbyteri Ioannis ſatis refert Deſpoticum; deprimit enim valde vaſallos, tum potentes, tum pauperes, tractatque eos potius tanquam mancipia, quam ſubditos: Quo hoc tutius faciat, ita ſe gerit vt ab eis tanquam diuinus ſacerque colatur. Ad nomen Principis inclinant ſe, tanguntque manu terram: Reuerentur Tentorium, in quo ipſe habitat, etiam ipſo abſente. Solitus erat Princeps ſe quoquo tertio anno, vna ſola vice, populo viſendum præbere, poſtea largiores ſunt facti, ſeque tribus vicibus quotannis ſpectandos dederunt, nempe diebus Natiuitatis, Paſchatis & Sanctæ crucis, in Septembri. Panuſius, qui nunc regnat paulo mãſuetior factus eſt. Quando aliquid eius nomine alicui, quicumque is ſit, mandatur, audit is mandata, à cingulo ſurſum nudus, nec niſi Regis licentia veſtem reſumit. Iureiurando, ad perhibendum veritati teſtimonium adacti, non ſolent veritatem dicere niſi iurauerint per Regis vitam: Dat is aufertq; magnam ditionem cui ipſi placet,
nec

nec ei qui priuatur, facere demonſtrationem, ſe id ægre ferre, licet. Confert ordines ſacros, & adminiſtrationes Sacramentorum, diſponitq; pro libitu, tã de Religioſis, quam Laicis, & ipſorum bonis. In itineribus equitat circumdatus cortinis rubris, altis longiſque, quæ ipſum retro, & à lateribus cingunt. Defert ſecum magna cum reuerentia duodecim lapides Altaris ſacratos, qui ipſorum ſacra ſunt. In capite coronam, cuius vna medietas ex Auro, altera ex Argento eſt, crucemque Argenteam manu geſtare ſolet: Faciem cooperit particula Taffette cærulea, quæ plus minuſue attollitur dimittiturque, ſecundum, quod ipſe ſuum fauorem, erga eum cum quo agit, indicare vult. Aliquando ſummum pedem monſtrat quem extra Aulea exerit: Ad ea non niſi poſt longum tempus, multas cæremonias, diuerſoſque internuncios, qui ferunt referuntque mandata, acceſſus datur. Nemo præter Regem vaſallos habet, cui quotannis homagium præſtent, deferantque obedientiam, quam ſubditi Regi debent. Originem trahit hic Rex à Salomonis, & Reginæ Sabæ filio, cui Meilech nomen fuit. Receperunt Abiſſini fidem Chriſtianam Candace regnante, cuius tempore cœpit in Aethyopia regnare, florereq; Gaſparis, à quo poſt 13. generationem deſcendit Ioannes qui Sanctus dictus fuit. Hic circum tempora Conſtantini Imp. quod filios non haberet, Regnum filio natu maiori, Caij ſui fratris relinquens inueſtiuit Balthaſarum & Melchiorem, natu minores; illum regno Fatigar; hunc regno Goiame: Fuit itaq; ſtirps regia diuiſa in tres familias, Gaſparis, Balthaſaris, & Melchioris, ordinauitq;, vt Imperiũ eſſet electiuum vni ex dictis tribus familijs, modo is primogenitus nõ eſſet, quia ij haberent ſua regna propria. Vt autẽ tumultus

multus ſcandalaque vitarentur, præcipit vt fratres Imperatoris, cum propinquioribus parentibus includerentur in Arce montis Amaræ: Voluit præterea vt ibi ponerentur filij Imperatoris, qui nec in Imperium ſuccedere, nec aliquo Statu gaudere poſſint. Ob hanc cauſam Imperator vt plurimum vxorem non ducit.

VIRES.

SVos agros per ſua mãcipia, ſuoſq; boues colit: Ea mancipia multiplicantur quotidie: Contrahunt enim inter ſe coniugia, filijque permanẽt eius conditionis cuius erant progenitores. Tributa expenduntur ab omnibus, qui dominia obtinent horum aliqui equos, alij boues, Aurum, Goſſipium aliaſq; res dant. Aeſtimatur ipſum magnos theſauros, tum pannorum & gemmarum, tum arui poſſidere, earumq; rerum horrea ampliſſima referta habere. Ipſe ſcribens Regi Portugalliæ, obtulit ei ad bellum aduerſus infideles gerendum, dare, Millies centum drachmarum aurearum millia, Militum quoque & commeatuũ infinitum numerum. Ipſum vt plurimum, quotannis in arcem Amaram, tres aureorum Milliones recondere dicitur. Verum quidem eſt, quod ante Regem Alexandrum, non reponebant tantùm Auri, quod id purificare neſcirent; ſed recondebant gemmas particulaſque auri rudis. Reditus eius ſunt triũ generum: Vnos capit ex ſuo dominio; Alios à populo, qui certi aliquid pro foco pendunt, & decimam omnium Minæralium, quæ ex alijs quam ſuis fodinis eruũtur. Reliquos percipit à

Prin-

Principibus ſibi ſubditis:Hi,vnius ciuitatis, quam ipſe elegerit(modo eam non eligat quam ipſi inhabitant)Reditus ei dant.Quamuis autem reditus,facultateſq; ſatis amplæ ſunt,gens tamen ipſa ignaua eſt: tum quod ipſe eam in mancipiorum numero habeat,vnde ipſis non eſt illa animorum generoſitas,quæ homines ad arma promptos,audaceſque ad pericula facit:Tum quod ipſis videntur ſibi manus conſtrictæ,reſpectu quo ipſum habent, ac reuerentia qua ipſum obſeruant;timoreq; quo ſibi ab illo timent,arma defenſioni commoda non habent,prę-ter ſitu obſitam galeam,Semi Galeam, & loricam, quam Luſitani eo detulere:his addi pōteſt defectus Arcium.Cum itaq; ipſis nec loca munita ſint,in quę confugiant,nec arma quibus ſe defendant, ſunt ipſi ipſorumq; pagi hoſtibus tanquā prædæ expoſiti. Ipſorum arma offenſioni apta,ſunt ſagittæ non pennatæ,& aliqua iacula. Obſeruant Ieiunium 50.dierum, quod ipſos,propter magnam abſtinentiam, qua ſe per illos ſacros dies ieiunando macerant, ita extenuat affligitque,vt nec multis ſubſequentibus diebus,ad ſe mouendum vires eis ſuppetant. Eam occaſionem captantes Mauri aggrediuntur eos, magno ſuo commodo. Scribit Franciſcus Aluarezius, quod Presbyter Ioannes,poſſit in campos educere centenariorum millia,ſed viſum fuit,quod ingruēte neceſſitate, multo minores copias educere potuerit.Habet Religionem militarem,quæ ſub protectione Sancti Antonij eſt:ei vnuſquiſq; nobilitate clarus paterfamilias,ex tribus filijs vnum, excepto primogenito,deſtinare debet: Ex his ſeliguntur 12.equitum millia,qui Regi excubent. Finis huius religionis eſt,Imperij fines defendere, reſiſtereque hoſtibus fidei.

PRIN-

PRINCIPES FINITIMI.

CErto nobis cooſtat, Presbyterum contermi-num eſſe tribus potentiſſimis Principibus: Primus eſt Rex Borno; Alter Turca; Tertius Rex Adel. Rex Borno dominatur ei regioni quæ ſe extendit à Guangala, Ortum verſus, ad plus minus quingenta milliaria, inter deſerta Seth & Barca: Situ inæqualis eſt, continet enim partim montes, partim planiciem. Eam inhabitat populus ſatis ciuilis, degitque in caſis ſatis frequentibus; propter frugum copiam, eſt ibi quoque aliquis mercatorum concurſus. In montibus viuunt paſtores armentorum & pecorum, qui Mylio vt plurimum viuunt, deguntq; vitam beſtialem, abſq; religione, habentq; vxores liberoſque communes: Nomina propria non alia habent, quam quæ accidunt perſonis, vt claudi, luſci, longi, balbi dicantur. Rex Burno populo valde potens eſt, cui nihil aliud oneris imponit, quam decimã fructuum. Pro exercitio locoque artis manuariæ ſolent latrocinari, trucidare vicinos, aut eos captiuos facere, quos commutant equis, quos à mercatoribus Barbariȩ conſequuntur. Sub ſe habet multa regna & populos, partim nigros partim albos. Infeſtat mirabiliter Abiſſinos latrocinijs, abigit enim pecora; deprædatur fodinas; abducit in captiuitatem homines. Burnenſes equites præliantur eo modo, quo Aſturconibus inſidentes: Vtuntur lanceis, vtrinq; ferrea cuſpide armatis, tũ etiã iaculis & ſagittis. Inuadunt regiones, nunc hac nunc

ſunc illac improuiſo, ſed hi potius aſſaſſini latroneſq; quā iuſti hoſtes ſunt dicendi. Turca qui Abiſſinū ab Ortu attingit, & Rex Adel, qui eū inter Ortū & Meridiem cingit, vexant valde Presbyterum Ioannem: coarctarunt enim fines eius Imperij, reduxeruntq; regionem in magnā miſeriam. Turcæ, præter quam quod deprædati ſunt vnā partem regionis Barnagaſſo, quam ingreſſi ſunt Anno 1558. (quamuis tunc repulſi fuerūt) eripuerūt Presbytero, quidquid in ora maris habuit, præcipue Portus & oppida Suaquen & Ercoco, in quibus duobus locis, montes inter Abiſſiniam & mare rubrum exiſtentes aperiunt ſe, faciuntq; iter commeatibus & commercio, inter Abiſſinos & Arabes. Nō multis annis elapſis Bernagaſſo coactus fuit, Turcis morem gerere & ab ipſis pacē emere, pendēdo tributum, mille vnciarum auri quotannis. Non minus Presbyterum infeſtat Rex Adel, conterminus eſt hic regno Fatigar, extenditurq; eius dominiū ad mare rubrum vſq;, vbi habet Aſſum, Salir, Meth, Barbora, Pidar, & Zeila. Barboræ appellunt multæ naues ab Aden & Cambaia, cum mercibus, quas commutant carne, Melle, Cera, Commeatu, quæ Adenam vehuntur: Auro, Ebore alijſque rebus, quæ in Cambaiam mittuntur. Maior commeatuum quantitas ex Zeila petitur, ibi enim eſt Mel & cera in magna copia. Sunt ibi fruges, fructuſq; diuerſi, qui in Aden & Arabiam deferuntur; pecora quoque, ſpeciatim verueces, quorum cauda 25. & amplius pondo eſt, capite colloque prorſus nigri, cetera albi. Sunt & alij prorſus albi cum cauda brachij longitudine vitiſque inſtar recuruæ, habentque palearia ſicut tauri. Sunt hic vaccæ, quarum cornua, ramis tanquam ſylueſtriū ceruorū diſtincta ſunt: Aliæ rubræ ſunt, habentq; in fronte

cornu

cornu palmæ & ſemis longitudinis, quod retrorſum obuerſum eſt. Metropolis ciuitas huius regni eſt Arar, 38. leucis Zeila diſtans Meridiem orientalem verſus. Hic Rex, qui etiam religioni Mahumenæ eſt addictus, quod profeſſus ſit, ſe ſemper bellũ gerere velle cum Chriſtianis Abiſſiniæ, id eſt ſubditis Presbyteri Ioannis, ſibi Sancti cognomen inter illos barbaros parauit. Exſpectat ille donec Abiſſini, longo duroque illo 50. dierum ieiunio debiles facti ſint, vireſque eorum adeo conſumptæ, vt vix ad res domeſticas peragendas, eis vires ſufficiãt, ingreditur tunc eorum regionem, diripit pagos, abducitque in ſeruitutem populum, infertque Abiſſiniæ mille damna. Mancipia Abiſſiniæ miros ſæpe habent extra patriam progreſſus, habenturq; à Principibus in precio, ipſorumque multi, induſtria ſua inſeruiendo, facti ſunt ex mancipijs domini in Arabia, Cambaia, Bengala, & Somatra. Cum enim Principes Mahumetani Orientis, tyranni ſint regnorum, quæ Gentilibus eripuerunt, vt ea ſibi ſecura reddãt, non fidunt ſubditis, ſed inſtruunt armis multa mancipia externa, quibus ſuas perſonas fidunt, committuntq; ipſis regimen regni. Inter mancipia potiores æſtimantur Abiſſini, tum propter eorum magnam fidelitatem, tum propter bonam indolem. Rex Adel implet Aegyptum & Arabiam multitudine captiuorum, quos ex ditionibus Presbyteri Ioannis abducit, permutatque eos cum Turca & Principibus Arabiæ, armis, apparatu bellico & militibus. Anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum Claudius Abiſſiniæ Rex, ſe viribus Gradamedi Regi Adelę Imparem agnoſcens (ipſum enim per 14. annos perpetuis excurſionibus vexarat) relictis regni Pomerijs in interiora ſe recepit, petijtq; auxilium à Regis

Regis Luſitaniæ Ioannis Tertij in India legato Stephano Gama, qui tunc cum parata claſſe, in mari rubro erat. Is ei dedit quadringentos viros Luſitanos, cum bona armorum quantitate & Sclopetis, duſtore Chriſtophoro ſuo fratre: Horum auxilio, & Sclopetorum beneficio, vicit hoſtes duobus prælijs Sed cum Rex Adel à Gubernatore ciuitatis Zebit, habuiſſet mille Sclopetarios, decem tormenta bellica, tertio prælio fuſi & in fugam acti ſunt Luſitani, eorumque Capitaneus captus occiſuſque eſt. Cum autem Rex Turcas amandaſſet, Rex Claudius ipſum ex improuiſo, ad fluuium Zeila, & ad montem Sanan aggreſſus eſt cum octo peditum millibus, quingentis equitibus Abiſſinis, & cum illis Luſitanis, qui ex ſuperiori clade ſupererant, quorũ vnus, inflixit lethale vulnus Gradamedi. Sed menſe Martio anni 1559. cum Rex Claudius, iterum manus conferret cum Mauris Malacai, ipſe in prælio occubuit: Rex autem hoſtium tantam victoriam à Deo conceſſam agnoſcens, triumphum egit inſidens Aſello. Regi Claudio ſucceſſit Adamas eius frater, cui quod ſemi Mahumetanus eſſet, rebellauit bona pars nobilitatis Abiſſiniæ, fuſuſque fuit à Barnagaſſo, Anno 1502. Cum itaque res Aethyopiæ aliquo tempore fluctuaſſent, aliquantulum reſtitutæ videntur regnante Alexandro, Luſitanorum auxilio, qui eo tã arma offenſiua quam defenſiua tulerunt, excitaruntque ſuo exemplo in prælijs animos ingeniaque Abiſſinorum. Omnes qui cladi Chriſtophori Gamæ ſuperfuere alijque qui poſtea eo venerunt, veniuntque adhuc, remanent ibi, contrahunt matrimonia generantque liberos. Rex Alexander imperauit eis vt Iudicem eligerent, qui inter ipſos ius diceret: tradiderunt itaque ibi, perguntque tradere

vſum armorum qui eſt in Europa , artem bellandi, modum fortificandi Tranſitus , locaque maximi momenti.Poſtea in eas regiones ſe contulerunt àliqui Florentini,partim ex curioſitate,partim mercaturæ gratia : Franciſcus enim Mediceus Magnus Dux Hetruriæ, habebat aliquam conſuetudinem cum Abiſſinis. Presbyter ſolet fauore proſequi , & vitæ ſubſidia largiri Francis (ita vocant Europæ populos) difficulterque concedit eis facultatem exeundi regno : Vltra hos, alios diuerſos hoſtes quoq; habet Presbyter Ioannes:Inter eos eſt Rex Dancali , cuius eſt oppidum & Portus Vela ad Mare rubrum ; conterminus is eſt Balgadæ. Presbyterum quoque valde exagitant Mauri, qui prouinciam Dobas inhabitant , ea in decimas quartas Dynaſtias diuiſa eſt : Quamuis hi inter confinia Imperij Presbyteri Ioannis ſint, fiunt ipſi tamen perſæpe rebelles : Pro lege habent , quod nemo ipſorum matrimonium contrahere poſſit , ſi non probet ; ſe duodecim Chriſtianos occidiſſe.

MONO-

MONOMOTAPA.

IN reliquo Aethiopiæ, regnum obtinent diuerſi magni Principes, quales ſunt Reges Adel, Monomugi, Monomotapa, Angola, & Congo, quorum nos exiguam notitiam habemus: Sed vt ex vnius eorum Statu, de alterius qualitate iudicium fieri poſſit, pauca verba adiungemus, de Statu & regimine Monomotapæ, qui alijs maior potentiorque eſt. Huius Principis imperium omnem illam inſulam occupat, quæ fluminibus Cuama & Spiritusſancti cõtinetur (id ſpacium 750. Leucarum in ambitu eſt) cumque Spiritusſancti tranſmiſſum eſt, longiſſimo tractu, Caput bonæ ſpei verſus extenditur: regionum enim illarum Principes illum quoque in ſupremum Dominum ac Principem agnoſcunt. Oppida, pagique ibi rari ſunt, ædificia ex ligno & ſtramine conſtant. Ciuitatum præcipuarum vna Zimbas, altera Benamataxa nuncupatur, illa 15. hæc 21. milliaribus Cefala, Occaſum verſus diſtat. Regio frumento, pecudibus magnis paruiſq; abundat, quæ immenſo numero, in campis & ſyluis paſcentes vagantur. Ex dentium Elephantorum numero, qui extra regionem vehuntur, eorum ad 4. aut 5. millia, ibi quotannis mori æſtimatur: Elephantes ibi prægrandes ſunt. Non alia regio auri feracior hac eſt, affirmant enim aliqui hic tria fodinarum (vnde aurum eruitur) millia eſſe: aurum quoque in terra, in petris, & in fluminibus reperitur: ditiores fodinę ſunt Mannicæ, Boro, Quiticui, Toroe (quã alij dicunt Butua.) Populus ſtaturę mediocris, niger, beneq; cõpo

ſitus eſt. Principi inſeruientes, genubus inſident, coram ipſo ſedere, idem quod apud nos ſtare eſt, nec niſi magnatibus conceditur. Fides, probatioque ciborum potuſq; , non ante, ſed poſtquam Princeps ederit biberitque fit. Carceres hic nulli ſuut, quod Ius, eo momento, quo delictum commiſſum eſt, ex teſtimonijs dicatur. Delicta quæ maiori ſeueritate puniuntur ſunt veneficia, furta & adulteria. Aliud tributum Principi non penditur, quam aliquot dierum operæ, & Donaria, ſine quibus nemo coram ipſo venire poteſt. Arma eius ligo & duo ſpicula: pro fidiſſima cuſtodia habet ducentos canes. Principem ipſum qui patronum agnoſcũt heredes apud ſe retinet, vt de parentibus ſecurus ſit. Tempore præterito hic Princeps, opera patris Conſalui Syluæ Ieſuitæ ad fidem conuerſus fuit, ſuſcepitque Baptiſmum, ſimul cum maximo ſuorum Aulicorum numero, poſtea à quibuſdam Mauris (qui authoritate apud ipſum valebant) perſuaſus, illum trucidari fecit. Id ob facinus Rex Luſitaniæ Sebaſtianus, bellum ei intulit, duxitque eius exercitum (qui fere ex nobilibus conſtabat, numeroque erant 1600.) Franciſcus Barretius, cui Monomotapa Luſitanorũ arma pertimeſcens bonas conditiones obtulit, ſed cum Barretius honeſto æquoque ſatisfieri ſibi non pateretur, non ab hoſte, ſed ab aere Aethiopiæ & morbis, qui exercitum depaſti ſunt, victus fuit.

SERIP-

SERIFFVS.

INTER omnes Africæ Principes, non credo aliquem, opum & virium magnitudine, Seriffo præferri poſſe: eius enim ditio continet omnem illam Mauritaniæ partem, quam Romani Tingitanã appellarunt, extenditurque à Promontorio Boiador Tanger vſque, ab Oceano Athlantico, ad flumen Muluia & vltra: quo ſpacio comprehenditur totius Africæ præſtantiſſima portio, quæ & Incolis magis frequens, & amœnitate, & fertilitate, & morum ciuilitate reliquas ſuperat: & inter alias ditiones, fama celeberrima ſunt regna Marochi & Feſſæ, quarum illud in ſeptem Prouincias diuiditur, nempe Cuzulam, Saharam (duæ hæ Prouinciæ comprehendunt partem Numidiæ) Cus, Aſcaram, Duccalã Tedle, Marochum: Hoc autem continet octo, nimirum Temeſnam, Aſgam, Eriffe, Elabal, Caret, Caus, Zanegam, Feſſam. Hæc regna diſtinguuntur in planiciem & montes; comprehendunt enim bonam Athantis maioris & minoris partem, inhabitantur à magno feroceque populo, diuiteque paſcuorũ & pecudum: inter Athlantem maiorem, & Oceanũ planicies eſt; in qua ciuitas Regalis Marochum in campis Athlante 14. milliaribus diſtantibus iacet, qui pluribus fontibus, riuulis & fluminibus illuc influentibus irrigantur. Olim cum hæc ciuitas centum focorum millia inſtrueret, erat caput Africæ, ſed paulatim decreuit, eſtque deſertior quam habitatior. Sunt in regno Marochi, præter alias Tedſi quinque millium familiarum: Tagaoſt octo mil-

lium:Tarodante(quamuis multis alijs minor ſit,nō cedit eis nobilitate & cōmercio)ſita eſt,inter Athlantem & Oceanum,in Valle,16.leucas, parumque minus lata,ſacchari & omnis annonæ generis fertili:Multum ei ſplendoris & nobilitas attulit diuturna mora quam in ea traxit, & æſtimatio, in qua apud Mahumetem Seriffum fuit. Relicto Athlante intratur in planicies fertiliſſimas colliculis in quibus quam diues ſit copia frugum, nempe ſacchari, oliuarum,pecudum,vinearum,omniumque bonorum,dici non poteſt.Regnum Feſſæ quoque (ſicut diximus)continet diuerſas prouincias, optime inhabitatas.Inter eas Aſga,habet 80. milliaria in longitudine,60.in latitudine:Elabat,centum in longitudine,ſexaginta in latitudine. Verum quidem eſt, quod Eriffe prouincia prorſus montoſa ſit, numeranturq; in ea 23. Athlantis rami, qui à populis vt plurimum indomitis incolūtur. Caret eſt aſpera & ſicca adeoq; Libyæ,quā Barbariæ ſimilior. Sed quod amplitudo huius regni,& valor,magna ex parte cōſiſtit in ciuitate Feſſana, extra inſtitutum non erit, de ea pauca verba facere. In partes duas diuiſa eſt hæc ciuitas,quæ à ſe inuicem parum diſtant, earum vna Feſſa vetus,altera Feſſa noua appellatur: vetus Feſſa quoq; fluuiolo in duo corpora finditur: Oriētale diciturBeleida,habet autē quatuor familiarum millia.Occidētale dicitur proprie Feſſa vetus,facit 80.& amplius familiarū millia,nō lōge diſtat àFeſſa noua,quę 8.Domuū millia habet.Feſſa vetus eſt fere tota in collib.& in vallibus:cōtinet 50.TēplaMahumetana inſignis magnitudinis,omnia fōtes habēt & colūnas exAlabaſtrite & Iaſpide,vltra ea numerantur ſexcenta minora. Inter quæ Templa illud, cui vulgo nomen eſt Carucen,admirabile eſt, ſitum
in

in meditullio ciuitatis:eius ambitus eſt dimidij milliaris diuiſũ eſt in 17. fornicies in latitudine, 120.in lõgitudine,quos 2500. colũnæ ex albo marmore ſuſtinent.In pręcipuo maioreq; fornice(vbi Tribunal eſt)viſitur lampas immmẽſa, quam circumcingunt centum minores. Alij Fornices habent Lampades valde magnas,in qualibet 1500. lumina prælucent. Feſſæ fama eſt, omnes illas lampades factas eſſe ex campanis,quas Arabes in Hiſpania ceperunt,qui nõ ſolum in prædam abſtulerunt campanas, ſed & columnas,æs & marmora, tum quidquid precioſi & mundi in eam detulerant Romani primum,& deinde Gothi.Feſſæ numerantur plusquam ducentæ Grãmatices Scholæ:ducenta diuerſoria publica: 400. Molæ aquaticæ in flumine,quarum ſingulæ quatuor aut quinque rotis agitantur. Sunt in ea quoque diuerſa collegia, inter quæ id quod Madaracciæ nomen habet,pro pulcherrima fabrica totius Barbariæ habetur: Sunt ibi ſexcenti fontes, muris cincti, ex quibus aqua in omnes fere Domus diſpergitur. Longum eſſet deſcribere Alcaceriam(quam appellãt)Locus is eſt muris cinctus,cuius portæ ſunt duodecim,diuiditurque in 15. vicos, vbi mercatores ſua negocia ſub tentorijs peragunt. Vix dici poteſt quãtæ ſint hortorum diliciæ, & quanta Viridariorum amœnitas: viridaria à fontium & fluminum aqua refrigerantur.Rex habitat complurimum Feſſæ, in qua Arcem,Palatia & Hortos habet, & quidquid venuſti commodique optari queat: ex hac noua Feſſa,per viam ſubterraneam, itur ad Feſſam veterem.Vt breuiter dicam,hæc ciuitas adeo & magna atque magnifica eſt,vt ei Reges defuncti,rarum priuilegium conceſſerint, nimirum, vt ciues non teneantur obſidionem ferre,niſi Rex tam potẽs ſit,

vt iuſto exercitu ſe hoſti valeat opponere, & ſi hoſtis ad ſemi milliare vrbi appropinquaſſet vt ei ſe dedere poſſint abſque dedecore proditionis , aut perfidiæ nota: quod hanc ob cauſam fecit; ne vrbs prætextu vanæ fidelitatis exitium ſubiret. Ciuitas quoque magni momenti eſſe perhibetur, ſita in planicie, non minus frumento, oleo, lino, pecore fertili, quam iucunda, propter amœnitatem locorum aquarumque copiam: habet octo familiarum millia, muri validi ſunt, & multis turribus muniti. Incolæ induſtrij, mercimonijs dediti, præcipue pannorum è Lana, ſerico, goſſypio, qui ibi texuntur. Primogenitus Regis Feſſæ, ſe Principem Mequineze inſcribere ſolitus erat. Hæc regna vltra fertilitatem naturalem, ſic ſatis dedita ſunt mercaturæ. Etſi autem Rex Feſſæ ad mare Mediterraneum Portus opportunos non habet, attamen Franci & Angli, ad Portus ad Oceanum commeant, præcipue Laracen, Caput Aguero, ceteroſque, quorum pars eſt regni Feſſæ, pars Marochi. Ferunt eo, arma, & alias Europæ merces, pro quibus ipſi, inter alias Saccharum recipiunt. Cum vero regna Marochi & Feſſæ, aliæque Prouinciæ Principatuſq; , qui inter ſe diuiſi fuere, paruo ab hinc tempore, ſub vno Principe coaluerint , qui Seriffus dicitur , non erit abs re referre , quomodo hoc acciderit; nihil enim aliud magis relatu dignum , vel potius admirandum noſtro ſæculo accidiſſe puto. Circa annũ Chriſti 1508. in regione Numidiæ inclaruit Alfaique quidam, natus Tigumedeti (qui locus in Prouincia Dara eſt) vir ingenio callido; nec minus ambitioſus, quam doctus in ſcientijs, quibus operam dant Mahumetani , ei nomen fuit Mahumetes Benamettus,

qui

qui ſe etiam Seriffum nominari iubebat. Hic iactans ſe ſanguine Mahumetis ortum, & confiſus tumultibus Africæ, ac eius Statuum, Rerumpublicarumque diſtractionibus (in Africa enim multum poterant Luſitani) cœpit cogitare de inuadendo Mauritaniæ Tingitanæ Imperio. Quod vt efficere poſſet, miſit primum tres ſuos filios Abdelem, Abnetem, Mahumetem peregrinatum Mecam & Medinam, vt inuiſerent atque colerent Mahumetis ſui ſeductoris ſepulchrum. Fecerunt adoleſcentes hanc peregrinationem, tanta & reuerentia & exiſtimatione ſanctitatis & religionis (ſi conuenit vti his nominibus in tali impietate & ineptia) vt in ipſorũ reditu, ipſis obuiam irent incolæ, ipſorum veſtes deoſcularentur, & revererentur tanquam ſanctos. Ipſi vero fingentes ſe raptos in alta contemplatione, ibant per illas regiones ſuſpirantes, clamabantque voce alta (quam ſuſpiria & gemitus interrumpebant) Ala, Ala: nec aliunde, quam ex eleemoſyna viuebant. Cum pater eos magno cum gaudio voluptateque domum recepiſſet, nec applauſum & æſtimationem, quam ſibi illa peregrinatione conciliarant euaneſcere, nec irritam fieri vellet, miſit duos ipſorum, nempe Abnettem & Mahumetem, Feſſam, vbi cum eos Rex humaniter & benigne excepiſſet, vnus eorum factus eſt Profeſſor Amodoraciæ, fama celeberrimi collegij illius vrbis, iunior autem factus eſt pædagogus filiorum Regis. Cumque ſe Regi gratos viderent, & populi in ſe beneuolentiam perſpicerent, ex patris conſilio (occaſionem capientes ex damnis, quæ Arabes & Mauri ſub inſignibus Luſitanorum militantes, faciebãt, illis qui erant ſuæ hæreſis) petierunt à Rege facultatem explicandi vexillum aduerſus Chriſtianos,

ſpem ei facientes, ſe facile ad ſe pertracturos Mauros, qui Luſitanis adhærebant, eaque via, ſecuras reddi poſſe Prouincias Sus, Heam, Ducalam, Marochum aliaſque à Luſitanis vexatas. Huic petitioni contradixit Muleius Nazer, Regis frater: Si enim hi, dicebat, ſub ſanctimoniæ & defenſionis legis prætextu, facient aliquem progreſſum in armis, non erit poſtea in tua poteſtate eos deprimere, frænoque continere; Arma enim homines audaces, victoriæ inſolentes, fauor populi ambitioſos rerumque nouarum cupidos facit. Rex autem, apud quem in magna opinione ſanctimoniæ erant, parui faciens conſilium ſiue rationes, quas frater allegauerat, illis vexillum & tympanum dedit & quod amplius eſt, 20. equites, qui eos comitarentur, diploma quoque ad Arabes, Principes, & Barbariæ ciuitates. His initijs multiſque ad eorum famam concurrentibus, excurrunt in Deucalam, Comitatum Safini, ad Agueri Promontorium vſque; quæ loca tunc Luſitanis parebant. His quas diximus rebus, ſe gratioſos, fortes ac munitos ſentientes, petiuerunt à populis, qui tunc vt plurimum in libertate degebant, ijſque, quibus placebat, fauebant, vt ipſis, qui pro lege Mahumetana aduerſus Chriſtianos pugnabant, auxiliarentur, elargirenturque decimas Deo debitas, quas (decimas) à populis prouinciæ Daræ facile impetrarunt. Itaque paulatim dominiũ Tarudante (vbi eorum pater Gubernator factus fuit) Sus, Hiæ, Deucalæ, locorumque vicinorum occuparunt. Sedem primum fixerunt in Tedueſte, poſtea in Teſarote. Superarunt deinde prælio Lopez.ũ Barrigam, fama celebrem, rei militaris Luſitanorum Ducem, ſed amiſerunt fratrem natu maiorem. Poſtmodũ cum blandis verbis, ingreſſi eſſent ciuitatem

tem Marochum, veneno eius Regem ſuſtulerunt, quo necato, eius loco ſe Regem Marochi proclamari fecit Ametes Seriffus. Cum hæc fierent, prælio decertabant Arabes Ducalæ & Xarquiæ, cum Arabibus Garbiæ, pollicebatur que ſibi vtraque pars fauorem Seriſſorum, qui contentionem creſcere videntes & illorum multos cadere, arma ſua in ambos verterunt, ſpoliaq; ampla retulerunt. Miſerant hactenus Seriffi, quintam rerum quæſitarum partē Regi Feſſæ, ſed poſt hanc victoriam ipſum contemnentes, miſerunt tantum ſex Equos & ſex Camelos valde macilentos, quod ille moleſte ferens, miſit ab illis petitum, quintam ſpoliorum partem, & Tributum, quod ei Rex Marochi pendere ſolitus erat, ſi non facerent, ſe eos bello perſequuturum minitans. Cum interea Rex in fata conceſſiſſet, Ametes eius filius, qui minoris Seriffi diſcipulus fuerat, non ſolum acquieuit, ſed & confirmauit Ametem in dominiū Marochi, modo aliqua re, Reges Feſſæ in dominos agnoſceret. Sed Seriffi, (quorū potētia & exiſtimatio quotidie creſcebat) cū tempus pendendi Tributū veniſſet, iuſſerūt nūciari Regi, ſe legitimos ſucceſſores Mahumetis eſſe, ideoq; ſe nemini Tributū debere: ſe plus iuris, quam illū in Africā habere, ſi ipſe illos pro amicis vellet, bono ei hoc fore; ſi autē ipſos, à bello aduerſus Chriſtianos auerteret, non ſibi animū, ad ſe tuendum de fore. Hoc ægre ferens Rex indixit eis bellū, obſeditq; Marochū, ſed coactus fuit ab obſidione diſcedere: deinde autem rediens cū 18. equitum millibus (inter quos erant duo Sclopetariorū millia) vt obſidionē inſtauraret, in itinere, cū flumen trāſmitteret, victus fuit à Seriffis, quibus ſeptē tantū equitū millia, & ducēti ſupra mille Sclopetarij erant. Elati ea victoria exegerunt Tribu-

Tributa illius regionis,ſuperanteſq; Athlantem,ceperunt Tafiletem ciuitatem præclaram, & partim beneuolentia,partim vi,ſibi obedire coegerunt diuerſos Numidiæ & Montium populos. Anno 1536. minor Seriffus qui ſe Regem Sus dicebat, collecto potenti exercitu,& magno tormentorúm bellicorum numero,quorum partem Regi Feſſæ eripuerat,partem Franci Apoſtatæ fuderant, expeditioné Promontorij Aguero ſuſcepit. Is locus erat magni momenti,poſſidebatur à Luſitanis,qui eum exſtruxerant,munituſque fuit, primum expenſis Lopezij Sequieræ,deinde Regis Emanuelis, poſtquam eius oportunitatem cognouiſſet. Pugnatum fuit vtrinq; ferociter,ſed cum tandem ignis munitionem pulueris pirij corripuiſſet,idque milites, qui illum locum defendebant perterrefeciſſet, ingreſſus eſt locum Seriffus,cepit eum,fecitque captiuos maximá præſidiariorum partem.Qua victoria potiti Seriffi, ſubiecerunt ſibi fere totum Athlantem, regnum Marochinum,& Arabes,qui coronæ Luſitaniæ parebant.Rex Ioannes Luſitaniæ Tertius, videns expenſas acceptum excedere,reliquit ſua ſponte Safin,Azamorum,Arzillam, Alcazarum, loca quæ in ora Mauritaniæ poſſidebat. Hi felices progreſſus maximas diſſentiones, & diſcordias inter fratres procrearunt,quarum exitus fuit,vt cum minor duobus prælijs maiorem viciſſet, (ſecundum prælium factum fuit anno 1544.)cepiſſetque,eum in Tafilettem relegarit: Vertit deinde arma in Regem Feſſæ cumq; eum captiuum factum libertati reſtituiſſet, iterum(quod promiſſis non ſtetiſſet)captum, cum filio,eos tota ditione & vita priuauit, cepitque ópera filiorum,ciuitatem Tremiſenam. Collegit interim validum exercitum Sal Arráes Prorex Algieræ,ti-

ræ,timens tantum ſucceſſum Seriffi, recepitque primum Tremiſenam, profligatoque Seriffo cepit Feſſam,deditque eius dominium Buaſſoni Dynaſtæ Velez,ſed cum hic manus cum Seriffo conſeruiſſet, vitam & regnum amiſit. Tandem dum Mahumetes Tarudantem proficiſceretur, in itinere trucidatus eſt in ſuo tentorio à Turcis, quos Algieræ Prorex ſubornarat:eorum dux erat Aſſen, qui cum ſocijs, Tarudantem profectus, diripuit Regis theſauros, ſed domum reuerti volens,à populis neci datus eſt cum ſocijs,exceptis eorum quinque,accidit hoc anno 1557.Rex deinde proclamatus, ſalutatuſque Muleius Abdala,Seriffi filius.Hæc dixiſſe ſufficiat, de origine Seriffi, cuius progreſſus ſimiles videntur illis,quos habuit Iſmael Rex Perſiæ. Ambo paruo tempore ſubegere regiones: Ambo creuerunt ruina Principum vicinorum: Ambo magna incommoda paſſi ſunt à Turcis, perdideruntque ſuarum ditionum partem: Selimus enim eripuit Iſmaeli Caramit diuerſasq; alias Meſopotamiæ ciuitates: Vicerex Algieræ pepulit Seriffum Tremiſena & eius vicinia:Et ſicut Selimus occupauit Tauriſium caput Perſiæ,idque dereliquit, ita & Sal Aries cepit Feſſam caput Mauritaniæ & dereliquit eam.

CENSVS.

SEriffus habet dominium in omnes facultates vaſallorum, etiam in ipſos vaſallos: quamuis enim eos oneret impoſitionibus tributiſque grauiſſimis,contra tamen mutire non audent.Percipit, à ſuis vaſallis Tributarijs decimam, & primitias fructuum pecudumq;.Verum quidem eſt, quod ad pri-

primitias ſpectat,non plus vno ex viginti percipit, quod autem 20.excedit, quantumuis ad centum & eo plus primitiæ aſcenderent, nunquam vltra duo capit.Ex ſingulis terræ iugeribus accipit Ducatum, & quintam eius partem,tantumque ab vno quoquo foco:Adhuc totidem ab vnaquaque perſona,quę 15. annum exceſſerit,maſculo aut fœmina: Si opus eſt, maiorem ſummam capit: Vt autem populi libẽtius quod exigitur ſoluãt,ſemper dimidium plus quam perſoluendum eſt,imperat,itaque ipſis videtur,ſibi remitti ea pars,quam non cogit diſſolui. Sunt tamẽ quidã qui montes inhabitant, populi indomiti & immanes, qui propter difficilem ad eos acceſſum, cogi non poſſunt,vt Tributa pendant: Decimam tãtum meſſium perſoluunt, quo in planicie verſari poſſint. Vltra hos Reditus habet Rex Telonia & vectigalia ciuitatum, in quarum introitu pendunt res vectigal,nempe ciuis Feſſanus duo ex centenario,extraneus decem Sunt quoque Reditus molarum,quæ magnam pecuniarum ſummam conficiunt.Quod enim ad reditus molarum attinet, pro aſini onere frumenti(quod Feſſæ molitur) percipit ſemi Regalem Sunt Feſſæ vt diximus,pluſquam 400 molæ.Templum,Carruuen appellatũ,habebat plus quam 80. aureorum millia annui Reditus.Multa quoque millia habebant Collegia & Xenodochia Feſſæ,ea omnia nunc percipit Rex.Quin etiam hæres eſt Rex omnium iudicum quos Alcaides appellant,& omnium ſuorũ Officiariorum , cumq; moriuntur,capit poſſeſſionem equorum , Armorum, veſtium,omniumque bonorum. Attamen ſi mortuus,poſt ſe filios bello apptos reliquit, eis paternã penſionẽ indulget:Si vero alij ſunt impubęres , eos alit,donec ad maturam ætatẽ peruenerint,filias autem

te alit, donec maritis copulentur. Vt manus inijcere poſſit bonis ditium, dat eis aliquam gubernationem, aut munus cum penſione. Ne vero eius Fiſco bona cadant, occultant ipſi ſuas opes, nituntur q; vt longe ab Aula Regiſq; aſpectu abſint, ob quam cauſam ciuitati Feſſanæ multum de antiquo ſplendore deceſſit.

POTENTIA.

SEriffus Arces aut munitiones valde munitas nō habet, ſolum in Maris ora Caput Aguero, Labace & Tetuanum poſſidet: Præcipuas enim vires (ſicut Turca & Perſæ faciunt) in militibus, præcipue in equitatu, ſtatuit. Eam ob cauſam ſe tormentis bellicis non ſollicite inſtruit, habet tamen eorū magnum numerum Feſſæ, Marochi, & Tarudante: in Portubus ſupra dictis quoque tormenta quæ ſui anteceſſores, Luſitanis & alijs eripuerunt: Alia quoque cum opus eſt fundi curat, nec deſunt ei eius Artificij magiſtri ex Europa. In Marocho ei eſt Armamentarium, quo loco quolibet menſe, vt minus 46. quintales, vt appellant pulueris pyrij fiunt, conficiuntur etiam tormenta manuaria & Baliſtæ. Anno Chriſti 1569. inuaſit ignis tanto impetu domos, in quibus puluis pyrius cōcifiebatur vt ciuitatis magna pars diruta fuerit. Quod ad militiā Seriffi ſpectat eius plura ſunt genera: Primum eſt 2740. Equitū, & bis mille Pyroboliariorum, quorum partem Feſſæ, ſed maiorem Marochi, vbi ipſe habitat, pro præſidio habet. Secundū eſt vnius Aciei Regalis, ſex millium Equitum, qui omnes nobilitate clari, & magnæ æſtimationis ſunt: Vtuntur hi equis generoſis, phaleris egregie ornatis, ſuntque ipſorum arma, tuum

propter

propter colorum varietatem venuſtiſſima, tum propter ornamentorum diuitias præter modum ſpectabilia: Splendent omnia Auro, Argento, Margaritis, Gemmis, cæteriſque rebus: quæ aut oculos delectare, aut curioſitatem ſpectantium paſcere valent. His militibus, præter penſionem frumenti, Auenæ, butyri, carnis, pro ſe, vxoribus, filijs & famulis, numerantur in pecunia, à 70. ad centum vnciæ Argenti. Tertium militum genus eſt Timariottorum (vt vulgo nominant: Seriffus enim ſuis filijs fratribus, cæteriſque perſonis, alicuius æſtimationis & authoritatis, apud populos Africæ, aut Principes Arabũ, poſſeſſionem agrorum clientumq́ue, pro ſuſtentaculo ipſorum concedit. Illi, qui vulgo Alcaidi nuncupantur, curant coli agros, colliguntque Reditus frumenti, Oryzæ, Auenæ, Olei, Butyri, Veruecum, Gallinarum, pecuniarum, diſtribuuntque ea menſtruè inter milites, pro cuiuſque gradu militiæ: Dant eis quoque pannum, telam, ſerycum ad veſtitum, arma quoque, & equos quibus bello vtantur: Si equi occidantur aut moriantur, dant eis alios: quę res Romę in vſu fuit, cum ijs, qui equis publicis militabant. Horum militum Præfecti ſollicite curant, vt ſui milites ſint in optimo procinctu, armis veſtibuſque recte probeque inſtructi. Præter hæc recipiunt hi milites à 24. ad 30. vncias Argenti annuè. Quartum genus militum conficiunt Arabes, qui continuo viuunt in ſuis Auaris (ita vocant ſua caſtra, quorum quælibet iacentum, ad 120. tentoria cõpartita ſunt ſub diuerſis Præfectis, quos Alcaidi nuncupant, vt cum opus eſt parati ſint Hi equis merent, ſed latronibus, quam militibus ſimiliores ſunt Quintum militiæ genus militaribus delectibus Principum Chriſtianorum ſimile eſt, ijs adſcripti

ſunt

ſunt habitatores, ciuitatum, pagorum Regni, & mõtium: Verum quidem eſt, Reges illos magni non facere, nec libenter eos armare, propter ſeditionum motuumue metum, niſi bella aduerſus Chriſtianos gerantur; quia tunc prohibere non poſſunt: Cum enim lege Mahumetica cautum ſit, Mauros à Chriſtianis occiſos, & eos qui Chriſtianos occiderunt, recta cœlum petere, confluunt certatim viri fœminæq;, ſpe quærendæ ſalutis excitati, curruntq; in bella, vt ibi moriantur, cælumq; ſibi parent, ſecundum ſtultã eorum opinionem. O Inuentum diabolicum. Non minor quoq; feruor eſt, noſtro dedecore in Turcis, maxime propter defenſionem ſuæ hæreſis: videntur illi ſibi ad feſta nuptiarum, non ad bella proficiſci, vixque poſſunt expectare diem procinctus. Sanctos habent eos, qui arma manu tenentes in bello cadunt; infelices vero, nihilique homines exiſtimant, qui domi inter planctus puerorum, & vlulatus mulierum, diem obeunt. Quibus è rebus ſatis aperte colligitur, quantum Seriffus hominum numemerum ad bella educere poſſit. Sed exemplo id clarius oſtendi poteſt. Muleius Abdala obſedit Mazaganum cum ducentis virorum millibus. Expleuit foſſam monte è terra congeſto murumq; tormentis bellicis ſolo adæquauit. Sed Luſitanorum virtus eum ab eo conatu deſiſtere coegit, accepto magno damno ex cuniculis. Verum tamen conſtat eũ Principem bellum vltra trimeſtre continuare non poſſe: Nam cum miles dietim ex eius commeatu vitam degat, ex eius commeatu nó ſolũ cibum, ſed & veſtitum præbet; commeatus autem difficulter, quo exigit exercitus neceſſitas vehi poſſit, fit vt præ penuria commeatus breui domum reuertantur. Certum quoque eſt, eum diu belligerari non poſſe, cui

Q deſit

deſit belli neruus, pecunia. Moluccus Rex Feſſæ, qui fregit Sebaſtianum Luſitaniæ Regem, habuit ſub ſignis 40. Equitum & 8. Peditum ſtipendiariorum millia, præter Arabes, alioſque gregarios milites, exiſtimaturq; ipſe 70. Equitum millia, multum quoq; plus Peditum conſcribere potuiſſe.

REX HISPANIAE.

AB Orbe condito, nulli Imperatorum, Regum vel Principum maius Imperium obtigit eo, quo Philippus Indiarum & Hiſpaniarúm Rex potitur, maxime cum Luſitaniæ regnũ ipſi poſtremo ſit adiectum: amplissimas enim Europæ Prouincias, nobiliſſimaſque Aſiæ Africæque regiones complectitur: Nouũm denique Orbem qui Europa Africaque latius patet abſque riuali pacifice poſſidet. In Europa Hiſpaniam certe tenet, quæ octingentis ab hinc annis, nulli tota quam ipſius imperio paruit: Belgium, quod mille milliaribus ambitur: Regnum Neapolitanum, quod mille & quadringenta milliaria circumeunt: Inſubriam (quę Mediolanenſis Ducatus titulo deſignatur) cuius ambitus eſt trecentorum milliarium: Maioricam, Minoricam & Euiſam inſulas; quarum prima 300. altera 150. tertia octo milliaribus in Orbem porrigitur: Siciliam, cuius circuitus eſt 700. milliarium: Et Sardiniam quæ 562. milliaribus patere dicitur. In Africa potitur magno illo portu, quem incolæ Maſalquiuir appellant, quo portu nullus inſignior, capacior, ſecuriorque in mari Miditerraneo eſt: Habet etiam Oranum, Melillam & RupemPegnonum

Velez

Velez dictam:habet & extra fretum Herculeum Inſulas Canarias duodecim numero, inter quas præcipuæ ſunt ſeptem,quarum nulla minus quam nonaginta milliaribus ambitur. Luſitaniæ regni iure præclara locaSeptam & Tingim(vulgo Tanger)quę claues Freti,immo maris Mediterranei, & Oceani Athlantici ſunt:Extra Fretum autem Magazanum ciuitatem habet.Idem Luſitanię regnum in immenſo illo Oceano,Inſulas habet, quæ vulgo Terzere dicuntur,quæ numero ſunt ſeptem,ex ijs Angra nomine 40.miliaribus ambitur,S.Michaelis pluſquam 90.milliaria continet: habet & Portum Sanctum, nec procul inde Maderam (vino præſtantiſſimam) quæ regina inſularum Oceani Athlatici eſt, & 160. milliaribus cingitur. Inſularum quoque Capitis Viridis(Capo Verde nominant)imperio claret, ſeptéq; ſuntHabet ſub Aequinoctiali linea inſ. laSācti Thomæ,quæ Madera aliquanto maior,ſaccari abunde diues eſt.Quin & Rex Philippus iſte, totius oræ illius Africanæ,quæ à Capite Aguero ad illud quod Guardafu dicitur extenditur. Denique commerciorum,negociationis & nauigationis illius Oceani,totque Inſularum quas natura ibidem diſſeminauit,vel inprimis è regione Caprariæ inter Promontoria Bonæ ſpei & Guardafuenſe dominus,heruſque vt & eſt agnoſcitur.Idem & in Aſia, Luſitanici regni iure,potiores Oræ Occidentalis partes, nempe Armuzium,Dium,Goam & Malacam poſſidet. Armuzium commoditate ſui ſitus adeo diues eſt,vt Arabibus in prouerbium abierit:

(∵)

„Si terrarum Orbis quaqua patet, Annulus eſſet,
„Illius Armuſium gemma decuſque foret.

Magna Arabiæ fælicis pars ad Armuzij regnum ſpectat; ſicut & Baharem inſula, regina eius Sinus inſularum, tum propter magnitudinem, cui terræ fertilitas & fructuum varietas coniunctæ ſunt tum propter ditiſſimam Margaritarum piſcationem. Dium, Cambaiæ eſt clauis, quæ inenarrabilibus diuitijs abūdat ſuiq; maris: in quo mari Luſitani quoque poſſident Damainum, Bazainum, Tavaam, Goā: quæ (vt interim Ciaūlem, Cananorem, Cochimum & Colanum prætercam) tanti momenti eſt ciuitas, vt Regi Luſitaniæ tantū vlla quantū Europæ regna, pendat. Deniq; Luſitani obtinent omnem fere oram maritimam, quæ à Damaino ciuitate ad Melepuram vrbem vſque protenditur: quæ integra maris ora ipſius eſt, aut eius ſociorum, excepto Calecutio: Zeilana ſane inſula eſt Orbis vniuerſi præcipuæ deliciæ in ea habent etiam Portum & Arcem vulgo Colūbo nuncupatam. Potiuntur & Malaca, quæ ijs ipſis locis Imperij ſui terminus eſt, clauiſque negotiationis & commercij Oceani Eoi, illarumque inſularum, quæ tot ac tantæ ſunt, vt toti Europæ magnitudine pares putentur. Domos quinetiam potius quam Arces in Amacano, ad commercium cum Chinis exercendum, & in Tidore inſula, negociationi cum Molucis & Banda exercenda habent. Res profecto ſtupenda eſt, à 12. tantum Luſitanorum millibus (nec enim plures in tanto terræ mariſque tractu ſunt) tot potentiſſimos Aſiæ Reges, & populos, tanquam freno coerceri, illoſque tam paucos Luſitanos maris Athlantici, Indici, & Eoi imperium aſſerere, ſibi ſeruare, ac tueri. Ab hinc annis 90. ſeſe illi

illi ijs locis muniuerunt,non ſolum magna cum ſua gloria,verum etiam totius Orbis Chriſtiani laude vtilitate ac fructu. Neque vero obijci poteſt,illis hoc facile fuiſſe, quod fortaſſe res ipſis eſſet cum populis belli minus peritis:Eripuerunt enim armorum virtute regnum Armuzianum Regis Perſiæ clienti:Vicerunt etiam,quaſſaruntque ad Diũ Magni Sultani Aegyptij claſſem, plenam Mamaluchis, qui non minus arte militari,quam Prætoriani Turcæ milites (qui Ianizari nuncupantur) clarebant: Dium illud,aduerſus Turcæ & Guzaratarum vires fortiter defenderunt: Sæpe Turcarum claſſes mari rubro in fugam verterunt: Ad Armuzium claſſem Turcarum Anno Chriſti 1552.ſubegerunt:Cum Principibus Decan,Regibus Cambaiæ, Calecutij & Achen(qui armis & militibus Turcicis probe inſtructi erant)in Taprobana pugnarunt.Itaque Luſitanorum expeditiones in Cambaia,India,& in vniuerſo illo Oceano & ora Aſiæ,non minus admirandæ ſunt quam Macedonum, Alexandrique Magni victoriæ. Eo quidem magis,quod Luſitania,terræ amplitudine,Macedonia multo minor, numeruſque Luſitanorum Macedonibus par non fuit.Proſtrauerunt enim 19.nauibus claſſem Sultani Aegyptij,longe numero maiorem:Duobus virorum millibus expugnarunt Goam:Eam amiſſam 1500.militibus recuperarunt.Octingentis Malacam ſibi ſubiugarũt: pauloque pluribus Armuzium. Altera ditionum Philippi Regis Chatholici pars, in Nouo Orbe continetur,in quo quantum ipſe velit conſequitur, eo præcipue quod ſine ſocio vel riuali illic regnet. Diuiditur autem Nouus Orbis in Continentem & Inſulas.Maris ſeptentrionalis tot ſunt Inſulæ, vt earum numerus(ſolæ Lucaiæ excedunt quadringẽ-

tas)nondum cognitus ſit: Earumque nonnullæ tam amplæ opulentæque ſunt, vt vel earũ quęque grandi regno conſtituendo ſufficiat. Boriquena longa eſt 300. milliaribus, lata 60. Iamaica paulo minor eſt: Cuba longa eſt trecentis, lata 20. leucis: Hiſpaniola in ambitu 1600. milliarium eſt. Quod ad Continentem ſpectat, Rex reapſe toti maris oræ, quæ Floridam, Nouam Hiſpaniam, Lucatan lambit, deinde toti illi immenſæ Peninſulæ Meridionali ad caput Californiæ, immo ad Quiviram vſque imperat: eo enim atque vlterius Caſtellani nouas terra marique regiones detexerunt. Hiſpaniæ Nouæ ora, quæ initium capit à Sanctæ Helenæ oppido, Panamam tranſiens ad Quiviram protenditur, circiter quinquies mille ducentiſque milliaribus longa eſt: quibus ſi coniunganturMediterranea confinia, Septentriones verſus, non minus quam nouies mille milliaria efficient Peruuia; quæ ad Panamã incipit, habet oræ Maritimæ duodecies mille ſexcenta milliaria, quorum tria, quæ interMaragnonem fluuium & Argenteum continentur, Braſiliam complectentia, Regem Luſitanorum agnoſcunt. Noui Orbis Continens multa regna ditioneſq; perquam amplas complectitur, in quibus duo præcipua regna quaſi Imperia ſunt, nempe Mexicanum & Peruuianum, quorum Reges potentiſſimi olim openlentiſſimique fuerunt. Rex Mexicanus non ſanguinis aviti iure, ſed à 6. viris eligebatur, nimirum qui iuuenis elegans, ſtrenuus, corpore bene compoſito, militiæque aptus eſſet, ideoq; Regem quendam ſuum, quod ignauus, imbellis timiduſq; eſſet, veneno necarunt. Senatus ſupremus apudRegem erat, qui ex quatuor nobilitatis & Officialium gradibus conſtabat, abſque cuius authoritate & conſenſu, nihil quod eſſet

alicuius

alicuius momenti ſtatui decernique poterat. Nihil æque atque rectam puerorum inſtitutionem curabant,& præcipuo apud ipſos in pretio erat Religio, ſtudiumque rei militaris. Inter ipſos fuit egregius heros Tlacaellel,tantus armorum virtute,vt magnā regni Mexicani partem ſibi pararit, animi adeo excelſi,vt oblatum ſibi regnum conſtanter recuſarit, dicens ex vſu Reipubl.eſſe,vt alius Rex, ipſe vero miniſter eius eſſet,humeros regno impares eſſe,addens ſe pro Republ.non minus ſedulo laboraturum quam ſi Rex eſſet. Rex cum maieſtate viuebat,magnificeque habitabat,maximoque clientum ſatellitio ſtipatus incedebat.Regni pomœria, Religionem, linguamque ab vno latere ad Teguante pecū, quod Mexico 200.leucis diſtat,extendit: Ab alio latere ad Guatimalā,quæ 300.leucis abeſt: quin etiam regni fines ad Mare Septentrionale & Meridionale protulit:Mecioacā, Tlaſcalā & Terpeacā debellare non potuit. Inimicitiæ quæ Mexicanis cum Tlaſcalano oppido erant,Hiſpanis ianuam in Mexicanum regnum aperuerunt, reddideruntque adipiſcendo imperio Mexicano faciliorem, quod anno Chriſti 1518.contigit.Mexicani in ſeptem tribus diuiſi, ex regione Septentrionali,in hæc regna venere,in qua Septentrionali plaga ſuperioribus annis, Hiſpani ditiſſimam prouinciam populoſiſſimamque detexere,quam Nouum Mexicum nuncuparūt. Præcipuus honos in armis,quibus homines nobilitabantur,ſitus erat.Motezuma vltimus Mexicanus Rex aliquot ordines equitum inſtituit, quorum alij Principes, leones,quidam Aquilæ,nonnulli Pardi dicebantur. Iis aurum,argentumque geſtare, & xylo vel goſſipio (quod Barbari & Arabes cotū & bōbacē appellant) veſtiri,calceatis incedere, inaurata pictaque

vaſcula habere(quibus omnibus plebi ignobilibuſque interdicebatur)licebat.Imperij Perruviç cuius Rex Inga dicebatur, conditio ſtatuſque aliquando multo maior fuit:Dum ſumme floreret, ſe à Paſto Chile vſque porrigebat, amplitudine mille leucarum, Latitudine vero centum leucarum, erat nempe ab Oceano Meridionali ad partem Orientalem Andi vſque. Immenſa aquarum copia partim viua & decurrens,partim mortua & quieſcens obſtitit, quo minus vlterius progrederentur. Prætextus bellum alijs inferendi fuit,quod iu diluuio in ipſis Ingis ſeruatus mundus eſſet, & quod ipſi ſoli haberét veram religionem eamque alios ipſi docere tenerentur.Præcipuus illorum Deus erat Viracoca, hoc eſt,vniuerſi creator;alter vero Deus illis Sol erat. Inga Pacacuti,qui maiorem ſuperſtitionum(quibus addicti erant)partem reperit:quum aliorum deorũ templis prædia redituſq; attribuiſſet, nullos Viracocæ aſſignauit,quod quum ille,inquiebat, creator omnium eſſet,eis non indigeret.Inter alias res memorabiles per ipſum inſtitutas pro regionibus acquiſitis vna erat quod terras in tres partes diuidebat:Prima Religioni & Dijs dedicabatur. Altera Ingæ decidebatur,qua ſe ipſum, Curiam, Parentes, Barones & præſidia ſuſtentabat,eratque ea pars cæteris maior:Tertia pars populo cèdebàt.Nemo rem propriam habebat,ſed Ingæ beneficio,nec ea res ad hçredes tranſibat.Agri,qui populi & communitatis erant,quota nis partiebantur, aſſignabaturq; vnicuique tantum terræ,quantum ad ſui & familiæ ſuſtentationem opus eſſet,eratque ea portio aliquando maior,interdum minor: deque ea tributum non pendebant:Eius autem loco colebant terras Deorũ & Ingæ:recondebant fructus in ampliſſima horrea, ad id

ad id deſtinata:vnde quum ſterilitas ingrueret ſumebantur pro populo: Idem fiebat de animalibus quę per capita diuidebantur. Hac in re videntur mihi longe ſuperaſſe diuiſiones terræ, quas Lycurgus fecit, ac leges Agrarias Romanorum. Ex Noua Hiſpania & Peruvia (præter merces) opes inexhauſtæ auri & argenti trahuntur: Earum opum ordinarie duas partes Peruuia, tertiam Noua Hiſpania ſuppeditat, quæ mercimonijs ditior eſt Mexico. Inter alia dat Cocinigliam maximi ſane pretij mercem: dat & Aniſ, & cora vaccarum infinita. Eius autem inſulæ, vberrimam copiam coriorum, Yyli, ſacchari, cannæfiſtulæ, ſandarachæ, & margaritarum mittunt. Inter theſauros Peruuiæ duo ſane admirandi ſunt: Vnus eſt fodinarum argenti quæ Potoſij Anno 1545. detectæ fuerunt, vnde effoſſa fuit, effoditurque tanta argenti vis, vt quinta pars, quæ Regi cedit, 40. annorum ſpatio ad centum & vndecim Peſorum milliones acceſſerit: Vnus autem Peſo tredecim nummos Regales (Reales vocant) eiuſque quartam partem valore exæquat: nec tamen duæ tertiæ partes penderunt quintum Regi debitum. Ea argenti copia expurgatur in 52. machinis (quæ inſtrumenta vocant) in flumine vicino exſtructis: in 22. quæ in valle Tarapaia ſunt: Præter ea organa ad huc alia ſunt quæ ab equis verſantur, inque gyrum aguntur. Alię opes conſiſtunt in fodinis Guancaualcanis, quę argento viuo abundant: detectæ fuere Anno 67. vnde Rex pure citraque expenſas circiter quadringēta Peſorum millia percipit. Natura quæ Peruviæ tā liberaliter fodinas auri argentique largita eſt, nihil eiuſmodi Braſiliæ contulit, ſed earum loco dedit aerem ventorum clementia ſaluberrimum: Fontes fluminaque multa, eaque grandia, ſyluarum ſatis.

Diſtinxit terram in planiciem & colles delicatos: veſtiuit eam iugi amænitate, dotauitque multis tutiſſimiſque portubus. Abundat ſupra modum Saccaro quod eo intulerunt Luſitani, maximamque eius vim foras mittit. Noui Orbis appendices fere ſunt inſulæ Philippinæ: quamuis enim, ſi earum ſitum bene conſideres, habendæ ſunt parte Aſiæ, tamen per Nouam Hiſpaniam primi earum cognitores ad eas penetrarunt: Earum Inſularum amplius 40. ſuæ clientelæ ſubiecerunt, pacataſque reddiderunt Caſtellani. Quum itaque Regis Catholici imperium adeo capax, ne dicam infinitum ſit, diuidemus eius Tractationem, quantum ad vires & regimen ſpectat in quatuor partes. Prima erit de eo quod in Europa continetur: Altera complectetur Nouum Orbem: Tertia ditiones quæ in ora Occidentali & Meridionali Africæ ſunt: Vltima dominia eius in India & Aſia recenſebit.

DE DITIONIBVS SEV PROVINCIIS IN EVROPA.

Dicamus itaque ditiones quas Hiſpaniarum Rex in Europa poſſidet, eſſe ex ditiſſimis opulentiſſimiſque quæ in ea ſunt: Hiſpania enim auro argentoque ditiſſima Prouinciarum cognitarũ, tantiq; momenti eſt, vt nõ abſq; cauſa prima Continentis prouincia fuerit, de qua tam acriter Carthaginenſes & Romani depugnarunt. Gothi Vandalique, poſtquam maximam Imperij Romani partem hoſtiliter perſultaſſent, eam ſibi pro ſtatione elegerunt. Trebellius Pollio, ipſam & Galliam, robur

robur & neruos Imperij Romani vocat. Conſtantinus cum Imperiũ diuideretur, prætulit Hiſpaniam (& nos Itali tantopere noſtra, ſi Dijs placet, admiramur) Italiæ. Quum enim ei in partem obtigiſſent Britannia, Gallia, Hiſpania, Italia, ipſe contentus tribus primis Prouincijs parui fecit Italiam, eamq; ſocio ſua ſponte reliquit. Regnum Neapolitanum pulcherrima totius Italiæ gemma audit, & eſt: Natura enim ibidem velut in compendium id omne collegiſſe videtur, quod propria manu per reliquã Europæ partem diſſeminauit. Quid autem dicemus de ditione Mediolanenſi? Eſt ne alius ducatus, annona, frugibus, Oriza, pecudibus, lacticinijs, vino linoque opulentior? Aut opificum & negociatorum multitudine, ędificiorumque populique frequentia abundantior, ſituque loci commodior. Inter omnes Maris Mediterranei inſulas caput effert Sicilia, quũ amplitudine, tum fertilitate. Inter regiones vltramontanas ſiue terræ fœcunditatem, ſiue oppidorũ magnificentiam, ſeu politiam, ſeu locorum munitionem, ſeu gentis indolem & induſtriam ſpectemus (neque enim aliunde feliciora prodeunt ingenia, nec expreſſiora priſcę virtutis exempla Belgium, quod inferioris Germaniæ nomine indigetant) citra contradictionem facile primas obtinet.

REGIMEN.

REctio,ſiue regendi forma Hiſpanię,regia eſt, & Principis,quæ duobus fundamentis nititur,quorum vnum Religio,alterum Iuſtitia eſt:Illa protectio fauorque numinis; hac amor beneuolentiaque populi comparatur.Illa animos frenat,regitque,hæc manus ligat coercetque:denique, illa Reipubl. bona ſpiritualia ſeruat , hæc pacem temporariam concordiamque tuetur. Hoc in regimine plurimum maturitatis cernere eſt:deliberantur enim omnia in Conſilijs ad id deſtinatis,potiuſque locū habent conſilia grauia & lenta,& cunctatio Fabij , quā temeritas præcepſq; feſtinatio Marcelli. Vitantur,quoad fieri poteſt , rerum nouandarum ſtudia,conſuetudinum & inſtitutorum veterū mutationes. Quo reſpiciens ſanctorum quatuor Cardinalis(qui poſt Pontifex Innocentius Octauus fuit)dicere ſolebat,ad regimen Hiſpanos ita attentos,vt hac in re nec hilum erroris ij committerent. Hiſce modis Rex Catholicus ſub ſuo imperio (niſi vbi Principum aduerſariorum vicinitas obſtat) nationes moribus,inſtitutis & ingenijs oppido diſpares Caſtellanos,Arragonas,Cantabros , Luſitanos, Italos,Germanos,Orbē noſtrū Nouumq; , ſubditos naturales & acquiſitos,Chriſtianos,& Gētiles quiete placideq; in officio cōtinet. Rationi quoq; cōſentaneum eſt,vt ditiones quæ Auſtriacæ Familiæ via quieta & pacifica(quales matrimonia & affinitatis ſunt)acceſſere,moderate quieteq; adminiſtrentur: Quumque initia adeo iuſta honeſtaque fuerunt,diutiſſime durent.Quod aliqui obijciunt hoc Imperiū

durare

durare non poſſe, ideo quod diuiſum diſperſumque ſit, haud eſt cuius momenti. Præter enim argumenta à nobis adducta in diſputatione de Statu, quibus contrarium euicimus, eſt adhuc hoc argumentum quod dominia magna, à ruina aduerſus mala extrinſeca, mediocria autem aduerſus inteſtina, melius conſeruantur. Cæterum in Imperio ita diuiſo, ſunt amplitudo & mediocritas ſimul vnitæ: Amplitudo in toto corpore ex membris diſtinctis compoſito conſiſtit: Mediocritas autem in maiori membrorum parte. Cum enim aliqua eius Imperij membra, (nempe Hiſpania, Peruuia, Mexicum) per ſe magna ſint, omnia illa bona habent, quæ tum amplitudo, tum mediocritas ſuppeditare poteſt, nempe magnam potentiam aduerſus hoſtes externos, & ſecuritatem aduerſus corruptelas domeſticas. Adde his, quod viribus maritimis omnia Imperij (de quo loquimur) membra vniri poſſunt. Quemadmodum enim Cæſar Auguſtus, vna claſſe, quam Rauennæ tenebat, & alia quæ Miſſeni erat, totum Imperium Romanum ſecurum reddebat, ita & Rex Catholicus, duabus, quas teneret, claſſibus vnam in in noſtro Mari, alteram in Oceano, omnia Imperij ſui membra, tam quæ in Europa ſunt, quam quæ in Nouo Orbe habet, vnire poſſet. Bonus itaque, Myoparonum & nauigiorum bellicorum numerus, quē in Mari Athlantico teneret, non ſolum oram Maritimam Hiſpanię & Americę, claſſeſque quæ ſurſum deorſumque nauigant ſecuras redderet, ſed & Angliam adeo Zelotypam (vt ita dicam) faceret, vt Regem Belgio pacare frui ſineret. Quod ad claſſem maris Mediterranei attinet, ea ditiones eas ita coniunget, vt earum vires ſemper in ea ſint, ſicut videmus Luſitanos viribus Maritimis ditiones, quas in Per-

Perſia, Cambaia, Decan & in reliquo Indiæ habent ab hinc 90. annis & amplius, glorioſe ſibi conſeruaſſe. Quidam egregij præſtanteſque viri, in die deliberationibus ſuper id habitis oppoſuerunt riualitatem ſiue æmulationem Turcæ, dicuntque, quod ſi Rex vt parcat expenſis immodicis, quas in Arces facit, ea impenſa claſſem 150. aut plurium Triremiũ inſtruere velit (quod ei factu facile eſt) incitabit Turcã (cuius claſſis 130. Triremiũ numerũ nõ excedit) vt Rege ſuperior ſit, earũ ducẽtas inſtruat, vnde ſuæ Maieſtati, expenſæ faciundæ erunt, nec tamen aliquid ad eius potentiam accedet. Ea ſubtilitas, ne argutã dicam verſutia, excedit modum. In rebus quoque practicis nihil infelicius, quam nimium ingenij acumen ſuccedit. Non ſufficit enim dicere, quod Turca viribus Maritimis Rege ſuperior eſſe velit, ſed videndum eſt, num id in eius poteſtate ſitum ſit. Quamuis enim Turca plus oræ Maritimæ quam Rex habeat, non tamen plus neruorum habet, nec gentis machinationibus naualibus aptæ. In tota enim Africæ ora non habet, exceptis Algiera & Tripoli, locum, vbi aut fabricare, aut tenere par Triremium poſſit. Idem de Ponto Euxino dicimus, vbi nihil magni momenti eſt, præter Capham & Trapezuntem. Idem dici poſſet de tota quaſi ora Aſię. Non ſatis enim eſt habere multum oræ Maritimæ, ſed pluribus opus eſt: Populo inquam qui arte marina delectetur: Qui labores & incommoda maris tolerare poſſit: Cui cordi ſit nauigatio & negociatio in Mari: Cui ligni & Cannabis ſit ſatis: Qui minis vẽtorum & horrore tempeſtatum non exanimetur: Qui vitam periculis exponere & in ijs verſari audeat: Qui mortem inter Scyllam & Charybdin prouocare nõ extimeſcat. In dimidia parte Imperij

Turcici,

Turcici, populus mari aſſuetus non eſt, nec qui cō-parari vel opponi Catalanis, Cantabris, Luſitanis, Genuatibus, (hos nomino propter multa officia quæ Regi Catholico in ſuis claſſibus præſtant) poſ-ſit. Duabus denique rebus Rex Catholicus Turcæ præualet. Vna, quod quamuis Turca ſub ſuo imperio pluſ populorum quam Rex habeat, eis tamen, quod maxima eorum pars Chriſtiani ſint, contra nos fi-dere non poteſt: Altera, quod oræ Maritimæ Regis magis vnitæ ſunt quam quas Turca habet, eoq; no-mine coniungi Regis vires facilius poſſunt. Com-pertum eſt etiam claſſes Orientales plerumque ab occidentalibus, Meridionales à Septentrionalibus, Carthaginenſes à Romanis, Aſiaticas à Græcis ſu-peratas fuiſſe. Cæſar Octauius claſſibus Italicis fre-git Aegyptias: noſtro tempore Chriſtiani Turcicas. Ipſi Turcę fatentur ſuas Triremes noſtris virtute cedere, timentque earum impetum. Quoties Caro-lus V. voluit claſſes armare, tantas vires coniunxit, vt Turca ſe loco mouere non ſuſtinuerit: Duxit e-nim Carolus in expeditionem Algieranam quin-gentas naues. In Tunetanam plus quam ſexcentas. Andreas Auria tantas copias duxit in Græciam, vt Turca ſe loco mouere non audente ceperit Patras & Coronem Ke taffte men di taffto.

Nihil dixi de viribus Maritimis, quas Rex habet in Oceano Germanico propter motus Belgij. Verū enim vero, quæ Europæ regio habet maiorem na-uium hominumque excellentium, qui cum impe-tuoſi maris tempeſtatibus certare valeant, quam vel Hollandia vel Zelandia copiam habet? Ecqui portus magis frequentantur quam qui vulgo Kammekens vel potius Zepyrgū, dicitur Antvverpia & Amſtel-redamū? Nihil dicā de cōcurſu nauiū omnis generis Hiſpali,

Hiſpali, quo appellunt claſſes Nouæ Hiſpaniæ & Peruuiæ, quibus ſemper maximus Nauarcharum & Nautarum numerus exercetur. Meum non eſt loqui de virtute Cantabrorum in re maritima, qui tum in arte militari, tum nautica excellentes euadant, parique ferocia hoſti armato & vndis tremendis Oceani obuiam eunt. Demonſtrauimus fere præter inſtitutum vires Maritimas. Dicamus nunc paucis de terreſtribus. Eæ conſiſtunt in Peditatu & Equitatu: Ad illum quod attinet, optimus miles pedeſtris Germiæ eſt is, qui vulgo VValon dicitur: De Hiſpano non eſt meum dicere, quod hæc natio ab omni ęuo ex bellicoſiſſimis totius Orbis gentibus extiterit. Galli nouem annorum ſpacio, à Romanis domiti ſubiugatique fuere: Hiſpani bella ad ducentos annos duxerunt. Domandis Cantabris Auguſti Cęſaris potentia & perſona neceſſariæ fuerunt. Hiſpani ſuam patriam Mauris eripuerunt, ſtatimque ea expeditione defũcti, inuaſerũt Africã, ceperũtq; pręcipua eius loca. Luſitani inuaſerũt Mauritaniam: impoſuerunt frena orę Guineæ, Aethiopię & Cafrariæ: conquiſiuerunt Indiam, Malacam, & inſulas Moluccas. Caſtellani nauigando Oceanum Athlanticum Noui Orbis dominium ſibi ſubiecerunt, in quo tot regna, Prouincię, populique linguis, veſtitu, moribus differentes ſunt: expuleruntque Francos Neapoli & Mediolano. Hiſpanorum virtus in ſagacitate ſita eſt, nulla enim alia gens melius nouit quid in bello conducat aut quid obſit: In diligentia, nihil enim per ſocordiam elabi ſinentes, panuis gar heiſi ke dynoi andropoi pragmaſi kriſdai, vti foro norunt: In vnione concordiaq;, nunquam enim extra patriam inter ſe manus conſeruerunt: Denique in tolerantia famis, ſitis, æſtus, frigoris,

goris, incommodorum laboriſque qua omnes alias nationes defatigant. His virtutibus ab hoſtibus præclaras victorias reportarunt. Quamuis autem aliquando victi fuerunt, eos nihilominus à quibus victi fuerant vicerunt, ſicut accidit ad Rauennam: Nec vnquam inſigni clade affecti fuere, quamuis aduerſos fortunæ caſus ſubierunt in expeditione Algeriana & Anglicana. Tria aut quatuor Hiſpanorum millia ſurſum deorſumque verſarunt nobiliorem Germaniæ partem, perruperuntque vndique per medios hoſtes. De Peditatu Italico qui Regi Catholico paret, non eſt meum dicere: Notum eſt enim robur militare Marſorum, Pelignorum, Hernicorum, Samnitum, Lucanorum. Quod ad equitatum attinet, Hiſpaniæ Rex generoſiſmam equorum Europæ ſtirpem habet, nempe Aſturcones Hiſpanicos, qui vulgo Giannetti dicuntur: maiores Neapolitanos quos vulgus Corſieri (quaſi equos ad curſũ, vt Varronis verbo vtar, idoneos dicas) appellat: Sequanicos qui inter Francicos antecellunt, & Belgicos qui Germanicis præualẽt. Hos populos natura ſuos armaſſe videtur ferro fodinarum Biſcaiæ & Guipuſcuæ & Molinæ: Temperatura quæ ſit Baionæ, Bilbili, Tolosettæ, Calatajut: Officinis armorum Mediolani, Neapolis, & Buſcoducis: inſtruxiſſe eos annona, commeatu & horreis inexhauſtis Apuliæ, Siciliæ, Sardiniæ, Arteſiæ, Caſtiliæ, Andaluſiæ: Eis quoque largita eſt copiam vini, nempe Somma, Calabriæ, San Martini (totius mundi vt Antonius Gueuarra vult optimi) Aimontis aliorumque locorum infinitorum. Abundat denique Rex Catholicus auro & argento, quo quantum vult equitatus peditatuſq; Italici Germanici (ne gens hiſpanica tot in partibus diuerſiſq; expeditationibus intricata conſumatur) conducit.

PRINCIPES FINITIMI.

PRincipes, quorum regiones Regis Catholici ditionibus confines ſunt, & reſpectu virium aliquo in pretio habentur,ſunt Veneti, Franciæ & Angliæ Reges,& Turca. Apud Venetos iam inde ab eo tempore,ex quo ditio Mediolanenſis penes Hiſpanos eſt,res in ſumma quiete,pacatiſſimæq; ſunt,quod Veneti tuitione potius nituntur,ſummopereque oppidorum ſuorum & Arcium munitioni incumbunt,minus rerum acquirendarum conſilijs:Quum enim eorum Reſp. tota ad pacem collimet,non expedit vt res in vicinia turbent. Regi Catholico quoque tot ditiones ſunt, vt eis contentus ſit,genſq; Hiſpanica tot expeditiones aduerſus Turcas,Mauros aliosque hoſtes in Europa,Aſia, Africa, Americaque,eaſquetam neceſſarias vtileſque præ manibus habet,vt in eos iram ſuam plenis effundat habenis:Sed & vidimus Hiſpanos prompte alacriterque arma in gratiam Venetorum cepiſſe, iam tũ quum eorum Reſpublica in maximis difficultatibus bellorum eſſet, quæ ei intulerunt Baiazethes, Solimanus,Selimus Secundus adCephaleniam,Preueſam,Lepantum:Habebant tamen, habentque Hiſpani ad ſuum latus Algierum,Tunetum & Aphrodiſium,quæ Hiſpaniæ,Siciliæ,Sardiniæ, Balearibus & regno Neapolitano viciniora ſunt quamCyprus, & inſulæ maris Ionij. Quod ad Franciam attinet, Rex Catholicus eam protegendã ſuſcepit,fecitque expenſas inæſtimabiles inLangedocia,Guienna,prouin-

uincia,Normannia,Delphinatu, Britannia, Lutetiæ Pariſiorum alijſq; in locis.Quid autem diceremus, ſi Francia cum Hiſpania ſub vna corona vniretur? Primum id quidem optari magis ab Hiſpanis,quam effectum dari poſſe dico:præterea quod vires Francorum in impetu,Hiſpanorum autem in cunctatione conſiſtunt,non enim aliter animi ſenſa exprimere valeo.Facilius autem eſt, vt cunctando impetus retundatur,quam vt contrarium accidat: Impetus enim facile præuidetur,vitatque aut eludit eum vir conſtans. Magnus Conſaluus Capitaneus quum ſe contulit in Barlettam, & poſtea ſubſtitit ad ripas fluuij Liris,qui nunc vulgo il Gariglano dicitur,primo eripuit Gallis poſſeſſionem regni Neapolitani, deinde ſpem id recuperandi.Ijſdem artibus fatigauit Antonius Leua Regem Franciſcum ad Ticinum: Proſper Columna autem eiecit eius Regis Capitaneos è ditione Mediolanenſi.Fateor equidem impetum multum in oppugnationibus vrbium valere: Fateor quoque Francos hac in re aliquid præſtitiſſe ad Iuoſium,Momedium, Caletum, ſed in ſummis prælijs vt plurimum victi fuere, nempe Greuelingę,S.Quintini,& Sienæ:in his enim plus valet ordo & ars quam furor:in illis autem, nempe oppugnationibus plus efficit impetus & furor: quam conſilium.Etſi autem Hiſpani,cunctando,præclaras rerũ gerendarum occaſiones elabi ſiuerunt,eaque ex cauſa ſæpe incommoda patiantur,illa tamen cunctatio ipſis fere ſemper,cum Gallis maxime, non ſolum in rebus bellicis,ſed & in tractationibus negotiorũ feliciter ceſſit.Veniamus nunc ad Angliam.Anglorũ Arma ad ſui defenſionē quam alijs offendendis, aptiora ſunt, idq; à natura habēt Inſulæ,quæ alicuius momenti & potētiæ ſunt,aliæ nec ad offendendũ

alios,nec ſcipſis defendendis valent. Vidimus itaq; Anglos,nihil vnquam in continente præclari feciſſe,niſi ab alijs ſuffultos: Diuexarunt quidem Franciam, ſed auxilio Ducis Burgundiæ: Ipſi à nemine ſuffulti,non ſolum quod in Francia acquiſiuerant, ſed & ditiones hæreditarias amiſerunt, exceptis Caleto & Comitatu Oyenſi,quæ etiam noſtro tempore intra paucos dies, per Franciſcum Ducem Guiſium eis erepta ſunt. Angli nunc Belgium exagitant,ſed auxilio Belgarum in primis:ſic vt natura Angliam finxiſſe potius ad ſe ſuo in ſtatu conſeruãdam,quam vt aliarum ditionum vicinarum acceſſione imperij ſui pomeria proferat,videatur. Sunt itaque Angliæ vires diuexandis Regis Catholici ditionibus, quam ijs periculo inuoluendis magis idoneæ. Facilitatem eas diuexandi præbet ipſarum amplitudo & opulentia, latronibus & pyratis multis in locis expoſita. Sicut autem nemo miratur Turcam adeo potentem Principem, mare à duabus aut tribus Triremibus Sancti Iohannis (Equitum Melitenſium) aut S. Stephani (Florentinorum) tutum reddere non poſſe: ita nemini mirum videri debet pyratis Anglis in immenſo illo Oceano, qui Regis Catholici ditiones alluit, iter præcludi non poſſe.

(∴)

NO-

NOVVS ORBIS.

TRranſmittamus nunc Oceanum. Ditiones quas Rex Catholicus in Nouo Orbe habet tam magnæ, tantæque potentiæ ſunt vt hoſtes non timeant. Hiſpani fundarunt in omnibus locis oportunis optimas colonias. Occupant ijs fauces fluminum, Portus Maris, & præcipuos tranſitus, omneſque Situs ad in officio continendum regiones, annona fertiles, aut dites venis minerarum aptos: aut ad frenandum populos bellicoſos, aut validas ciuitates. A Meridie nullum hæ regiones hoſtem habẽt, qui eis moleſtus ſit: Nulla enim ibidem Inſula, nec Continens: ipſis ad aliquot Milliarium millia adiacet. A latere Septentrionali vexantur aliquando à Francis, & Anglis, qui vt claſſes portuſq; deprædentur, eo vſq; excurrunt. Maximum damnũ paſſi ſunt, Anno 1586. quo Franciſcus Dracus, Anglus, diripuit Sancti Dominici oppidum in Inſula Hiſpaniola, & Cartagenam in Continente: Sed ea Anglorum audacia in cauſa fuit, vt Hiſpani circumſpectiores facti ſint, meliuſque earum regionum ſecuritati proſpexerint. Eæ à Septentrionali latere, à natura mirabiliter munitæ videntur: Primum tot Inſulis, quæ pro Septo, aut Vallo Nouæ Hiſpaniæ ſunt: deinde frequentia breuium, vadorum, fluctuũque varietate, qui ibidem cadunt, vulgus eos currẽtes dicit: Denique vno fluctu rapidiſſimo, qui per Sinum Pariæ (vbi os Draconis vocatur) intrans, deinde inter Iucatan & Cubam tranſiens, inter Cubã & Caput floridæ, tam rapide ſe retrorſum vertit,

vt nec expanſis celox velis, eũ vllo pacto ſuperare valeat: hic fluctus, ventorũ varietas, aliaq; maris pericula eos animi dubios reddet, qui portu, quo ſe recipiãt carẽt. Porro Rex Catholicus eo naturæ beneficio vtẽs, ædificauit præclarã Arcẽ in quadã Inſula, Veræ Crucis oppido vicina, in plaga, inquã, Mexicana ſita. Extruxit & aliã munitionẽq; Hauanæ, in Cuba ex aduerſo Floridæ: Tollit illa hoſtibus oportunitatẽ euitãdi fluctũ; hæc facultatẽ eo vtẽdi: ædificauit deniq; Arcẽ validã in Sãcti Dom. oppido, quod tam oportune ſitũ eſt, vt obtinendo eius Maris Imperio factum eſſe videatur. Et vt concludam: Sicut ſitus Italiæ ad Maris Mediterranei dominiũ obtinendum factus, ita & Hiſpaniæ ad Imperium Oceani obtinẽdum videtur. Ipſa deniq; experientia docet, Hiſpanos ſuapte natura varijs climatum, regionumque plagis tolerãdis, magis quam cæteros eſſe idoneos.

DE PHILIPPINIS.

PHilippinæ ad NouãHiſpaniã pertinent, nõ quod inter eius aut Noui Orbis fines cõprehendãtur ſed quod an. 1564. detectæ fuerũt per Michaelẽ Lopeziũ Legaſpe, qui à Ludouico Velaſqueo Nouæ Hiſpaniæ prorege ad detegendũ incognitas regiones miſſus fuit. Dictæ ſũt Philippinę in honorẽ gloriãq; Philippi Regis Hiſpaniarũ, cuius auſpicijs ea expeditio ſuſcepta erat. In illo Oceano qui ſe inter Nouã Hiſpaniã & Taprobanam extendit, eſſe vndecies mille omnis generis & magnitudinis Inſulas creditur. Quãuis autẽ Hiſpani eas omnes nomine Philippinarũ comprehendant, id tamẽ nomen proprie ijs cõuenit, quę Septentrionaliores ſunt: Earum hucuſque plus quã 40. ſibi acquiſiuerunt, cũ vna Myriade hominũ eas inhabitantiũ. Præcipua dicitur Luzon, quæ ducentas leucas quidem longa, ſed admodum ſtricta eſt. Ibidẽ ad os magni fluuij, qui Manila vo-

catur, ædificarunt bonũ oppidum idq; vtrinq; mari flumineq; cingitur: Vbi fluuius in Mare ſe exonerat, fabricarunt Turrim robuſtã ab alia autẽ fluuij parte ciuitatulam quę primum ligno & terra, deinde muro è lapide & calce cingitur. Maiori Inſularũ eſt nomen Vendenao, celebriori Tandaia, quæ, quod primũ detecta fuerit, dicitur Philippina. Inter alias eſt illic Cebu, in qua obijt Magellanus, ambitur vndecim leucis, eſt in decimo gradu latitudinis: hæ & aliæ inſulæ vicinæ abũdant vniuerſaliter venis auri & frugibus. Vẽdenao quoq; Cinamomo, cuius multũ in Nouam Hiſpaniam atq; adeo in ipſam Hiſpaniã importatur. Rex Catholic. mãdauit, vt ex Noua Hiſpania in eas Inſulas boues, vaccæ, equi, equæ ad propagationẽ deferrẽtur: Numerus Hiſpanorũ qui illas regiones cõquiſiuerunt defendũtq; accedit hodie ad mille ſexcentos. Milites qui inter hos, non ſunt plures nõgentis. Aedificarunt Arces in locis opportunis maxime in Luzon, in Pauai, & Cebu, tenẽtque ibidẽ aliquas Triremes & Celoces. In Manila ciuitate habet domiciliũ Epiſcopus cũ 18. viris Eccleſiaſticis, Patribus Ordinis Diui Auguſtini, & Societatis Ieſu, quorũ opera ſtudioq; ad ſacram fidẽ circiter trecẽta hominũ millia conuerſa ſunt. Maxima difficultas quæ in eorũ conuerſione eſt conſiſtit in polygamia, quæ cũctis gẽtibus cõmunis eſt. Sunt hæ ditiones maioris momẽti quã quis exiſtimet. Vltra copiã enim alimentorũ, & auri quod ibidem reperitur, sũt in ſitu percommodo, tum ad ſubiugandũ Inſulas vicinas & conſeruãdũ Moluccas: tum ad introducendã nauigationẽ in illũ Archipelagũ & Nouã Hiſpaniã, Et cõmerciũ inter Chinã & Mexicũ: hæ res magni ponderis ſunt: ſed id quod grauitate rei vincit hæc omnia, eſt, quod inde tãquã freno, cœpta

ſunt cohiberi ſecta,& arma Mahumetana,quæ paulatim ſibi dominium tam Inſularum, quam Oræ Aſiæ parabant. Quin & Caſtellanis,ex Noua Hiſpania Peruuiaq; expeditio quam Arabibus ex ſua ditione facilior eſt. Præterquam enim quod illi viribus ſuperiores iſtis ſint,compertum fuit,nauem bimeſtri ſpacio ex Peruuia ad Philippinas(quæ minus ab Apulcoa & Saliſco,quam Peruuia diſtant) appuliſſe, quo nauis ſemeſtri ex Arabia non pertingat:non ob id modo,quod Arabia à Philippinis longius diſſita ſit quam Peruuia,ſed quod venti communes nauigationi Caſtilianorum(hi enim recta illi curua nauigant linea)fauent impenſius. Conficiunt prçterea Caſtellani inſtitutum iter vno tractu, Mauri autẽ pluribus, mutatur enim eis ad caput Comorinum tempus æſtiuum in hibernum. Idem quoque fere eis accidit Malacæ vbi venti (quos vulgus Monzonos dicit)expectandi ſunt. Quod amplius eſt Caſtiliani ſemper vento ſecundo & in mari tranquillo,quodque inde mare Pacificum dicitur : Arabes autem in Archipelago,in quo varios improuiſoſque ventos experiuntur incidùntque in latrones homineſque facinoroſos,nauigant. Adde ſupradictis,quod ſicuti exiſtimatio Caſtilianorum opitulatur Luſitanis ob vicinitatem,Luſitanorum virtus id Caſtilianis abunde beneficium fœnerat:ac ſi contingat vt hi duo populi coniungantur vnianturque, nihil non in illo mari efficient, quod cum Chinenſes probe norint,proſpiciunt cauentque ſibi, Chriſtianorumque vicinitatem & arma ſuſpecta habent.

(***)

LV-

LVSITANIA.

DIcamus nunc de ditionibus, ad Regem Catholicum propter Coronam Luſitanicam pertinentibus. Hoc regnum, quod 320. milliaribus longum, 60. autem latum eſt, quamvis nec regione, nec terra valde magnum, nec per ſe prouentibus valde diues ſit, in ſitu tamen ad nauigationes commodiſſimo, & faciendis acquiſitionibus opportuniſſimo eſt. Inhabitatur enim à populo tāti animi, vt expeditiones in Barbariam, Aetiopiam, Indiam, Braſiliamque fecerit. Iamque per 90. annos, dominium locorum, & portuum maioris momenti dictarum Prouinciarum, & Patronatum nauigationis Oceani Athlantici, & Eoi ſibi vendicat. Antequam autem pergamus, opus eſt, pauca dicere, de Inſulis Terzeris, quæ etiam coronæ Luſitanicæ ſunt. Hæ Inſulæ propter earum ſitum, adeo oportunæ & neceſſariæ ſunt, vt abſq; eis ipſis nauigatio in Aethiopiam, Indiam, Braſiliam & Nouū Orbem vix fieri poſſit. Claſſes enim quæ ex dictis regionibus veniunt Hiſpalim & Olyſipponem eas vix vitare poſſunt, quin in eas deſcendant: Claſſes Occidentales vt ventos ſequantur: Orientales autem ad comparandum ſibi ventos ſecundos. Celebres non ita pridem factæ ſunt, primum propter obſtinationem incolarum contra Regem Catholicum, iam tum quum Rex Catholicus regni Luſitanici ſucceſſor factus eſt. Denique ob victorias, quas aduerſus claſſes Franciæ & Angliæ Hiſpani circum ipſas ſibi pepeperunt.

DE DITIONIBVS IN AFRICA ET AETHIOPIA.

PRæter Septam & Tanger oppida, quæ Rex Catholicus ratione coronæ Luſitanicæ poſſidet ad Fretum Gaditanum: & Mazaganum extra Fretum, 20. ab Arzilla milliaribus magis Meridiem verſus, Rex Catholicus in Ora Africæ à Capite Aguero, ad illud quod Guardafu dicitur vſque duo ditionum (Status vocant) genera habet: aliqua enim ipſi immediate, alia confæderatis ipſius ſubſunt. Parent eidem Inſulæ Maderæ, Portus Sancti, Capitis viridis, Arguin, Sancti Thomæ, & vicinæ. Hæ dictæ Inſulæ non modo ſe ſua annona ſuſtentant, ſed & inde in Europam mittunt, inprimis Saccarum fructuſque arboreos, quibus maxime, ſicut & vino, abundat Madera. Saccari maximam etiam copiam cóficit Sancti Thomæ Inſula. Hæ ditiones non ab alijs quam à piratis Anglicis & Francicis, qui tamen Caput Viride non tranſeunt infeſtantur. Inſulis vulgo Arguin & S. Georgij Dellamina habent Luſitani duas inſtitorias (quas Fattorias vocãt) eaſque ad exemplum Arcium factas, domos, vnde cum gentibus vicinis Guineæ & Libyæ negociãtur, aurũq; ad ſe ex Mãdinga lociſq; finitimis trahũt. Inter Principes cõfœderatos ditiſſimus honoratiſſimuſq; eſt Rex Cõgo: poſſidet. n. regnũ quod luculẽtũ eſt, aeriſq; tẽperie opaca rerumq; copia cæteris Aethiopiæ plagis antiſtat. Luſitani ibidem duas colonias habent: vnã in S. Saluatoris ciuitate, alteram in Inſula, quam Loandam dicunt. Percipiunt ex hoc regno diuerſas

ſas opes,ſed præcipuæ ſunt plus minus quinq; millium Mancipiorum,quæ illinc quotannis in inſulas & nouum Orbem auehuntur, proque vnoquoque quod euehitur mancipio, penditur amplum vectigal coronæ Luſitanicæ.Ex hoc regno facile ad preſbyterum Iohannem perueniri poſſet: non enim longiſſime illinc abeſſe exiſtimatur.CONGONIS regnum adeo Elephantis,annonæ copia; omnique alia neceſſaria re affluens eſt,vt ei expeditioni ſingularem commoditatem adferre poſſet.Eſt etiam Congo confinis regno Angolæ, cum cuius Principe nūc bellum gerit PaulusDiaz Luſitanorum Capitaneus: Belli vero cauſa primaria ſunt quædam fodinæ argenti,quæ Potoſianis neutiquam cedunt;tanto autem illis meliores ſunt, quanto argentum purum, mixto impuroue prçſtat. Vt autem quod res eſt dicatur Si Luſitani tanti res vicinas , quanti longinquas feciſſent,eaſq; vires, quibus Caput Bonæ Spei ſuperarunt,penetraruntq; in Indiam, Malacam , & Moluccas,contuliſſent in expeditionem Africanā, facilius minorique expenſa maiores ſibi opes paraſſent. Nulla enim in Orbe regio auro argentoque ditior eſt regnis Mandinga,Aethiopia,Congo, Angola,Butua,Teroa,Maticuça,Boro, Quitiqui, Monomotapa,Cafati,Monœmugi.

„Humana ſed enim cupiditas plerumq; rem
„Pluris alienam,quam ſuam ipſius facit,
„Remotiuſq; res videtur diſſita,
„Propiore maior eſſe re.

Inter promontoria Bonæ Spei & Guardafuenſe habent Luſitani arces Ceſalæ & Mozambique:illius opera negociationis regionum circumſtantium (quæ omnes auro eboreque abundant) dominium ſibi

ſibi ſeruant, huius autem beneficio nauigationem Indiam verſus, faciliorem leuioremque ſibi reddunt, propterea, quod ipſorum claſſes interdum ibi hibernant, interdum ſeſe ibidem refocillant. Habent in hac plaga Regem Melindæ, ſibi amiciſſimum, Reges Quiolæ aliarumque vicinarum Inſularum tributarios. Nihil, niſi VIRI Luſitanis deſunt: Præter enim alias Inſulas, quæ quaſi ſe proſtituunt omnibus, eſt hic Inſula S. Laurentij inter maiores, aut maxima totius Orbis cenſenda, longa eſt 1200. lata autem 480. milliaribus. Quamuis autem parum colatur, eſt tamen ob ſuam bonitatem omnis culturæ capax, diſtinxitq; eam natura in flumina, Portus & Sinus commodiſſimos. Hæ coronæ Luſitanicæ ditiones, non alias vires quam maritimas timent, quæ ex Turcis tantum conſtare poſſunt. Sed perpetuus curſus claſſium Luſitanicarum (quæ vltro citroque per illas oras nauigant) eas prorſus ſecuras reddit, ceperuntque Anno 1589. apud Mombazam 4. Triremes, & vnam Nauem longam Turcarum, qui eo vſque penetrare ſuſtinuerant.

DE DITIONIBVS ASIAE.

HAE ditiones in Perſia, Cambaia, India, citeriore & vlteriore ſunt. In Perſia habent Luſitani Armuzium: in Cambaia Inſulam Diu, Damain & Bazain. In India citeriore poſſident Inſulam Caul, inſulam Goam, cum vicinis Arcibus Cochim, Colam, & Inſulā Mauar, Portum Columbo in Inſula Zeilā. Sed caput eſt Goa, vbi Prorex vires Indiæ ſecum trahens, habitat. Armuzium & Goa magni

magni æſtimantur propter dominium Maris & cõmercium Sinuum Perſidis & Cambaiæ: Cochimum & Colamum propter copiam Piperis, quod inde nauibus impoſitum auehitur. Mauar, propter piſcationem Margaritarum, quæ in illo Mari fit: Colombo, propter excellentiam & copiam Cinnamomi, vel Cinnami, quod ex ea inſula exportatur. Damain & Bazain, propter fertilitatem Regionum circumiacentium: quam ob rem Iohannes Tertius Luſitaniç Rex, veteranis prædia in dictis regionibus aſſignauit. Goa maximi momenti eſt propter ſitus oportunitatem, cui terræ vbertas coniuncta eſt. Omnes hæ Indiæ regiones, Goſſipio, palmis (vnde maxima incolarum pars ſe ſuſtentat) Oryza, Pipere, Zinzibere aliiſque fructibus abundant. Habet Rex Catholicus hic adhuc nonnullos Principes amicos, alios Tributarios. Amicorum primus ditiſſimuſque eſt Rex Cochimenſis, qui primum beneficiarius Regis Calecutij fuit, nec admodum potens erat, nunc amicitia & commercio Luſitanorum tantas opes vireſque acquiſiuit, vt & Regibus vicinis ſit inuiſus. Rex Colami quoque eidem amicus eſt. In duobus hiſce locis habet Rex ciuitatulas quãtiuis pretij. Sunt & ibidem nonnulli Principes tributarij.

VIRES.

LVſitanorum in his ditionibus vires duabus in rebus ſitæ ſunt: Vna eſt ſitus locorum & robur: Altera numerus claſſium, & earum præſtantia: ad ſitum quod attinet, Luſitani ſcientes, ſe propter exilem ſuorum numerum, in Mediterraneas regiones, magni momenti expeditionem ſuſcipere non poſſe, nec ſe viribus pares eſſe Perſis, Guzaratis, Principibus Decam, Regi Narſingæ & alijs, in hoc incubuerunt, vt eos ſitus, qui ſibi commodi ideoneiq; videbantur, ad maris negociationiſque dominium ſibi parandum, & in quibus pauci maximis copijs frontem obuertere poſſent, ſibi compararent. Quumque Portuum Pelagique domini ſint, tantas vires maritimas commode coniungere valent, vt nemo ipſis ibidem reſiſtere valeat: Nauigiaque eorum talia, eoque modo inſtructa ſunt, vt nec eorũ vnum, tria, quatuorue alterius generis extimeſcat. Atque, vt aliquid dicatur, ex quo quid ipſi in India poſſint cognoſcatur, Franciſcus Almeida cum 21. paulloue pluribus nauibus fudit Mamaluchos in vicinia Diu oppidi: Alfõſus Alburquercius, cum claſſe 30. magnarũ nauium oppugnauit Calecutium: nauibus 21. cepit Goam: 34. recepit eãdem: 23. cepit Malacã: 26. ingreſſus eſt Mare rubrũ: 22. recepit Armuziũ. Deinde rebus eorũ magis magiſq; inualeſcẽtibus, duxit Lopezius Zuarezius in expeditionem maris rubri 37. naues magnas: Lopezius Sequeira 24. nauibus (ſed maiore quã vnquam antea militum copia) tentauit Gniddam ad mare rubrum: 40. Dium oppidum:

oppidum:Henricus Meneſius 50.nauibus vaſtauit Patane oppidum. Lopezius Vazius Sampaius reliquit in Armamentario 136.nauigia bellica, omni ex parte rebus neceſſarijs probe inſtructa. Nonnius A cugna ſuſcepit expeditionem in Dium 300. nauibus, in quibus erant Luſitanorum tria, Indorum quinq; millia, excepto famulorum armatorum ſatellitio, quos ſecum magno numero ducere ſolẽt. Dominus Conſtantinus Braganza, habuit in expeditione Onorenſi 60. naues veliuolas, nec minorem numerum in ea, quam in Ionefepatan ſuſcepit.

PRINCIPES FI-
NITIMI.

PRæter Principes cõfœderatos & tributarios, ſunt his ditionibus cõfines potẽtiſſimi hoſtes nimirum Perſa, qui in Armuzium (quod ſub clientela eius fuit) ius ſibi vendicat: Rex Cambaiæ, qui DIVM (quæ Inſula illi quondam paruit) aliaque loca quæ ipſius aliquando fuiſſe diximus, repetit: Nizzamaluccus & Idalcamus (ita vocantur à Luſitanis duo potentiſſimi Principes regni Decan) Reges Calecutij & Narſingæ. Sed Reges Perſię & Narſingæ nunquam Luſitanos bello impetiuere, quod eis ſemper cum alijs longe potentioribus hoſtibus res fuerit. Alij quamuis ad recipiendum Dium, Chaulem, Goam aliaque loca, omnes neruos intenderint, nihilq; in eo molimine intentatũ reliquerint, nullam tamen expeditionem alicuiq; momenti ad felicem optatamque cataſtrophen perducere valuerunt: Situs enim locorum, maritimis auxilijs recipiendis commodiſſimi ſunt. Ac quamuis hoſtes

expe-

expeditiones hyeme (vt facultatem auxilij ferendi Luſitanis eriperent) ſuſceperint, nihil tamen profecere: quod nauium Luſitanicarum conditio & apparatus, & foroces Luſitanorū animi quæuis pericula contempſerint; Dum itaque certatim operā dant, obſeſſi vt perdurent, & patienter vincant. Alij vt ſocijs obſeſſis ſuccurrant, omnibus ventorum mariſque periculis ſe exponunt, omnes hoſtium conatus irritos reddiderunt. Nullus autem Luſitanis acrior formidabiliorque hoſtis eſt ipſo Turca; qui ea commoditate fretus vtenſque, quam vrbs Adena ei præbet, ex mari rubro, identidem eos India expellere conatus eſt, ad eam expeditionem modo à Rege Cambaiæ, modo ab ambitione ſollicitatus. Maxima claſſis quam Turca inſtruxerit 64. nauium fuit, quas aduerſus Dium miſit: ſed ea in turpem fugam acta eſt. Miſit deinde aliam claſſem 22. magnarum nauium in expeditionem Armuzianam, quæ claſſis fere tota oppreſſa quaſſataque fuit. In Zeilan nihil præter arcem Colombo Luſitani habent: Rex enim qui eorum Tributarius erat, à Mauro, qui Singapandar dicitur, regno exutus, nunc tanquam exul viuit, ſuſtinetque ſe auxilio, quod ei ſuppeditant Luſitani.

DE INDIA VLTERIORE.

IN India vlteriore habet Luſitanica corona regnum Malacenſe & Inſulas Moluccas. Malaca Metropolis caputque regni eſt, quod ad 270. milliaria patet: ſed ob aeris parum ſalubris intemperiem

à paucis

à paucis inhabitatur, nec ibidem aliud oppidum magni momenti, quam ipſa vrbs Malaca conſpicitur. Hæc ita ſita eſt, vt non tantum omnia commercia, ſed & itinera (quæ per immenſum illum Oceanum à faucibus maris rubri ad Caput Liampo fiunt vſque) coniungat vniatque: Eo quoque importantur opes Continentis, totque illarum Inſularum, vt omnes ſimul copulatæ, amplitudine Europę non cedāt. Malaca quondam multo maior erat: extendebatur enim ſecundum maris plagam ad plus quam tria milliaria: Sed Luſitani, (vt eius defenſio facilior & expeditior eſſet) in Arcem eam redegerunt, quæ ſupra milliaria in circuitu non continet. Duos potentes hoſtes habet, nempe Reges Ior & Achem, quorum ille terra potens eſt, hic mari potentiſſimus, à quibus ipſa obſeſſa fuit, nec ſemel in magnū diſcrimē adducta eſt, ſed auxilio, quod ei ex India venit, ſemper cum ſtrage & ruina hoſtium ſeruata eſt: Tandem Paulus Lima Regem Ior fudit, arcemque ab ipſis in vicinia Malacæ extructam expugnauit, in qua præter alia ſpolia 900. tormenta bellica ærea reperta fuerunt. Hæc ditio magno periculo vel ob potentiam Regis Achem (quæ tota in eius perniciem ſe conuertit) expoſita eſt. Ideoque Rex Catholicus, vt ditionem Malacenſem, à periculo tutam ſeruet, expeditionem Achenſem Matthiæ Alburquercio, (quem ſuperioribus annis cum authoritate ingentique manu in Indiam miſit) commiſiſſe exiſtimatur. Reliquum eſt regnum Malucco, vbi Luſitani, quo ſibi commercium Caryophyllorum, quę in Molucis naſcuntur, & Moſchocaryorum (quę Inſulæ Bandæ peculiares ſunt) ſecurum efficerent, in Inſula Ternate Arcem habebant, quæ auxiliorum inopia his retroactis annis ſe Mahumetanis dedidit

Nihilominus Luſitani qui ſe in Inſulam Tidor receperunt, ibidem mercemoniorum artem in ſe tranferentes remanent.

„ In Orbe, terra qua patet, nulla integro
„ Regio aut ditio eſt, gens cuius è ſit pluribus
„ Conflata nationibus, quæ vel magis
„ Animiſque moribuſque ritibuſque, vel
„ Sermonis inter varietate differat
„ Se: gente ſed qua nulla conſtans ſit minus,
„ Contra, minus ſincera, fida, & candida:
„ Hinc fit vt ibidem nulla pax vnquam, quies
„ Nec vlla, nec ſacri, vel hilum ſit boni.

MAGNVS TVRCA.

TVRCA comprehendit ſuo Imperio pręcipuas partes trium Orbis terræ partium: Habet enim in Europa totam maris Oram, quæ à finibus Epidauri, ad fauces Tanais vſque excurrit: Quidquid inter Budam & Conſtantinopolim, & à Ponto Euxino ad hoc latus Saui vſq; eſt. Eo ſpacio comprehenditur melior Hungariæ pars, tota Boſnia, Seruia, Bulgaria, Macedonia, Epirus, Græcia, Peloponeneſus, Thracia, Archipelagus cum ſuis Inſulis. Tenet in Aſia & Africa id omne quod ab oppido Belis de la Gomera, ad Alexandriam Aegypti: A Bugia ad Guargalam: Ab Alexandria ad ciuitatem Siene: Et ab Heroum ciuitate (quam nunc Suez appellant) ad Suachen vſque eſt. Imperij huius magnitudo, comprehendi poteſt ex amplitudine aliquarum eius partium. Palus Meotis (quæ tota eſt Imperij

Tur-

Turcici)mille Milliaribus in Orbem patet. Pontus Exinus bismille ſeptingentis milliaribus ambitur. Vniuerſum Maris Mediterranei(quod ei ſubditum) littus,cõtinet in circuitu octo milliariorum millia. Aegyptus,quæ tota ſua eſt, qũingentis milliaribus longior æſtimatur. A Tauriſio,iter in ſuo facit Budam vſque,per ter mille & ducenta milliaria. Tantumdem ſpacij eſt à Derbento ad mareCaſpium, Adenam ad Sinum Arabicum vſque. A Balſera, ad Sinum Perſicum. Tremiſenam in Barbaria vſque, paulo minus quam quatuor milliariorum millia numerantur.In Mari nobiliſſimas inſulas Cyprum, Eubæam,Rhodum,Samum,Chium,Lesbum & alias Archipelagi habet.

O P E S.

HOc ſpacio continentur regiones maximę,& annona abundantes.Quæ terra enim frugibus ditior Aegypto,Africa, Syria, Aſia eſt? Quæ opulentior omniq; bono affluentior Hungaria,Græcia,Thracia? In his ditionibus habet Turca quatuor ciuitates maximarum diuitiarum,Conſtantinopolim, Alkayrum, Alepum, Tauriſium.Conſtantinopolis omnes Europæ ciuitates, populi frequentia,ſuperat: æſtimatur enim in ea plus quam ſeptingenta hominum millia eſſe, quod ſi ita eſt, duas fere Pariſiorum Lutetias æquaret. Alepum eſt maxima Syriæ ciuitas,& quaſi cẽtrum, quo mercimonia Aſiæ confluunt.Tauriſium maxima Imperij Perſarum (quibus noſtro æuo erepta eſt) ciuitas, habet plus quam ducenta hominum millia. Alkayrum, inter omnes Africæ vrbes principatum obtinet, non enim vlla alia eſt,

quam non longo interuallo poſt ſe relinquat: tamen alij Cano vrbem ei magnitudine parem faciunt. Alkayrum quaſi horreum non ſolum Aegypti, magnæque partis Africæ; ſed & Indiæ eſt, cuius Theſauri in mare rubrum, deindeque dorſis Camelorum Alkayrum deuecti, diſtribuuntur per regiones, quas mare Mediterraneum alluit. Imperium Turcicum à paruis initijs, in magnitudinem Principibus Chriſtianis extimeſcendam excreuit per arma, quibus noſtræ diſcordiæ ipſis percommodæ, vtileſque fuerunt, anſamque præbuerunt. Artes bellicæ Turcarum fuere, ſemper paratum inſtructumque eſſe ad offendendum, & præueniẽdum hoſtem: Vti in expeditionibus celeritate admirabili: habere vires in promptu, & quaſi ad manum: Vno tempore plura non tentare: Non diu cum aliquo belligerare, ne in armis exercitetur: Non conſumere tempus & pecunias in expeditionibus parui momenti: Non acquirere, quaſi per ſaltum, ſed pedetentim. Multũ quoque profuit, quod Principes maximæ expeditionum parti præfuere. Alijs quoque artibus vſi ſunt Turcæ, quibus trecentorum annorum ſpacio domus Ottomanica ſibi maximorum regnorum dominium parauit, idque ab Anno 1500. ad hoc tempus vſq;, fere duplicauit.

(∴)

RE-

REGIMEN.

OTtomanorum Regimen eſt plane Deſpoticum. Magnus enim Turca adeo abſolute Dominus rerum omnium, intra fines ſui dominij contentarum eſt, vt incolæ ſe ſua mancipia, non ſubditos nuncupent. Nec ſui quiſquam iuris eſt, multoque minus domus, quam inhabitat; aut terræ quam colit, dominus eſt, exceptis aliquibus familijs, in Conſtantinopoli, quibus præmij loco, & priuilegio, id conceſſum, à Mahumete ſecundo fuit. Nec aliquis adeo magnus eſt, vt de vita, non dico de fortunis, aut ſtatu, in quo eſt, ſecurus ſit, niſi quamdiu Magno Domino id gratum eſt. In hoc adeo pleno Dominio, conſeruat ſe Turca duobus medijs: Auferendo nempe ſubditis arma: Deinde ponēdo omnia in manu Apoſtatarum, quos in ipſorum pueritia, tanquam decimas accipit. Hac arte duo bona cōſequitur: Primum eſt, quod Prouincias flore neruoq; virorum ſpoliat: deliguntur enim iuuenes robuſtiores, armiſque aptiores: Alterum, quod his ſeipſum armat, ſecurumque facit: Ianizari enim è gremio parentum, in pueritia erepti, huiuſq; aut illius curæ traditi, prius quam id aduertauit, euadunt Mahumetani, nec amplius patrem aut matrem agnoſcentes dependent prorſus à Magno domino, qui eos paſcit fouetque: Expectant itaque ab eo omnia, illaque acceptum illi ferunt.

(***)

VIRES.

TVrcæ robur conſiſtit in equitatu, peditatu, claſſibus, commeatu, pecunijs. Quod ad pecunias attinet, communi opinione receptum eſt ipſum plus minus octo Milliones aureorum ordinarij reditibus habere. Etſi auté videri poſſit, ipſum ex adeo amplo Imperio multo ampliores Reditus percipere poſſe, id tamen non fit, quod Turcæ nihil aliud in animo habeant, nec alterius rei curam gerant quam armorum, quæ ſua natura ad excindendum deſtruendumq;, quam ad conſeruandum ditandumque Prouincias aptiora ſunt. Turcæ quoque, vt exercitus conſeruent, ſuaſque expeditiones contineant, ita ſpoliant populos, vt vix ipſorum ſuſtentationi neceſſaria eis relinquant: Subditi itaque deſperantes ſe cómoditatibus, multo minus opibus (quas labore induſtriaque ſibi parare poſſent) fruituros, agriculturæ commercioq; vlterius non incumbunt quam eis opus eſt, imo quam ipſa neceſſitas flagitat. Quid enim prodeſſet ſementem facere quam alius meteret? Metere, quod alius abſumpturus eſſet? Itaque in ditionibus domus Ottomanicæ viſuntur ſyluæ immenſæ omnia vbique vaſta, pauciſſimæ ciuitates populo frequentes, potiſſimaque agrorum pars deſerta iacet. In noſtris regionibus ex populi frequentia oritur annonæ caritas, in Turcia autem ex hominum penuria. Maxima ruſticorú pars moritur ducendo commeatum aliaſque res neceſſarias, in itineribus quoque, per quæ tendunt exercitus: In claſſibus etiam, nam ex decem remigú millibus, qui de domo ſua reuelluntur, vt plurimú non reuertitur quarta pars. Pereunt incõmoditatibus

bus, munitionibus aeris, laboribus: Idq; tanto plus accidit quod Turcæ claſſes hyeme ſemper exarmēt: itaq; remiges epibatæq; nunquam mari eiuſq; incommodis aſſueſcunt. Mercatura deinde, omneque fere cōmercium eſt in manibus Iudęorum aut Chriſtianorū Europæ, Epidauriorum; Venetorum, Francorum, Anglorum: In tanta ditione, quantam Turcæ in Europa habent, non eſt alia mercimonijs celebris ciuitas præter Conſtantinopolim, Capham, & Theſſalonicam. In Aſia, quam Alepum, Damaſcus, Tripolis, Adena: In Africa Alkayrum, Alexandria, Algerium. Reditus ſuppeditat agricultura, eadem artificijs materiam præbet. Artificia mercaturam inſtruunt: deficiente autem agricultura, deficiunt omnia. Etſi autem ordinarij Turcæ reditus eo, quod diximus, maiores non ſint, extraordinarij tamen magni faciendi ſunt, præcipue confiſcationes & donatiua. Baſſæ enim alijque miniſtri Turcę exſugunt tāquam harpyæ ſanguinem ſubditorum, accumulantque Theſauros inæſtimabiles, qui, vt plurimum, Fiſco Magni domini cedunt. Exiſtimatur Abrahimum, Baſſam, Alkayro auexiſſe valorem ſex Millionum, multo maiorē ſummam habebat Mahumetes Viſir. Occhiali, præter alias diuitias tria mancipiorum millia poſſidebat. Sultana ſoror Selimi ſecundi, percipiebat quolibet die bis mille & quingentos Zecchinos, incæpitq; ad peregrinorū cōmoditatem Aquæductum ab Alcayro Mecam vſque: Opus profecto immenſum: Magnodomino facile eſt occaſionē arripere vt cuiuis pro libito vitam cū bonis auferat. Donaria ad magnam ſummam accedunt: Nemo enim legatus coram ipſo cōparare poteſt abſq; donis. Nemo aliquod munus, aut dignitatem præcipuam ſperet, niſi pecunia adſit: Nullus à pro-

uincia cui præfuit, aut ab expeditione quam confecit, vacuis manibus in conſpectum tanti Principis venit, nec tam potenti Principi dantur Teruncij. Vaiuodæ Moldauiæ, VValachiæ, Tranſiluaniæ, conſeruant ſe in ſuis Principatibus vi donatiuorum, mutanturque quotidie Vaiuodæ VValachiæ & Moldauiæ: dantur enim Principatus plus offerentibus, qui vt præſtent quod obtulerunt, opprimunt populos, rediguntque ad inopiam Prouincias. Nihilominus vidimus bellum Perſicum exhauſiſſe Turcæ Aerariæ, & eius Theſauros conſumpſiſſe. Annis poſtremo elapſis tum Conſtantinopoli, tum per omne Imperium Turcicum creuit ſupra quam credi poteſt, precium Auri, ita vt Aureus duplo plus quam prius valuerit, materiaque auri argentique adulterata adeo fuit, vt Ianizzaris occaſionem dederit ignem ciuitati Conſtantinopolitanæ inijciendi, pauoremque Magno Domino, non ſolum alijs, incutiendi præbuerit. In vrbe Alepo, mutuum 60. millium aureorum nomine Magni Dominia mercatoribus petitum fuit Quamuis autem Turcæ Reditus non tam magni ſunt, quam amplitudo Imperij & regionum fertilitas exigere videri poſſet, habet tamen in ſua ditione fructum maioris valoris quam ſunt ipſi Reditus, nempe multitudinem Timarrorum, vel Feudorum: vendicant enim ſibi Principes Ottomani agros, quos bello hoſtibus auferunt, prioribusq; dominis talem partem, (exiguam aut nullam) prout ipſis viſum eſt relinquentes, reliquum in Timarra quæ ſunt tanquam Commendæ repatiuntur, aut dant agros bene meritis millitibus dum viuunt, ea lege atq; conditione, vt aliquot equos in belli vſus paratos alant. In eo ſita eſt omnis prudentia Turcarum, & cura quam de conſeruando Imperio habent:

bent:Niſi enim hac ratione militibus, telluris colendæ,propter vtilitatem,quam ex ea ſperant, cura demandaretur,omnia vaſta iacerent:Ipſimet Turcę ſolent dicere,quod vbiMagniDomini equus pedem ponit,ibidem amplius herba nõ creſcat:his Timarris 150.millia equitum parata tenet,qui armis probe inſtructi,eo tendunt quo Princeps iubet, nec ipſe vel Teruncium expendit. Tam magnus equitatus, minoris 14.aureorum Millionibus nutriri non poſſet.Mirandum itaque,quod aliqui Reditus Turcarũ cũ Chriſtianorũ Reditibus cõferentes, tanti mẽbri opum Ottomanicarũ nullam faciant mentionem FerturTurcam,bello quod cum Perſa geſſit,tantum ſibi terræ ſubieciſſe,vt 40.Timarrorum millia in ea erexerit, inſtitueritque nouum Gazophylacium Taurisij,vnde aureorum Millio ad ipſum redit. Inſtitutio Timarrorum & delectus Azomoglanorum (ita vocant iuuenes qui educantur vt fiantIanizzari) ſunt duo præcipua columina imperij Turcici. Vtrumque ad imitationem Romanorum inſtitutum videtur:Romani enim Imperatores vtebantur ſuis ſubditis ad bella,conſtabatque ex ijs exercitus Prætorianus,qui nunquam ab Imperatoris latere diſcedebat.Tacitus docet ſelectionem iuuenum, quæ ad hunc finem fiebat, Batauis rebellandi occaſionem dediſſe.In Imperio Romano dabantur Timarra militibus in Vſumfructum,& in compenſationem bene & fortiter factorum, dicebanturque Beneficia, & qui ijs fruebantur Beneficiarij.Alexander Seuerus conceſſit hæredibus militum, vt ijs beneficijs frui poſſent,ea tamen conditione,vt militarent, alias non. Conſtantinus Magnus, dedit ſuis Capitaneis de ſe bene meritis,hæreditarios agros, qui hactenus vita tenus tantum concedebantur. Feuda in

Francia, ex temporarijs perpetua facta ſunt regnantibus vltimis Regibus Carolo 8. Ludouicis. Dictus equitatus Turcicus, duos effectus valde egregios in Imperio Turcico facit: Vnus eſt quod ſubditos tanquam freno ita coercet, vt non tam cito ſe mouere poſſent, quin hós ſicut tot Falcones, in ceruicibus haberent: ſunt enim in hoc per totum imperium diuiſi. Alius effectus eſt, quod vna eorum pars (dum altera ad continendos retinendosq; in officio populos domi manet) ſēper ad eas quæ occurrunt expeditiones parata eſt. Eſt igitur pro præſidio Imperij ad coercendos tumultus qui oriri poſſent, & pro præcipuo belli neruo. Præter eum equitatum habet Turca penes ſe bonum equitum numerum, quibus ſtipendia pendit, ij in Spachi, Vluſagi, Caripici diuiduntur, ſuntq; tanquam Seminaria miniſtrorum & Præfectorum Imperij: Inde enim ordinarie ſumuntur Baſſæ Beglerbegi. Sangiaci. Præter hos ſunt Alcanzi & auxiliarij Tartari, VValachi, Moldaui. Altera viriū pars eſt peditatus qui in Ianizzaris conſiſtit: in ijs duo conſiderantur, nempe natio & ſpecialis dexteritas in armis. Quod ad nationē attinet ordinariæ non inſcribuntur albo Ianizzarorum ex Aſia oriundi, ſed ex Europa. Habent enim illos pro mollioribus, ſicut ſemper fuere, & magis pronos ad fugiendum, quam ad ſtrenue pugnandum: Europæ populi autem ſemper pro bellatoribus pugnacibusq; habiti fuere. In Oriente Aſiatici milites Turcæ, nomine nationis Turcæ vocantur: Europæi autē dicuntur Rumi, id eſt Romani. Quod ad dexteritatem attinet ſeliguntur pueri, in quibus maiora indicia roboris, agilitatis & audaciæ apparent: Hæ enim tres qualitates in milite requiruntur. Delectus quoque tertio anno fit, niſi neceſſitas eum citius fie

ri vrgeat,ſicut bello Perſico accidit, quo bello,non ſolum frequentior delectus habitus eſt, ſed etiam Azomoglianis Turcicis vſi ſunt,quod nunquam antea fieri ſolitum erat, Quum ij iuuenes Conſtantinopolim adducti ſunt,luſtrantur ab Aga, qui nomẽ iuuenis,quo patre & ex qua patria ſit in tabulas refert.Eorum deinde pars in Aſiam Minorem (nunc Natolia dicitur)& in alias Prouincias mittitur, vbi linguam & legem addiſcendo, imbuuntur vitijs & moribus eorum,cum quibus degunt, euaduntq; id non animaduertẽtes Mahumetani. Alia pars diſtribuitur per Septa(quæ Turcæ Serraglia vocant) quæ Magnus Dominus Conſtantinopoli & Peræ habet: Aſpectu pulchriores meliuſq; cõpoſiti deſtinantur Conſepto Magni Principis. Toto eo tempore quo ij iuuenes Azomogliani vocantur,non habent certum Præfectum,nec occupantur præſcriptis exercitijs, ſed hic operam nauat colendis hortis, ille fabricis, alius ſeruicijs domeſticis ſimilibuſque alijs rebus. Poſt certum tempus reuocantur in Conſepta Azomoglianorum(ita vocantur toto tempore donec albo Ianizzarorum inſcribantur)traduntúrque Præfectis,qui eos operis manuarijs laboribuſque exercent,habenturque ſatis male quo ad victum amictumque: dormiunt in ſpacioſis ædificijs, dormitorijs Religioſorum ſimilibus, in quibus luminaria ardentia cuſtodeſque ſunt,ſine quorum permiſſione ſe loco mouere non debent. Arcu, Sclopetoque ferire diſcũt,cumque in exercitio aliquem habent vſum,adſcribuntur numero Ianizzarorum aut Spachorũ:Illi nõ minus quã quinq;, nec amplius quam octo Aſperos(monetæ genus eſt)percipiũt:hi decẽ. In album Ianizzarorum adſcripti, in bella, aut in præſidia

præſidia eunt, aut manent ad portam: hi vltimi habent pro ſua habitatione tria loca ampliſſima, ſicut monaſteria. Viuunt ibidem ſub ſuis Præfectis claſſis, minoreſque inſeruiunt maioribus in expendendo, coquendo, ſimiliaque miniſteria obeundo cum magna obediētia & ſilentio. Qui vnius claſſis ſunt, viuunt in communi ad vnam menſam, dormiunt in atrijs longiſſimis. Si aliquis per occaſionem abſque venia foris pernoctaſſet, ſequenti veſpera egregie vapulat, tanta cum diſciplina, vt poſteaquam vapulauit ſimiarum more manus ſui Præfecti deoſculetur. Gaudent Ianizzari multis priuilegijs, honorantur quamuis ſint inſolentiores timenturque ab omnibus: In profectionibus aut itineribus deprædantur caſas & domos Chriſtianorum, nec vel verbo contra mutire licet: Dum quid emunt, pretium pro libito rebus dicunt: A nullo quam ab Aga iudicari poſſunt, nec plectuntur extremo ſupplicio citra periculum ſeditionis, ideoque id raro & valde ſecreto fit. Mille Regalia habent: Aliqui ex eorum numero adiunguntur Legatis cuſtodiendis: Alij dantur peregre proficiſcentibus, maxime cum ſunt honeſtæ conditionis. vt ſecuri ſint in ditione Turcica, recipiuntque Ianizzari bonas Strænas: Eorum eſt electio Principis: niſi enim ipſi Magnum dominum approbent aut proclament, creatus eſſe dici non poteſt. Vnuſquiſque Princeps adeptus Imperium dat eis aliquod Donatiuum, augetque ſtipendium. In graui bello egreditur eorum pars cum ipſorum Aga aut ſuo Legato, vltimique omnium confligunt. Apud Turcas Munus cui plures inuideant non eſt quam Agæ: Ipſe & Beglerbegus Græciæ ſoli non eligunt legatos, ſed Magnus Dominus nominat eos. Agæ Ianizzarorum nihil certiori exitio eſſe poteſt

quam

quam eximius Ianizzarorum fauor. Numerus Ianizzarorum eſt à duodecim ad quatuor ſupra decem millia. Hæc militia noſtro tempore multum euiluit, quia etiam Turcæ in Ianizzaros aſſumuntur, ſicut & Aſiatici, quum primum non alij quam Chriſtiani Europæi admitterentur: Deinde quia vxores ducunt, præter antiquum morem, nec id ipſis vetitum eſt: Propter longam moram quam Conſtantinopoli, (qua non alia vrbs magis eſt delicijs dedita) multum viluerunt ſegniores inſolentes, Immo intolerabiles euaſerunt. Dicitur communiter robur Turcicum conſiſtere in hac militia Ianizzarorum: ſed alibi oſtenſum eſt hoc eſſe falſiſſimum. Præter Ianizzaros habet Magnus dominus Azappos peditatum vilem qui plus Ligone quam enſe vtitur, magiſque ad hoſtes multitudine delaſſandos, quam ad eos virtute ſuperandos, conducit, ſolentque Ianizzari Azapporum cadaueribus foſſas implere, ijſque vti pro ſcalis quibus hoſtium muros ſcandunt. Sicut autem Romani habebant milites legionarios & auxiliarios (quorum illi præcipui, nerui ſuæ militiæ, hi autem velut additamen vel auctarium erant) ita & Turca equitatum, quem ſtipendiarium habet, & Timarriottas pro robore exercitus æſtimat: Alcanzos pro accidentali: Ianizzaros tanquam Legionem prætoriam, Azappos, tanquam numerum ducit. Sed tempus eſt vt duo verba de armatura nauali dicamus. Primo non eſt Princeps, qui maiorem opportunitatem habeat inſtruendi claſſes quã Turca, ſyluæ enim Epiri & Ciliciæ, ſed plus alijs Nicomediæ & Trapezuntinæ tam magnæ ac dẽſę ſunt, plenęq; altis arboribus fabricandis omnis generis nauibus aptiſſimis, vt creditu difficile ſit. Imo videntur Triremes quaſi iam fabricatæ ſponte de ſyl-

uis

nis Nicomediæ in Pontum Euxinum cadere. Nec deſunt Fabri ad copiam illam lignorum elaborandam: auaritia enim trahit in ſua Armentaria etiam fabros Chriſtianos, anno ſequenti, poſt illam cladem quam ad Echinadas acceperat, eduxit claſſem, quæ noſtræ occurrere verita non eſt. Nec vnquam Turcæ bonus numerus hominum mari expertorum defuit: Ex Triremibus enim, quas pro cuſtodia in Lesbo, Rhodo, Cypro, Alexandria habet: Et quod ſuis Portibus Tuneti, Bugiæ & Algieræ piratas recipit, poteſt ex ijs dum opus eſt, Capitaneos & robur miniſtrorum nautarum & remigum ſuis claſſibus eligere. Quid prȩſtare poſſit, viſum eſt noſtro tempore in claſſibus quas habuit ad Meliten, ad Echinadas & ad Guletam. Habet præterea apparatuum bellicorum maximam copiam: Tormenta innumera ſunt. Ex Hungaria abduxit quinque tormentorum bellicorum millia: Quingenta eorum acquiſiuit in Cypro: Guletæ paulo minus. Turcis ſũt tormenta adeo immenſæ magnitudinis, vt ſtrepitus, non ictus tantum muros demoliatur: tantum commeatus, pulueris pyrij & globorum habent, quantum ad Meliten oſtenderunt, vbi exploſa ſunt plus quam 60. globorum millia: Famaguſtæ 118. millia: Guletæ 39. dierum ſpacio furore impetuque tormẽtorum demoliti ſunt fortificationes à noſtris 40. annorum ſpacio factas. Vltimo bello Perſico, ducebat Oſmanus generalis Turcarum quingenta tormento campeſtria. Quatiunt mœnia munitionum tot tormentis, continuantque tanto tẽpore tantaq; cum vehementia, vt omnia ſolo æquent. Vbi vim nõ faciunt tormenta vtuntur Bipennibus, vbi hæ locũ non habent, implent foſſas ligone & Battillo: Si nec hoc ſufficit, implent eas cadaueribus ſuorũ mi-

litum

ſitum. Tria habent Turcæ quæ quæ neminem non terrent: Multitudinem hominũ inſuperabilem, diſciplinam militarem imperturbabilem, commeatuũ copiam infinitam. Multitudo ſua natura parere cõfuſionem ſolet, & ordinarie ceſſere magni exercitus paruis. Sed multitudo frequentiaque virorum in exercitibus Turcicis tanto cum ordine graditur, vt & ſolo ordine minorem ſuperet, qui tamen facilius in ordinem diſponi poteſt, quam exercitus immodicus, ita vt & numero & arte vincant Turcæ. Eorum diſciplina militaris adeo probe ordinata eſt, vt ea in re ne Romanis quidem, nedum alijs cedant. Conſiſtit autem eorum diſciplina militaris in pluribus rebus: In parſimonia, ſuſtentant enim ſe modico panis ſub cineribus cocti, & Oryza cum puluere carnis ad ſolem deſiccatæ. Prohibentur vino, ſicut quodam Carthaginenſes: Decem Turcæ habent in caſtris vnum Decurionem, cui ſine refragatione obtemperant: In ipſorum caſtris nec vnam fœminam videre eſt: Eſt ibi ſilentium mirabile. Tot enim milites reguntur ſignis manuum & vultus, citra verba: Ne noctu ſtrepitum faciant, patiuntur aliquando effugere captiuos: In primis puniunt rixas & furta. Quando progrediuntur exercitus, non auderent excurrere in vineas aut agros: Contemnunt mortem, creduntq; eam fato ineuitabili contingere. Strenuos præmia, ignauos certa pœna manet: Nunquam diſponuntur per vrbes, nec ijs conceditur in ijs pernoctare: Vt exercitati ſint milites ſolent Principes Ottomani fere ſemper alicubi belligerari, vt diſciplina militaris non intermittatur. Quum autẽ diſciplina militaris armis apparatuq; bellico deſtituta nihil ſit gigas enim quantumvis ferox, ſed inermis, à puero armato vinci poſſet

Turca

Turca in bella tendit,tanta cum machinarum & inſtrumentorum bellicorum apparatu,eorumq; omnium,quæ eorum tractationi vſuiq; neceſſaria ſunt, vt nullius alterius rei curam habere videatur. Id cognoſcet is,qui ruinas conſiderabit, quas eorum vires fecere,vbi eas explicuerunt.

PRINCIPES FINITIMI.

TVrcæ ad Ortum contermini ſunt Perſis, ſecūdum lineam, quæ imaginarie duci debet à Tauriſio ad Balſaram vſque:Luſitanis ad Sinū Perſicum:Ad Meridiem eiſdem Luſitanis: Ad mare rubrum Presbytero Iohanni: Ad occaſum Seriffo, & regno Neapolitano:ad Septentriones Polonis & Familiæ Auſtriacæ. Cum Perſis belligerando abſq; dubio Magnus Turca ſuperior eſt:Mahumetes enim ſecundus vicit Vſſucaſſanum. Selimus Primus, & deinde Solimanus eius filius in fugam egerunt Iſmaelem & Tamaſum:Amurates Tertius, per ſuos Capitaneos abſtulit Perſis totam Mediam, Armeniam maiorem,& ciuitatem Regiam Tauriſium. Quod præualet cōſiſtit in peditatu,quo Perſa caret: In tormentis bellicis & munitionibus,quorum Perſa nec copiam nec vſum habet. Quamuis autem Perſæ ſtrenuitate equitatus aliquando in aperto cāpo Turcas ſuperauerint:tamen ſemper terra perdiderunt:Solimanus abſtulit eis Meſopotamiam. Amurathes Mediam.Nec Perſæ ſolum damnum paſſi ſunt,amiſeruntque ſua,ſed & eorum ſocij. Selimus Primus ſpoliauit Mamaluchos Aegypto & Syria:

Syria: Amurathes Tertius deſtruxit prope in totum Georgianos confœderatos Sophy. Turca cum Luſitanis belligerando multo inferior eſt: Rationes enim cum ipſis decertandi conſiſtunt in viribus naualibus, quibus Luſitani in tantum Turca ſuperiores ſunt, quantum Oceanus Indicus, Sinu Perſico, & mari rubro maior eſt. Habent Luſitani in India loca & Portus, addam ditiones & dominia, ligno, commeatu, omnique apparatu nautico referta. Nec deſunt eis potentes Princeps auxiliares. E contrario Turca nihil munitum habet in Sinu Perſico præter Balſeram. Ora Arabiæ qua vti poſſet, non habet plus quā quatuor oppida, ſatis infirma, & paruæ æſtimationis: Itaq; hic, ſicut & in mari rubro claſſē armare valde difficile eſt, quod regio, prorſus ligno fabricādis nauibus idoneo, careat. Vnde illis paucis vicibus, quibus claſſes in mari rubro inſtruxit (quum hoc in Sinu Perſico minus facere poſſit) neceſſe habuit materiam fabricandis nauibus ex Portubus Bythiniæ & Ciliciæ per Nilum Alkayrum deuehere, vnde dorſis Camelorum Suez (quę olim Heroum ciuitas dicta fuit) delata eſt, vbi Armamentarium habet. Quoties Turca expeditiones aduerſus Luſitanos ſuſcepit, nihil præter dedecus & damnum retulit, nimirum Anno 1538. ad ciuitatem Dium: Anno 1552. ad inſulam Armuzium: Anno 1580. ad Monbazam, vbi quatuor Triremes & vna Galeotta Turcica, quæ fauore Regis Mombazæ eo in mari manere conſtituerant, captæ fuerunt, Luſitani in id ſumme incumbunt, cauentque, ne Turcæ eo in mari pedem figāt, & quam primum odorati ſunt, Turcas claſſem adornare, mox ipſos aggrediuntur, ideoque ſæpe in mare rubrum abſque reſiſtentia penetrarunt. Presbytero Ioanni in bello præualet Turca, ducibus,

militibus,armis & munitionibus. Ille ſiquidẽ Princeps,habet ditionem abſque munitionibus, & milites abſque armis.Barnagaſſo enim eius Vicarius ad mare rubrum,amiſit vniuerſam Oram maritimam, eoque redactus eſt,vt tributum Turcę pendere promiſerit,vt cum eo pacem haberet. In Africa habet quidem Turca plures regiones,quam Seriffus:occupat enim id omne, quod inter mare rubrum,& Velez de la Gomera oppidum eſt: Sed Seriffus partem meliorem,ditiorem, fortioremque magiſque vnitam habet.Sed nemo ipſorum alteri bellum inferre audet propter Regis Catholici vicinitatem. Reſidui ſunt Principes Chriſtiani, qui Turcis contermini ſunt:Primus eſt Poloniæ Rex : quid hi Principes contra ſe inuicem poſſint, viſum fuit in expeditionibus præteritis: Ab vna parte videtur Turca timere arma Polonica: diuerſis enim occaſionibus prouocatus,nempe regnante Henrico Tertio , bello quod Iuonia Vaiuoda VValachię cum Turcis geſſit, quo bello multi equites Poloni Iuoniæ militarunt, & regnante Sigiſmundo Tertio, excurſionibus Koſacorum,& in motu Iohannis Zamoiſchi (Cancellarij) generalis regni Poloniæ,non vindicauit, nec ſolita ſuperbia vlciſci iniurias conatus eſt. Ab alia parte Poloni poſt expeditionem Regis Ladislai,non ſolum nullam expeditionem aduerſus Turcas ſuſceperunt,ſed nec VValachis,(qui fœdere eis iuncti erant)auxilium tulerunt,ſibique quod ad mare Euxinum habebant,eripi paſſi ſunt:ſed Regum Poloniæ potius,quam nobilium eius regni puſillanimitate id accidit.Sigiſmundus Primus à Leone decimo ad bellum aduerſus Turcas inuitatus, Quid multis opus eſt dixit. Fac Principes Chriſtiani concordes ſint,ego pro mea parte non deero. Sigiſmundus Secundus,

cundus, mente à bello adeo aliena fuit, vt non ſolum Turcas aggreſſus non fuerit, ſed nec à Moſcis irritatus, vindictam ſumere tentarit. Rex Stephanus potentiæ ſuorum vicinorum nō iniquus æſtimator, iudicabat cum Turca manus conſerere, rem eſſe periculoſiſſimā: attamen cum familiaribus ſermones habens, dicebat ſe, cum 30. peditum millibus quos equitatui Polonico iungeret, facile expeditionē in Turcam ſuſcepturum fuiſſe, idque meditari quodammodo videbatur. Principes Auſtriaci longiore terrarum tractu, quam vllus alius Princeps Turcæ contermini ſunt, expenduntque in præſidia arcium (in quibus cum equitum, tum peditum plus quam viginti millia habent) maiorem ſuorum Redituum partem, auxilioque Germanico ſuis viribus coniuncto magis ad defendendum ſua, quam amiſſa recuperandum, imperiumque dilatandum attenti fuerunt. Ferdinandus Auſtriacus, maiore robore quam ſucceſſu, expeditionem Budanam & Poſſegenſem ſuſcepit. Accidit id, non quod eius vires non ſatis firmæ validæque eſſent, ſed quod agilitate dexteritateq; carerent: Id volo, eius Principis exercitus numeroſos, omnibusque rebus probe quidem inſtructos fuiſſe, ſed conſtitiſſe ex Germanis, & Bohemis, gentibus tardis, lentis, parumque idoneis ad reſiſtendum Turcis, qui in factionibus bellicis expediti, dextrique ſunt. Veneti ſunt quoque Turcis mari & terra per multa centena miliaria finitimi: Tuentur ſeipſos aduerſus Turcas magis pacis quam belli artibus, egregie muniēdo ſua loca, fugiēdo pericula & expenſas belli, Commercio, Donarijs: denique, nihil non faciendo, ne ad manus veniatur ſaluis libertate & ſtatu. Dicā quod res eſt. Quamuis eis pecunia cum bellico apparatu ſufficiente ſuppeteret, deſunt

tamen milites & commeatus tanto bello pares. Reliquus eſt Rex Catholicus, inter cuius & Ottomanicas vires, non eſt magnę æſtimationis differenti. Regis Redditus (loquor de ijs quos in Europa habet) excedunt Redditus Turcæ: Accipit enim plus quam 4. Auri Milliones ex ditionibus, quas in Italia & Sicilia habet: Plus quam duos ex Luſitania: Ex Terris Nouis plus minus quam tres Milliones, vnum annū pro altero æſtimando Hæ Accepti partes æquant Redditus Turcæ. Eſt autem illo longe ſuperior ſi ijs iungantur ordinarij Redditus Caſtiliæ, Arragoniæ Belgij: Sed quid reperies (dicet aliquis) quod Timarris opponi poſſit? Primum, quod Redditus Turcicos longe excedunt, ſuntque eis multo maiores Deinde ſubſidia quæ Rex extraordinarie, immo magna ex parte ordinarie (ita enim dici poteſt) percipit à ſuis populis, nempe Cruciata (vt vocant) quæ ipſi, quantum vnius Regni Redditus ſunt, reddit: Subſidia Eccleſiæ, quibus ipſe centum fortes Triremes ſuſtinere poteſt: Cadiua officia, quæ in Hiſpania & Regno Neapolitano multo plus reddũt quam quis credere poſſet: Donaria ordinaria populorum & extrordinaria. Regnum Neapolitanum dat quoquo tertio anno plus minus vno Millione, & ducenta aureorũ millia, quæ ſumma non eſt paruæ conſiderationis, Sicilia, Sardinia, ducatus Mediolanenſis, Caſtilia & aliæ ſuæ ditiones, etiam Nouus Orbis, mittunt ſuis temporibus magnifica donaria. Quid dicemus de Contributionibus? Caſtilia anno elapſo Regi contributionem octo millonum Aureorum quatuor annis perſoluendam conceſſit, quæ ſumma, totius Imperij Turcici cenſum vnius anni æquat. Relinquo numerum Commendarum ordinum Montegiæ, Calatravæ, Alcantaræ, Sancti Iacobi, quæ ipſi, quamuis

uis nihil amplius haberet, ſufficere poſſent. Rex tã-quam dictorum Ordinum magnus Magiſter, media habet ad ſuos miniſtros, famulos, & quos ipſi placet, remunerandos ditandoſque, ac ſi Rex Angliæ ac Poloniæ eſſet. Addo ſupradictis partibus magnũ equitatus numerum, quem ordinarie in ſuis ditiónibus alit: In Hiſpania nempe tria millia. Tantundem Cataphractorum & equitum leuis armaturæ in Belgio: In ducatu Mediolanẽſi 400. Cataphractos, & mille equites leuioris armaturæ: In regno Neapolitano mille & quingentos equites Cataphractos, quod maius robur militiæ Italicæ eſt. Militiæ numerus in Sicilia eſt 1500. equitum. Nec parui fieri debet obligatio, qua Feudatarij, neceſſitate vrgente, ſuis expenſis, defendendo perſonaliter ſeruire tenẽtur: maxime ſi conſideretur magnus Feudatariorum numerus & Tituloſorum Hiſpaniæ, in qua numerantur 23. Duces. 32. Marchiones, 49. Vicecomites, 7. Archiepiſcopi (contribuunt enim hi ſuam quotam, tanquã potentes domini) 33. Epiſcopi: In regno autem Neapolitano ſunt 14. Principes, 25. Duces, 37. Marchiones, 54. Comites, 448. Barones, vt nihil dicatur de Luſitania, Sicilia, Belgio, Sardinia, Mediolano. Prætermitti non debet, quod equitatus, cui Turca Timarra conceſſit, non tam robore quam numero præſtat: Timarra enim & commoditates villarum & prædiorum ipſis conceſſorum, Studiumque ſeipſos ditandi locupletandique fructibus agrorum, ignauiores, viliores, paciſque & otij plus quam belli & turbarum cupidos eos reddit. Aegre ab ædibus auuelluntur, proficiſcunturque in expediones, maiore cum deſiderio domum redeundi, fruendique deliciis hortorum, & fructuum ſuarum poſſeſſionum copia, quam confligendi cum hoſtibus, aut ſe ditandi ipſo-

di ipſorum ſpolijs. Si aliquantulum prędæ armis partæ milites quamuis feroces forteſque ignauos vecordeſque reddit, quid faciet magna poſſeſſio; amœna Villa, diues prædium, vxor liberique domi relicti: Taceo quod equitatus, quem Turca Timarris ſuſtentat, potius populis ſubiugatis tanquam freno coercendis inſtitutus eſt, quam hoſtibus infeſtãdis: Subditi enim Turcæ, vi ſub eius imperio continentur, habent eum odio, deteſtanturque eum ob religionem contrariam & imperium quod in ipſos habet: propter religionem Mauri & Arabes, qui ſectis diuerſis addicti ſunt: Propter religionem & imperium ſimul Chriſtiani, qui plus quam duas tertias partes eius ſubditorum conficiunt. Ob id, illius numeroſi equitatus maior pars, domi maneat neceſſe eſt, nec ſine Status regni periculo domo abduci poteſt. Eſt denique is equitatus tanto regionum ſpacio hac illac diuiſus, vt magno numero, in magnam expeditionem educi non poſſit: Nec diu in ea, longe à domo, perſtare poteſt, quin in miſeriam & calamitatem incidat, ſi aliud auxilium, quam quod ab Timarris habet, non reciperet. Rerum pręteritarum experientia quandam æqualitatem virium horum Principum eſſe docuit: Iactura enim claſſis Catholicæ ad Zerbi inſulam, opponitur fugæ claſſis Turcicæ à Melite inſula: Amiſſio Gulettæ, opponitur expugnationi Pegnoni Velez: Tunetum ſemper cepit is qui voluit. Rex Catholicas nullam notatu dignam expeditionem in Turcam ſuſcepit, ſed defendit ſe ſtrenue ad Meliten & Oranum. Nihil dicã de cladi claſſis Turcicæ ad Echinades, quod ibi alij Principes partem habuerint. Tractatum fuit vtrinque de inducijs pro aliquod annis inter Regem & Turcam. Vterq; adeq; fuit occupatus. Vnus in Perſia, alter

ſia,alter in Belgio,id in cauſa fuit,vt ſe inuicem ex-
peditis viribus non potuerint impetere. Bella (de
quibus diximus)ambobus,propter regionum lon-
ginquitatem,extremæ impenſæ fuerunt, ſed magis
Regi quam Turcæ.Quamuis enim Perſia longe Cō-
ſtantinopoli (vnde maxima virium pars mitteba-
tur)diſtet,eſt tamen contermina Meſopotamiæ &
alijs Turcę ditionibus vnde ſuus exercitus cōmeatu
& pecunijs inſtruebatur:Sed Belgium, ab alijs Re-
gis ditionibus magno ſpacio diſtat.Turcæ, niſi cum
Perſa amicis deſtituto,res fuit,Regi autem vno eo-
demque tempore,cum rebellibus,Francis, Anglis
& Germanis (quæ nationes Perſis potentia infe-
riores non ſunt)confligendum fuit:Nec vn-
quam Turcam aggreſſus eſt,quin aliud
bellum , nunc in Belgio, nunc a-
lia in parte continenter
geſſerit.

IOANNIS BOTERI TRACTATVS DE ORIGINE VNIVERSITATVM ET VRBIVM, EARVMQVE MAGNITVDINE;

alijſq; nonnullis conſimilibus rebus: Appendicis loco ſuperioribus Regnorum Deſcriptionibus adiectus.

De Stvdiosis et Scholis.

PLVRIMOS, præcipue ſtudioſos, in vrbes, quarum magnitudo nobis iã propoſita eſt, adducit celebris & docta ſchola. Duo enim, ſi proprie loqui volumus ſunt adminicula, quibus intelligentes forteſque viri ad faſtigia honorum perueniunt, Libri & Arma. Quorum illi in Academijs chartis & calamo, hæc in aperto campo gladijs & haſtis tractantur

Cum vero humanum genus duobus potiſſimum ducatur, gloria & vtilitate: & vero liberalium artium quædam artes diuitias, quædam nominis exiſtimationem adferant, eſt profecto, vt in vrbe, de qua hic loquimur, ſit Academia talis, quę ſtudioſam iuuentutum certis propoſitis commoditatibus ſui amore

amore vehementius accendat,ita vt potiſſimum eo nomine à pluribus diligatur & ſeligatur,potiuſque hanc quam aliam frequentare ſtudioſa iuuentus malit Academiam.Id autem fit,cum ad ſcholæ & artiũ commoditatem peculiaria quædam & honeſta priuilegia inſuper accedunt. Honeſta ideo dico, ne licentiam dent ſcelus ſcelere impune accumulandi, quod priuilegium turpitudinis dicunt: ſed vt habeant anſam alacriter ſine impedimento ſtudijs inuigilandi.

Etenim magno cum labore omnis ſtudiorum ratio eſt coniuncta & corporis & animi. Hinc veteribus Dea artium ſiue ſapientiæ Minerua dicta eſt, quod animi meditationes & lucubrationes neruos imminuant,adeoque vires corporis incidant.Plerũque autem affecto corpore animus quoq; afficitur & turbatur. Aequum itaque imo neceſſarium eſt, vt ſtudioſis honeſta ſint priuilegia, quibus animus laſſus reficiatur,ſpiritus autem recreati maiore cũ ardore ad ſtudia denuo ferantur.

Non autem,vt ante memini,indulgenda eſt petulantiæ licentia:quæ tamen Academijs Italis vt conceditur,ita exercetur.Ibi calami in pugiones, & atramẽtaria in thecas pulueris bombardici abierũt: Diſputationes in cruentas cœdes, ſcholæ in propugnacula pro lubitu quiduis audendi, academici autem in homicidas mutati ſunt. Irriſui ibi habetur honeſtas,verecundia & caſtitas dedecori: adeo vt ſtudioſus vere ſtudioſi vitam honeſtam nempe & modeſtam victurus nihilo plus efficiat, quam ſi ſeipſum in extrema pericula det præcipitem. Dolendum certe:ſed abrumpo querelas. Illud ſaltem dicam;fieri non poteſt,vt Academia vlla effloreſcat,aut iuſtam laudis maturitatem aſſequatur, niſi

ab alea & armis, nocentiſſima vtraque peſte, radicitus ſit repurgata.

Franciſcus I. rex Galliæ, magno agmine Lutetiæ ſtudioſos confluere deprehendens, magna animi cura eo incubuit, qui ſtudioſis honeſtam pararet recreationem. Deſignatum eſt itaque ingens pratum prope vrbem ad aquam ſitum, vbi eſſet ſolitaria & iucunda à ſtudijs recreatio. Hic ſe exercebant, hic luctando, ille ſaltando; hic curſitando, ille pila ludendo, quibus non tam ſibi, quam alijs, qui ſpectatum aderant, oblectamento fuerunt. His conceſſis ſtrepitus armorum & teſſerarum conticuit.

Porro etiam in loco Academijs deſtinato temperata & ſalutaris ſit aeris conſtitutio, amœnus ſitus, aquis, fontibus ſyluis & campis vndique arridens. Fac enim deeſſe cætera, hæ ſolæ tamen ſtudioſos morantur. His omnibus inſignes olim erant Athenæ & Rhodus: adeoque ſtudiorum ibi vegetiſſimus vigor.

Galeatius Vicecomes primus erat, qui Academiã Patauij celeberrimam redditurus animo ad prædictas amœnitates inprimis adiecto, edicto vetuit, ne quis è ſubditis ſtudiorum gratia alio ſe conferret. Hoc ipſum nonnulli Italiæ principes ſunt ſecuti.

Verum magnam hoc parit diffidentiam & faſtidium. Optime autem vaſalli retinentur, & peregrini inuitantur commoditatibus ad honeſtas animi recreationes, & commeatus abundantia: ſi inſuper priuilegia ſarta tecta conſeruentur, defenſentur, vſurpentur: ſi ad quoſuis ſtudiorum honores aditus pateat: ſi eruditioribus certi ijq; honorifici tribuantur gradus: ſi vitæ bene actæ ſua ſint præmia, ſuus locus, & inprimis ſi copia ſit profeſſorum eruditorum.

rum.Non erubuit Pompeius Magnus ſcholas bene conſtitutas intrare:domita enim Oriente, ſcholam Rhodi,vt profeſſores audiret profitentes,ingreſſus legitur.Sigiſmundus rex Poloniæ grauiſſimis cauſis motus edixit, ne quis vaſallorum ſuorum,extra regnum ſtudiorum gratia vagaretur. Qui ſic ? ais. Ne videlicet dogmate illo,quod ſub rege Sigiſmundo reuixit, & fere omnes ſeptentrionales imbuit, incenderentur.

Cçterum Academias tollere artiũq; ſcholas prohibere,tyrannicum plane ac barbarum eſt. Sunt enim Academiæ & artes lumina & fontes ſapientiæ, à quibus ſplendor & ſapor virtutis in omnes partes Reip.fluunt; ſuntque inſuper Academiæ velut Muſarum orbes , & artes ſidera in illis fixa: at niſi orbes ſuum motum, ſidera ſuam lucem habeant, quæ vita rerum,quæ influẽtia erit? Præterea vt oculi ſunt in corpore,ita Academiæ & artes ſunt in ciuitate;atq; vt oculi omnia membra corporis , ita academiæ omnes Reip.partes illuſtrant. Quinetiam contra ius naturæ at rationis eſt, Academias tollere,natura enim confuſionem,ratio ignorantiam fugit,quæ tamen duo ſublatis Academijs artiumque ſcholis ſequuntur neceſſario. Quæ enim cognitio rerum ſine arte,quis ordo ſine toga,quæ adminiſtratio ciuitatis ſine doctrina & ſapientia eſſe poteſt? Porro,quid magis licentiam morum , perturbationem rerum,barbaritatem plebis,tyrannidem principis gignit,quam bonarum literarum naufragium & caſus?Sic truculenti olim carnifices Athenas(faſtum totius Græciæ,ſydera & lumen)penitus extinxerunt. Sic Iulianus funeſtus apoſtata Chriſtianorum gymnaſia ſuſtulit,artiumque profeſſoribus ſilẽtium iuſſit.Sic in Hungaria alijſque eximijs mũdi

par-

partibus(quas Mahometes vicit) Academiæ,ſcholæ & artes immanitate oppreſſæ iacent. Norunt enim crudelitatis monſtra,Palladem & tyrannidem,amorem artis & Martis furorem,ſapientiæ lumen & ignorantiam,ſtudium virtutis & odium ciuitatis ſimul cohabitare non poſſe. Multa hic alia ſe offerunt argumenta,quibus probetur hæc cauſa, ſed infinitū eſſet omnia,quæ velim , de re tanta ſcribere, pauca tamen hæc addam,ſi non ſim moleſtus,nempe à tempore,à teſtimonio,ab exemplo. Cōſtat enim omnes ſcientias poſt diluuium columnis lapideis inſculptas poſteris apparuiſſe;conſtat Deum ſolem, lunā, aliaque cæli lumina,dediſſe in ſigna temporum,probabile ergo eſt primam ætatem honoraſſe Aſtronomiam; conſtat Tubalem Adami filium inueniſſe Muſicam;conſtat Chaldæos in omni arte fuiſſe inſtructiſſimos. Nihil hic dicam de Moyſe alijſq; gubernatoribus filiorum Iſrael,qui omni ſciētia Chaldæorum ac Aegyptiorum fuerunt imbuti: nihil hic de Samuele cæteriſque Prophetis,qui Rama Gilead ſua collegia & Academiam habuerunt. Nihil hic de Pau lo,qui diſputando ſæpe in ſchola cuiuſdam Philoſophi nomine Tyranni,adeoq; Athenis non contemſiſſe ſed approbaſſe venerabile nomen Academiæ videtur. Nihil de Conſtantino,Theodoſio alijſque vere auguſtis imperatoribus,qui ſcholas, collegia,Academias magnifice extruendo , Eccleſiam Christi plurimum propagarunt ; omneſque adeo ætates hominum Acedemias & artes approbarunt. Cæterum rationes à teſtimonio & exemplis tacitus hic nunc prætereo,nam adhuc hodie vbique florent Academiæ, viuunt doctiſſimorum hominū ingenia,monumenta maiorum palam & aperte hāc rem loquuntur,plenæ hiſtoriæ , annales pleni ſunt

illorum laudibus,quas malitia nulla delebit, ætas nulla conticeſcet.Sed breuitati ſtudeo,aliter potuiſſem hic quidem vrgere, quod nihil magis barbaritatem,vim,perfidiam,licentiã vitæ,hæreſim,atheiſmum & confuſionem omnium parit, quam ſcholarum & Academiarum defectio.Si ergo iuſti, ſi pij ac religioſi velint eſſe principes,non tollere ſed fouere,non euertere ſed conſeruare debent Academias,in quibus ſplẽdor regis,honor ciuitatis, amor virtutis,omnium bonorum ſapor ac influentia ineſt: pernicioſa ergo vox iſta eſt & plane tyrannica: Tollantur ſcholæ,tollantur Academiæ Imo oraculum hoc ſit:Viuant ſcholæ,viuant Athenæ, artes ac ſcientiæ,quæ ſunt radij diuinę ſapientię,ad gloriam beatæ triadis in ſempiternum viuant. Pius eſt, qui aſſentitur,improbus,qui Amen non acclamat.

DE LOCO TRIBVNALIS.

OMNIS vitæ noſtrę,famæ ac fontunarum ſalus in arbitrio iudicis ſita eſt. Cum enim dilectio in hominũ animis vbiq; deferbuerit inque eius locum malitia ac proteruia fere ſucceſſerit,male ſane nobiſcum ageretur, niſi ſpem in æquanimitate iudicis repoſitam haberemus.Hinc vrbes in quibus grauiſſimi,prudentiſſimi ac iuſtiſſimi ſenes tribunali inſident, qui ad ſedem ſine pompa, ad cauſam ſine fraude, ad ſententiam ſine motu, & ardore animi accedunt, plus & frequentantur & inhabitantur non tam frequentia litigantium,quam etiam eorum,qui clauum imperij tenent, quo referuntur prę ſides,conſiliarij,aduocati,procuratores, ſoli-

ſolicitatores, Notarij. Memorabile autem eſt, non quidem ad imitationem ſed ad execrationem, quod ſola præſens pecunia proceſſum iuris hodie, proh dolor, expedite abſoluit: nihilque adeo in toto terrarum orbe inuenias, quod ad incitatiorem curſum concitet, quam argentum currens. Non tam ad ſe ferrum Magnes attrahit, quam aurum oculos iudicum inflectit. Cuius hæc cenſetur ratio, quoniam aurum ratione valoris atque facilitatis acquirendi, dignitates & commoditates omneſque fortunas in ſe complectitur. Summatim: Qui ære abundat (ne quid grauius dicam) omnia mundana poſſidet.

Hinc ſumma illa tribunalia, quæ primitus quidem ad hoc ſunt conſtituta, vt caſus quidã reſeruati tam criminalium quam ciuilium earumque grauiorum cauſarum inibi decidantur; id quod etiam Dominus ad Moyſen loquitur Exod cap.18. Prouideas, inquiens, de plebe viros prudentes & timentes Dominum, in quibus eſt veritas, & qui oderunt auaritiam, & cõſtitue ex eis tribunal & centuriones &c. quicquid autem maius fuerit, referent ad te, & minora iudicabunt. Tum vero etiam, vt ad hæc tanquã aſyla, à corruptis, indoctis maleque affectis iudicibus confugiatur, vt ibi corruptæ aliorum iudicum ſententiæ aut reuocentur, aut moderatione quapiã leniantur. Sed & hæc hodie vbique fere priuata cõmoda redolent.

Vbique fere locorum hæc ita obſeruantur, potiſſimum, vbi cauſæ forenſes ex iure communi deciduntur: hic enim proceſſus longius extenditur pluresque miniſtros requirit. In Anglia, Scotia, præcipue autem in Turcia, vbi admodum breuis & ſtricta eſt iuris via, ac iudex in vno tanquam veſtigio inſi-

ſtens,

ſtens,ſuper lite deducta ſententiam profert,parum proficitur ad amplificandam vrbem. Cauſæ enim, quantumuis arduæ & ſublimes, intra dimidium diem,modo adſint probati & ſufficientes teſtes,abſoluuntur,præciduntur ibi longiores termini: nihil valent inſtrumenta, nihil proceſſus,nihil præfecti. Pauca admodum ſuſcipiuntur,quę non quamprimũ finiantur;Breuius hic adhibetur tempus, minores ſumtus,pauciores Iureconſulti,quam in iure ciuili Romanorum.Hæc vero non eo à me dicuntur,quod velim iudicia differenda, terminoſq; dilatandos. Qui enim longiores quærunt exceptiones dilatorias,vbique prætendentes periculum, ne videlicet cui iniuria adferatur, non poſſunt quin ſint iniqui. Noſtra itaque vrbs, de qua in præſenti loquimur, ſummum tribunal,& pro eo actiones iuris & iuſtitiæ executionem,requirit.

De Ervditione.

Svpra lib. 8. vbi ſermo erat de amplificandis ditionibus, prolixe egimus de artibus & eruditione humana, de varijs commercijs & negotijs, quæ in ciuitatibus ac regnis vigent: Eo itaq; beneuolus lector breuitatis ſtudio eſto remiſſus.

(*.*)

DE PRIVILEGIIS.

HAC noſtra tempeſtate ſubditi à principibus auaritiæ immerſis, aut alia neceſſitate vrgẽte, adacti ita premuntur, vt vel minimam ſpem qualiſcunque immunitatis ambabus, quod aiunt, amplexari gaudeant. Videre hoc eſt ex mercatibus & nundinis, quas cateruatim mercatores, inſtitores propolæ &c. frequentant, ſolum eo, quod oneribus carent. Inſpiciantur hodierna Neapolis incremẽta & ædificijs & populo: vnde vero illa tãta tãq; egregia? ex ſolis priuilegijs, quib. ciues gaudẽt. Quid quod maioribus finibus amplificata eſſet, niſi peculiaribus rationibus, potiſſimum quod viciniæ incolis deſtituerẽtur magna cũ principum querela, rex Hiſpaniæ graui edicto vetuiſſet, ne quis nouas ædes ibi extrueret.

Ciuitates Flandriæ commercijs celeberrimæ in tota Europa fuerunt: ratio præcipua ſita eſt in priuilegijs & immunitatibus à vectigalibus, perexiguum enim vectigal de commercijs pendunt.

Non infrequens fuit ijs, qui vrbes aut extruxerunt, aut inhabitandas dederunt, præclaris priuilegijs eas, aut minimum primos incolas donare. Secuti hoc ſunt, qui vrbes vacuas, aut peſte exhauſtas, aut Marte vaſtatas alioue Dei flagello exinanitas reſtaurarunt. Peſtis quæ teſte Bocatio, in Italia ad triennium graſſata eſt, adeo ſæuijt, vt à Martio vſq; ad Iulium Florentię circiter centum millia è medio ſublata peremerit: Venetijs tot ceciderant, vt vrbs fere deſolata ſtaret. Vnde effectum eſt, vt ſenatus

neceſ-

neceſſum haberet nouos incolas adſciſcere: quos publico Senatuſconſulto iure ciuitatis omnes donabat,qui cum familia eo migrarent, bienniumque ibi commorarentur. Porro eadem Venetiana Reſpublica aliquoties ab extremis periculis famis ac inopiæ vindicata eſt,dum eos,qui frumenta aduehebant, priuilegijs donabant.

CERTA COMMERCIA SVNT TRActanda, neque temere abijcienda.

POPVLOSISSIMAM vrbem reddunt certa commercia, & eorundem diligens ſtudium: id quod maxime florere poteſt, cum patrium ſolum illas merces aut omnes,aut maximam partē, aut ſane potiſſimas gignit, aut cum nullibi copioſior aut præſtantior inueniri poteſt. Sic ſola inſula Molucca profert caryophyllum,Sabæa thus, Palæſtina balſamum. Plurimum piper fert Calecutia: Zeilan cynamonum; atque alia alibi. Præſtantiſſimum ſal generatur in Cypro, ſaccarum in Madera, lana in quibuſdám ciuitatibus Hiſpaniæ & Angliæ. Huc accedit pręſtātia artium, quarum exercitationes aut ratione aquarum, aut ſtudij in ijs collocati, aut reconditæ & abſtruſæ ſcientiæ quam ſoli incolæ callent, hic quam illic vt frequentiores ſunt ſic meliores. Sic optima arma ſuppeditat Damaſcus & Scyras:elaboratiſſima aulæa Arazzus:holoſericum Genua;aureas texuras Mediolanum,& ſi quæ ſunt alibi alia elaboratiora.

Non hic ſicco, quod aiunt,pede prætereundum, commercia,mechanicas, arteſque fere omnes om-

nium optime in China florere: idque multis de cauſis,quarum hæ apprime notandæ.Moræ receptũ eſt apud Sinaitas,vt filij eaſdem artes, quas parens, addiſcant & profiteantur.Hinc quaſi cum lacte materno paternas artes & commercia imbibunt: non eſt quod parens eos celet,quin paterna affectione inſtruit,informat,nulli neque diligentiæ neque labori parcens. Hinc omnes artes artiumque opera tantam aſſequuntur perfectionem,vt nihil quod in ijs deſideretur,inuenire liceat. Probant hoc labores,qui è China in inſulas Philippinas,& hinc Mexicum,tandem vero Seuiliam aduehuntur.Sed procedamus.

Sunt enim nonnullæ vrbes,in quarum poteſtate certæ merces verſantur: non quidem quod ſua ipſorum tellus illas effundat,aut ab incolis elaborentur:ſed quod dominantur aut finitimis locis ac regionibus vt,Seuilia, quo immenſæ opes ex noua Hiſpania & Peru aduehuntur,aut mari,vt Liſabona, qua nemo præteruehi poteſt niſi Liſabonenſium ſaluo conductu & venia.Hac ratione piper Cocinẽſe & cynamomum Zeylanenſe aliasque opes Indicas ſibi vindicarunt.Eodem modo ante annos nonaginta Venetiani aromatum commercia fere prorſus ad ſe pertraxerunt.Hæc enim(antequam Indiam occuparent Portugalenſes) trans mare Suezam & hinc camelis Cayrum Niloque Alexandriam aſportabantur. Eo ſuas triremes Venetiani amandabant aduecta aromata coemtum, quæ deinde non ſine maximo lucro Europæis paſſim vendebant.

Verum illa commercia hodie plane in Liſabonenſes deriuata ſunt.Eo quotannis (in Liſabonam nempe)noua via nuper adinuenta ingreſſi Portugalenſes

lenſes aromata, Turcis & Aethiopibus quaſi ademta, diuendunt Hiſpanis, Anglis, omnibuſque ſeptentrionalibus. Tam autem fructuoſum hoc eſt cõmercium, ſolũ vt ſufficeret ditandæ Portugalliæ.

Sunt & aliæ vrbes, quæ omnes fere negotiationes, pluribus nationibus perutiles ad ſe pertrahũt, vnde pro emporijs vulgo habentur. Tales ſunt in oriente Malacca & Ormus: in mari mediterraneo Alexandria, Cõſtantinopolis, Meſſina, Genua: in mari ſeptentrionali Antuerpia, Amſterodamum, Dantiſcum, Nerua: in Germania Francofortum ad Mœnum, & Norimberga. In his alijſque pluribus multi opulentiſſimi mercatores ſua commercia exercent emporia conſtituunt: quo finitimi de inde ſe conferunt, non tam quod ibi cuncta venalia proſtent, ſed quòd vectura commoda habeatur. Eiuſmodi occaſiones habentur, vbi magni ſunt portus, vbi flumina nauigabilia aut vrbem perfluunt aut præterfluunt: vbi ſtagna ſunt, alueiq; alio translati: vbi viæ & planæ & tutæ. Quoniam vero hic mentio incidit viarum publicarum, non poſſum præterire duas illas vias, quas reges Cuſci, (ſuo idiomate Inghe vocant,) per ſuam ditionem decuſſatim patefecerunt. Protenduntur ad duo millia milliaria parua, amœnitate ſua, commoditate, planitie tam inſignes, vt nihil vijs Romanorũ in hiſtorijs celebratis concedant. Videas ibi montes, vti & valles, planitiem olim impedientes nunc æquatos, altiora ſaxa petraſque diſcuſſas. Videas ibi arbores vtrinque tanquam ad amuſſim ſitas, magna cum oblectamento eorum, qui iter illac faciunt. Vmbra earum dulciſque auium concentus viatores mire afficit. Videas ibi plurima diuerſoria in quibus pro hoſpitantibus beneuola & parata non de-

ſunt palatia, lautaque ædificia, quæ decore ſuo omnes in admirationem conuertunt. Videas ibi amœniſſima oppida, vicos, ſuauiſſima tempe, aliaque infinita, quæ varijs colorum pigmentis oculos gratiſſime paſcũt, ac naturæ varietate artisq; additamẽtis incredibili iucunditate animum ſpectatoris afficiunt & perfundunt.

Cæterum maximum in eo ſitum eſt momentum, vt princeps regionis ſuæ ingenium, ſitum & naturã teneat: ſic enim naturæ iniquitatem commodius tollet. Sic boni principis eſt, vt exemplis declarem, portus munire, vallis aggeribuſque obfirmare, cõmoditates mercium exportandarum & importandarum parare, mare à piratis repurgare flumina nauigabilia reddere, commoda & apta emporia extruere, vias munire tam eas, quæ ad montes, quam quæ per campi planiciem vergunt.

Ex hoc magnam laudem Sinaitarum reges captarunt. Incredibili enim ſumtu regni ſui vias lapidibus ſtruunt, maximoſquẽ fluuios pontibus coniungunt, deditiores montes & ſaxa perfringũnt, planinitiemque lapidibus inſtruunt: quo ipſo tam æſtate quam hyeme equiti iuxta ac pediti facilimum præbent tranſitum.

Hoc in genere grauiſſime quidam Italiæ principes errant, quorum viæ adeo inæquales & iniquæ ſunt, vt profunditate luti non raro equi & carri impediti immergantur. Hinc mercimonia difficillime eo transferuntur, & viatores intra triduum minus viæ ſpatium quam alibi vno die conficiunt. Idem videmus in Gallia multis in locis, ad Auguſtoritũ præcipue, in Xantogia, in Beauſſia, in Burgundia & alibi. Sed ſufficiant hæc: non enim eſt noſtri inſtituti de celeberrimis illis regionibus iudicium ferre.

De Iurisdictionis Loco.

Insuper etiam populoſa vrbs efficitur ſuprema iuriſdictione: hæc enim homines loco illi quaſi adſtrictos raro diſcedere ſinit: hanc magnus litigantium concurſus appetit, vnde ciuitas facile ciuibus abundare poteſt. In vrbibus, vbi ſumma eſt iuriſdictio, peculiaribus rationibus, tam publicæ quam priuatæ opes coguntur. Ibi conueniunt principum, ducum, ciuitatum & Rerumpub. legati: ibi cauſæ grauiſſimæ diſceptantur & finiuntur: eo diriguntur appellationes: ibi negocia tam publica quam priuata tranſiguntur: eo ditionis prouentus conferuntur, & neceſſitate vrgente expenduntur, opulentioreſq; exterarum vrbium ciues amicitias & ſedes ibi quærunt.

Hinc non poteſt non ſequi pecuniarum abundantia: quæ per ſe tanquam ineſcat, mercatores, negotiatores, alioſque quos ex locis longe diſtantibus allectat. Exinde ciuitates pro ratione iuriſdictionis indies ædificijs, multitudine ciuium, opibus &c. ſplendidiores exurgunt.

Horum veritatem arguunt omnes vrbes, in quibus celebris fuit iuriſdictio, Piſa, Sena, Genua, Luca, Florentia, Breſcia: quarum ditiones centum longæ, & 40. milliaria latæ ſinu ſuo complectuntur & coercent non tantum fertiliſſimos agros, ſed etiam vberrimos valles, multas vrbes, caſtella, infinitaq; loca, vbi circiter millia ædificia intueri licet, ſummatim vero ſexcẽta millia hominum affatim alũt.

His annumerari poſſunt multæ liberæ imperiales vrbes Germaniæ, Norimberga, Lubeca, Auguſta Vindelicorum.

Gandaui in Flandria, magno illo vexillo aliquando erecto, circiter ceutum millia bellicoſorum numerata fuerunt.

Nihil iam dicã de Sparta, Carthagine, Roma, Venetijs, quarum incrementa vbique pro ratione iuriſdictiones conſpicua fuerunt. Carthago, vt cæteras omittam, in ſummo potentiæ gradu conſtituta ambitu ſuo 24. parua milliaria continuit, Roma 50. præter ſuburbia, quæ tantæ fuerunt magnitudinis, vt vna parte ad Hoſtiam, altera ad Otricolim porrigerentnr. Sed dilabamur ad alia, quæ de principis ſede agunt.

De Nobilivm Sede Et habitationibus.

PLeræque Italiæ vrbes auguſtiores & maiores ſunt vrbibus Galliæ aut reliquæ Europæ, idque quoniam nobiles Italię, vrbes inhabitant, Galli autem ſuis caſtellis, quæ ad inſtar palatiorum exædificata aquis & muris circundata editioribusque turrib. ita obfirmata ſunt, vt facile improuiſam hoſtium irruptionem & ſuſtinere & arcere queant.

Etſi vero nobiles quoque Italiæ, pagos incolant, potiſſimum iuxta Florentiam, Venetias & Genuam, vbi tam ſplendida ac magnifica viſuntur ædificia, vt etiam regnis, nedum ciuitatibus aut oppidis maximum ſint allatura ornamentum, Gallia tamen ſumtuoſioribus, auguſtioribus & frequentioribus nitet. Italus enim & ſumtum & induſtriam bipartitus, & vrbibus & pagis delectatur, plus tamen vrbibus.

bibus. At Gallus vrbana ſorte ſpreta, rure magis delectatur, facile cõtentus quacunq; ſorte, modo ſibi ædes & hoſpitia ſua ſalua conſtent. Experientia autem ſatis ſuperque docet, vrbes à nobilibus inhabitatas fieri & ſplendidiores & populoſiores: nõ tam quod ipſimet ſua familia incolarum numerum adaugent, quam quod in conferenda liberalitate, quã in conſpectu aliorum nobiliũ exercent, dum alter vbiq; alteri in expendendo ſuperior videri cupit, ſunt largiores; quo fit vt multi, qui emolumentũ aut beneficiũ quoduis ab ipſis ſperant, gratiam ac beneuolentiam eorũ modis omnibus cõciliare nitantur. Cum contra nobiles ij, qui in rure victitantes, quibus cum magnificis eiuſmodi largitionibus decertent, aut quorũ admirationem aucupentur, non habeant, quin ſordidulo etiam ac lacero veſtitu inter ruſticos incedere quandoque minime morantur.

Cæterum & hoc addendum, quod vrbes, quo à pluribus inhabitantur nobilibus vires, eo ſplendidioribus atq; amplioribus nobilitantur ædificijs: quin etiam omnis generis artes & mechanicæ magis tum florent, ſemper ad ſuperiorem perfectionẽ aſpirantes. Atque hanc ob cauſam Ingha, id eſt, rex Peruanus regiam vrbem Cuſco amplificaturus puplico edicto non tantum omnes nobiles in vrbem coegit, ſed etiam vt quiuis ſibi pararet palatium, quod inhabitaret, mandauit. Quod quidem anſam præbuit, vt dum quiſque deinceps magnificentia ac ſplendore ædificij eminere ſtuderet, breui tempore vrbs ædificijs fere regijs conſpicua eniteret. Secuti ſunt eum in hoc nonnulli duces Lombardiæ. Tigranes rex Armeniæ poſita maxima vrbe Tigranocerta, plurimos nobiles alioſq; auctoritate & opib. inſignes lares ſuos eo tráſferre coegit: quid

quid quod bona omnia quæ in vrbem non illata ab ipſis eſſent,confiſcata eſſe voluit?

Sic Venetiæ ex paruis incunabulis ad tanta potẽtiæ & rerum faſtigia peruenerunt. Qui enim ex finitimis locis confugiendo in paruam inſulam, vbi admiranda ſtructura iam ſitæ ſunt Venetiæ,ſe receperunt,omnes & nobiles & opulenti fuerunt omniaque ſua bona eo comportarunt. Quorum beneficio poſtea per maris opportunitates rei nauticæ ſtudioſiores varijs negotiationibus admodum exiguo ſpatio continentes inſulas ad ſe pertraxerunt: ſitumq; Venetiarum ſuis diuitijs & theſauris adeo ampliarunt,vt nunc totius terrarum orbis animum in ſummam ſui admirationem rapiant.

DE SEDE PRINCIPIS.

CVM neceſſe ſit,vt in quauis regione vrbs vna cęteris ſit illuſtrior & excellentior,ad quam tanquam ad vnum emportorium & theatrum honoris cauſa tota regio fluat;quæ quidem vrbs totius regionis veluti cor & centrum eſſe debet , à quo reliquæ partes ad membra vitam & lumen habeant;ſi huius ornatum ſpectes,auguſtiſſima; ſi mœnia,fortiſſima;ſi vtilitatem , rerum omnium varietate refertiſſima ; ſi ciuium numerum , ordinem, ſplẽdorem,omnium populoſiſſima,iuſtiſſima,magnificentiſſimaque eſſe debet.Hanc ipſam principis ſedem eſſe conuenit,ad cuius maieſtatem & honorem excelſa palatia,honorifica tribunalia, altiſſimæ turres,munitiſſima caſtella, populi magna frequẽtia, aliaque pene infinita requiruntur. Non capit

Augu-

Auguſtum Mantua, Roma capit. Imo abſurdum eſt & penitus indecorum, vt nobiles ſub ceſpite & fumoſo tugurio viuerent: locus enim vt homo ſuam maieſtatem habet. Sic Roma in Italia, Lutetia in Gallia, Londinum in Anglia, in omni denique regione ac gente vnam primariam vrbem inuenies, in qua Regia ſolis (vt ita loquar) ſplendet. Vrbs ergo neceſſario requiritur, in qua princeps, proceres, iudices hiſque obedientes ciues vna viuat, & ad quã tanquam ad aſylum iuſtitiæ, reliquæ omnes regionis partes vrgente neceſſitate veniant, in qua controuerſiæ decidantur, in qua principum, procerum ac dynaſtarum conuentus habeantur, in qua exteri legati audiantur, in qua functiones, munera atque honores petantur, in qua denique omnium totius regionis oppidorum prouentus tanquam in theſaurario ad vſus publicos æque ac priuatos, prout fert neceſſitas, aſſeruentur & recondantur, quibus ſane rebus vrbes mirifice excreſcũt atq; augentur.

Aſſerit hoc vrbs quæque celeberrima. Reges Aegypti, regni vetuſtiſſimi, partim Thebis, partim Memphi degerunt: vnde vtraque ciuitas mirifice eſt exculta. Vrbs enim Thebę (quam poetarum more Homerus Ekatumpulon, id eſt, centiportam vocat) ambitu ſuo 17. milliaria parua continebat, ſi Diodoro credimus, & publicis & priuatis ædificijs excultiſſima, ſatiſq; populoſa. Hanc æquauit Memphis. Succedentibus regibus (qui Ptolomæi dicebantur) aula mutata ſedem præbuit Alexandria: quæ exinde populo, ædificijs, opibus venerandaque auctoritate in immenſum excreuit. Duæ autem prædictæ vrbes (regnum primo obtinentibus Chaldæis poſtmodũ vero Perſis) priſtino decore amiſſo fere ſunt deuaſtatæ.

Sultani reprobata Alexandria Cayri conſederunt: quod ex ſubito incremento Magnum cognominatur. Id quod anſam Sultanis præbuit, vt metuentes multitudinis factiones vndique vrbem latis & profundis foſſis diſtinguerent: adeo vt non tam figuram vnius vrbis quam multarum inuicem adiacentium repræſentaret. Hodie in tres vrbes diſtincta eſt, parúo milliari à ſe inuicem diſtantes, quarũ nomina ſunt: Bulacco, Cayrum vetus, & Cayrum nouum. Fama eſt, ſedecim ibi, aut vt placet Arioſto, octodecim vicorum millia contineri, quos noctu ferreis portis obſtruunt. Incolarum non poteſt iniri numerus; plerique enim ſub terra degunt tam anguſtis receptaculis aut ſpelæis potius, vt alter alteri inſidere videatur.

Peſtis nunquam ibi ceſſat, ſeptimo quoq; anno vehementer graſſans, qua niſi ad minimum trecẽta millia abſumantur, vix peſtem aut luem appellare dignantur; tolerabilemque aeris conſtitutionem Sultani æſtimant, ſi graſſante peſte mille duntaxat peſte abſumti efferantur. Atque hæc de Cayro dicta ſatis ſunto, quippe quod capacitate ſua omnibus innotuit.

Aula regum Aſſyriorum fuit Niniue: cuius ambitus continebat 480. ſtadia, quæ collecta faciunt ſexaginta milliaria Italica; longitudo vero ad centum quinquaginta ſtadia protendebatur, vt ſcribit Diodorus. Eius ſuburbia proculdubio fuerunt ampliſſima: eo quod, vt ſacræ literæ teſtantur, trium demum dierum itinere vrbs Niniue conficiebatur. Traditque Diodorus nullam poſtea vrbem tanto ambitu, tantaque magnitudine exſtructam. Altitudo enim murorum fuit pedum centum, latitudo, quæ tres curtus iunctos caperet: turres in muris mille

& quin-

& quingentæ,centum altæ pedibus,vt recenſuit Viues.

Chaldæorũ aula fuit Babylon, cuius ambitus 480. ſtadia includit,teſte Herodoto. De hac Ariſtoteles ſcribit,famam fuiſſe ſuo tempore, cum aliquando expugnaretur, poſt triduanam demũ expugnationẽ omnibus in vrbe ciuibus captam innotuiſſe.Plinius li.6.ca.26.de ea ſic habet: Babylon, Chaldaicarum gentium caput diu ſummam claritatem obtinuit in toto orbe,propter quam reliqua pars Meſopotamię Aſſyriæque Babylonia appellata eſt,ſexaginta millia paſſuum amplexa muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis,in ſingulos pedes ternis digitis mẽſura ampliore quam noſtra,interfluo Euphrate, mirabili vtroque opere.Ferunt ei plebis vrbanæ ſexcenta millia fuiſſe: ſitum vero mœnium aquilæ pãdentis alas:agrum totius orientis fertiliſſimum. Eadem fere etiam Solinus capite 58.ſcribit. Eam à Semiramide fuiſſe conſtructam ſcribitDiodorus,Strabo, Iuſtinus.At Ioſephus,Euſebius, Marcellinus, à nepotibus Noæ conditam aſſerunt: inſtauratam vero & muris munitam à Semiramide, quod & S. Hieronymus tradit in lib.Oſeæ ad c.2.citato poetico carmine.

——— Babylon,quam dicitur olim
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

Eam autem per ſingula quatuor latera recta habuiſſe 15. millia paſſ. recolit ex Herodoti libro 1. idem Hieronymus ſuper Eſaiam ad caput 14. ad illa verba, Et conſurgam, &c. nihilque ſupereſſe præter murorum circuitum; at reliqua omnia introrſus in ſolitudine verſari tradit. Recentiores, cuiuſmodi Aldus, murorum eius & latitudinem cubitorum 50.& altitudinem 200.cum Plinio affirmant:

mant:ſicut & ambitum ſexaginta millium paſſuum. Strabo tamen libro 16. ambitum ad trecenta octoginta quinq; ſtadia memorat, vt nō attingat ad quinquaginta paſſuum millia: adijcit tamen, turres ſexaginta fuiſſe altitudine, ac craſſitie, pedū duorum & triginta, muroſque adeo late patuiſſe, vt quadrigæ ſibi inuicem occurrentes facile pertranſire poſſent. Foſſa autem extrinſecus late etiam patens vice amnis circumfluebat, Aldo teſte. Videndus Oroſ. lib. 2.ca.6.Q.Curtius lib.5.& Euſeb.de prępar. Euangelica lib.9.ca.4.in fine ex Abydeno vetuſtiſſimo auctore. Sunt in ea vrbe horti penſiles, qui in figura quadrata, quorum latus quodlibet eſt quaternum iugerum. Hi fornicibus continentur, ſeſe in forcipis modum intercidentibus, ſitis ſuper pilis, in aleatoriarum tabellarum formam, alijs ſuper alias poſitis. Pilæ concauæ ſunt & terra plenæ, vt arbores maximas conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili & bitumine ſtructæ, tam ipſæ quam fornices, & fornicum interſectiones: ſupremum tabulatum aſcenſus ſcalares habet & cochleas ipſis adiacentes, per quos continue aqua ex Euphrate in hortos afferebatur, ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam vrbem interfluit, eius latitudo ſtadium occupat. Horti ſuper flumine ſunt. Strabo lib. 16. in prin. Cæterum à Scythis tandem hoſtiliter irrumpentibus omnia deuaſtata, rurſus tamen à Bugiafata Calyffo Saracenorum, qui octodecim auri milliones ad hoc impendit, tantiſper reſtaurata, vt teſte Iouio, etiamnum hodie Romę magnitudinem, quoad complexum mœniorum, excedat; vbi & non tantum plurima roſaria & ambulacra, ſed etiam ſyluæ venationibus, & rura culturæ deſtinata inueniuntur. Porro vt & de turre Babylonica, quæ miraculi

raculi fere loco cenſenda eſt, aliquid dicamus; eam à Nimroth ædificatam legimus, Gen. cap. 11. eius altitudinem tametſi ſacris literis expreſſam non legerimus, tamen Iſidorus lib. 15. cap. 1. ex Hebrçorum ſcriptis memorat, altitudine turrim illam ſurrexiſſe vſque ad quinque millia, centum ſeptuaginta quatuor paſſus. Sed D. Hieronymus ſuper Eſaiam ad ca. 14. ad illa verba: Et conſurgam, &c. hæc habet: Babylonis arx, id eſt, capitolium eius vrbis, eſt turris, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de lato in anguſtias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroq; fulgentes & alia pene incredibilia. Hæc ille.

Reges Medorum Ecbatanæ: Perſarum Perſepoli conſederunt: de harum magnitudine præter coniecturam nihil extat. Noſtro tempore aulas ſuas habuerunt primum Taurini, deinde Scyræ, ciuitatibus nobiliſſimis.

Tartaria & orientalis Aſia ob immenſas principum opes & potentiam, maiores exhibet vrbes, quá vlla mundi plaga. Tartari duobus regnis potentiſſimis dominantur, quorum vnum eſt Mogorinorum: alterum Cathaynorum. Mogorini Tartari ſuum imperium hodie late extenderunt: Mahamud enim eorum princeps, finibus ſuis non contentus, ante paucos annos fere omnem regioné, inter Gangem & Indum interiacentem, ſibi ſubiugauit. Samarcanda regia eſt metropolis Mogorinorum: quam Magnus Tamerlanes mirum in modum ditauit præda ex Aſia reportata. Ille enim tanquam ſæua & procelloſa tempeſtas omnem regionem peruagatus firmioreſque vrbes demolitus plurimas opes abſtulit.

ſtulit. Ex ſola Damaſco (vt cæteras taceam) octo millia camelorũ ſuperbis ſpolijs onuſtorum abduxit. Vetera hiſtoriarum monumenta tradunt tantam fuiſſe huius vrbis potentiam, vt ſexaginta mille equis diues cenſeretur. Minor hodie eſt, vt & ipſum imperium. Vt enim poſt Magni Tamerlanis obitum à filijs in multas partes diuiſum abijt; ſic noſtro tempore à Mahometis filijs magis diſcerptum videmus.

Cathainorum Tartarorum princeps, (quem vulgus Magnum Cham de Cathaus vocat) à Magno Chiny originem trahit, qui primus ante trecentos annos ex Aſiatica Scythia mouens, grauiſſimis expeditionibus Tartarorum nomen celebre reddebat. ſiquidem regno Chinenſium occupato, bonam Indiæ partem ſibi vectigalem fecit. Huius ſucceſſores in vrbe Chiambalu ſedes ſuas fixerũt, quæ vt inſignis ita ampla eſt. Ambitus enim præter ſuburbia, viginti octo paruorum milliarium eſſe traditur. Adeo ibi florent commercia, vt quotannis circiter mille currus vel ſolo ſerico onuſti è China eo aduehantur. Ex quibus facile conijcere licet, quantopere ibi vigeat negotiationes, precioſiſſimę merces artes & artifices, quæ incolarum multitudo, quam ſplendide, quam nitide, quam egregie ibi viuatur.

Non extat in toto terrarum orbe regnum (puta partibus ſuis continuum & coniunctum) capacius, non populoſius, non opulentius, non potentius, non durabilius, quam ampliſſimum illud & laudatiſſimum Chinenſium regnum. In quo maximæ conſpicuæ tres vrbes, vbi ſedes regiæ olim fuerunt, vulgo recenſentur Suntien, Anchin & Panchin, quæ magnitudine vrbes omnes, quæcũq; demum vnquã in toto terrarum orbe extiterunt, vincunt. Suntien (quan-

(quantum ex indicijs indubitatis edoctus habeo) antiquiſſima eſt, metropolis regionis Quinſay, quo nomine etiam ipſa vrbs vt plurimum vocatur. Sita fere eſt ad extremas orientis oras in lacu quodam, multis è fluuijs, quorum maximus Polyſange dicitur, collecto. Multæ in hoc lacu enitent inſulæ, quæ amęnitate ſitus, ſalubri aere, hortis penſilibus ac ſplendidis ædificijs aſpectum præbent gratiſſimum. Litora paſſim viridibus pratis conſpicua tanquam varicoloribus tapetibus ornata, arboribus conſita, ſalictibus aquis & riuulis irrigua, ampliſſimis palatijs & ędificijs vix credibilem ſpirant amœnitatem Maxima lacus latitudo eſt quatuor magnorum milliarium, incapaciſſima autem duorum. Vrbs ipſa ab effluxu aquarum fere 28. milliaria Italica abeſt: ambitu ſuo centū milliaria parua cōplexa: vicorū ſiue platearum multitudine, tā aqua quā terra maxime inſignis: quarū hæc ſilice politiſſime ſtrata traditur. Vſitatiſſima ibi ſunt podia, è quibus in vias publicas iucundiſſimus patet proſpectus. Inſigniores aquarum aluei numero 15. ſunt: ſuper quos pontes eximios ſtruxerunt, & ſane ea altitudine, quæ nauibus plenis velis tranſitum præbet. Horum alueorum maximus mediam fere ſecat vrbem, latus milliare Italicum, octuaginta pontibus conſpicuus: quorum aſpectus & vſus omnes amęnitates, omneſq; vtilitates vincit. Moleſtior fortaſſis fuero omnia adducturus, qui celebritatem vrbis concernunt. Quantis enim & qualibus ea patet areis? qui ſplendores ędificiorum? quàm egregij vici? quantus ciuium numerus? quanta mercatorum multitudo? quæ copia nauium, ebeno & marmore variegatarum, auro & argento vermiculatarum? Lubens prætereo immēſas illas opes, quæ quotidie & importantur & aſportantur.

tantur.

tantur. Nec commemoro infinita illa voluptatum & delitiarum plauſtra, quibus vbique abundat; & merito Superba Suntien vocari poteſt.

Cæteræ tamen duæ magnitudine ſunt ſuperiores: è quibus Anchin tanta eſt, vt vix liceat equiti ad vtramque partem diurno ſpatio peruenire: vbi tamen ſuburbia non accenſentur. Panchin autem ambitu ſexaginta magna milliaria continere traditur.

Cæterum poſteaquam Chinæ mentio incidit, nõ abſurdum me fore credo, ſi & aliarum vrbium, quas in transcurſu obiter attigimus, quædam encomia adduxero. Portugalenſes aiunt vrbem Cantan (notiſſimam quidem ſed non maximam) Vlysbona maiorem eſſe: quæ tamen exceptis Conſtantinopoli & Pariſijs, omnium in vniuerſa Europa habetur ampliſſima. Vrbem Sauchieo triplo maiorem eſſe Siuilia in Hiſpania ferunt: quod Siuiliæ ambitus eſt ſex milliarium, Sauchieo vero octodecim: Amplior tamen vtraque, Vechieo vrbs creditur. Cincheio, quamuis in numero maximarum non ſit, à patribus tamen ordinis D. Auguſtini ſeptuaginta millia ædificiorum habere credita eſt.

Hæc aliaque nemini abſurda & à vero abſona videantur, cum Marcus Polus in Relationibus ſuis multo maiora, quam quæ à me allata ſunt hactenus, adducat. Hæc autem, quæ à me dicta ſunt, tam vero conſonant, & in vulgus tam nota ſunt ex quotidianis nuntijs, qui illinc ad nos ab hominibus perſpectæ fidei commeant, Luſitanique vno ore confirmant, vt qui negare velit, ſtultitiæ potius quam prudentiæ notam incurrat. Quo autem lectori beneuolo ſatisfiat, documenta quædam adducam, ex quibus perſpicere facile ſit, vnde Chinenſes populi tantopere ſuccreuerint.

In

In primis autem præſupponamus, quod hæc mundi plaga, quam orientalem vocamus, aut ex cœli clementia, aut arcano & abdito ſiderum ſitu, atque efficacitate, alijſue cauſis, quales quales illę ſunt, neſcio qua virtute & natura omnia vberius proferendi cæteras antecellat. Hinc multa præclare, quæ in cæteris regionibus non naſcuntur, ex felici illa plaga depromuntur, ceu ſunt cynamomum, nuces myriſticæ, caryophylla, piper, caphura, ſcandalum, thus, aloe, nuces Indicæ, &c. Quid quod ea naſcentia, quæ oriens & occidens pariter profert, in occidente meliora, præſtantiora, & perfectiora naſcantur? Confer vniones, aurũ, Adamantem, Smaragdum, lapidem Bezoar, & vera hæc eſſe probabunt. Vniones enim occidentales cum orientalibus collati ad inuicem ſe habent, vt plumbum ad argentum. Et Bezoar Indicus bonitate Peruano longe præſtat.

Iam vero regnum Chinenſium propius attingit orientem, quam vlla mũdi plaga: adeoque omnium, quæ in oriente naſcuntur, plenior ibi eſt prouentus. Chinenſes aere, cui potior vitæ noſtræ pars tribuitur, vtuntur temperatiſmo: cui porro accedit mare, quod hanc regionem & circumluit, & velut brachijs ſuis in eam expaſſis amplexatur ac fouet.

Deinde tota regio vt plurimum plana eſt, locique natura percommoda, non tantum neceſſaria vitæ, ſed etiam oblectamenta & delicias vitæ humanæ affatim producens. Montes & colles varijs arboribus & ſatiuis operti ſunt. Planities oryza, hordeo, frugibus & oleribus ceu pulcerrimis veſtibus eſt induta, exculta, ornata. Horti non tantum

noſtratibus fructibus abundant, ſed etiam ſapidiſſimis peponibus, dulciſſimis prunis, optimis ficubus, malis citrijs, chryſomelis, fragrantia & ſapore iucundiſſimis.

Naſcitur apud ipſos peculiaris herba, ex qua expreſſum ſuccum loco vini adhibent. Liquor eſt dulcis ſanitatem conſeruans, omnia mala ebrietatis propulſans.

Magna illis eſt abundantia omnium animantium, auium, ferarum, lanârum, goſſypij, lini, plurimique ſerici. Abundans illis eſt metallorum copia auri, argenti, ferri, &c. pretioſiſſimos ibi vniones inuenire licet. Nunquam illis deſit ſaccarum, mel, Rhabarbarum, Caphura, Minium, Iſatis, moſchum, aloe: neque alibi naſcitur porcellana. Vniuerſam regionem variæ aquæ perfluunt, non ſine magna vtilitate rei & nauticæ & ruſticæ. Ruris fertilitatem æquant aquæ piſcibus refertiſſimæ: quorum magna copia tam in mari quam in alijs fluuijs paſſim ibi capitur.

Ad ſoli & aquarum fœcunditatem vtriuſque incredibilis cultura & vtilitas accedit: idque duabus ex cauſis: quarum prima ab incolarum multitudine dependet; China enim vltra ſexaginta milliones hominum continere creditur. Altera in diligenti cultura conſiſtit. Aeque enim priuati ruri colendo & eius frugibus demetendis intenti ſunt: ac magiſtratus, qui otioſum domi deſidere ſinit neminem. Hinc vix inuenias agellum vel glebam, quæ non optime ſit exculta. Num vero hic artes & opera mechanica ſilebo? cum nō ſit locus alius, tot & tam inſignibus florentior, id quod itidem à duobus proficiſcitur. Primum iam laudatum eſt, quoniam otia paſſim interdicta, labores cuiuis mādati:

dati:nulli licet eſſe ocioſo,non cæcis, non claudis, niſi plane viribus deſtitutis. Viteus Chinenſium rex lege ſancita etiam fœmellas ad exercendum artes paternas,aut minimum , tam nobiles quam non nobiles,colo & acui adſtrinxit. Alterum eſt quod filij patris artificia callere & exercere iubētur.Hinc tot artes,totque artifices , qui à teneris vnguiculis omnes,tam maſculi quam fœminæ,paterna artificia tractant.Hinc ſumma artium ſcientia abſolutaq; perfectio.

Non committunt,vt vel minima & abiectiſſima res ſine fructu pereat.Taurorum & bubalorum fimo nutriunt piſces.Ex oſſibus canum aliarumque animalium varia fingunt ſculptilia: qualia nos ex ebore.Ex laceris pannis conflant papyrum.

Sed quid tantopere in his recēſendis immoror? Tanta nimirum eſt apud Chinenſes omnium rerū ad vitæ ſuſtentationem neceſſariarum artiumq; & opificiorum copia,vt aliunde quicquam importare minime opus habeant.Quantum ſerici copiam quotannis vel duntaxat in Luſitaniam mittunt? Quindecim naues ad Philippinas oneratur. Fide maior copia in Giapas auehitur. Tantam Cathay excipit, quantam æſtimare licet ex ſuperioribus, vbi diximus,quanta in Ciambalu mittatur. Opera ſua elaborata(quæ infinita ſunt) viliſſimo vendunt pretio, quod mercatores nouæ Hiſpaniæ,qui ex Phillippinis inſulis ea çoemtum eo frequens iter habent,vix ſatis admirari queunt.

Quo fit vt negotiationes, quæ cum Philippinis exercentur, Hiſpanorum regi damnoſæ potius quam lucroſæ ſint.Viliſſimum enim omnium rerum pretium Mexicanos , ſuas merces ex Hiſpania ante petentes , in Philippinas illectat.

Quod autem eſt ſummum regis Hiſpani ſtudium, feras illas gentes horribili caligini idolatriæ adhuc immerſas emolliendi & album Chriſtianæ Eccleſiæ referendi efficit, vt damnum lucro æquale æſtimet, modo earum animas lucretur.

Ex his omnibus & ſingulis liquido conſtat, Chinam partim naturæ, partem humanæ ſolertiæ dote & beneficio infinitos homines nutrire poſſe: adeoque non abſurdam eſſe tantam inibi populoſitatis famam. Atque hanc ego porro aſſero, & neceſſarijs documentis probo, idque dupliciter. Primo enim Chinenſium rex non opus habet bella gerere, pro amplificandis ditionis ſuæ finibus, ſed tantum vt ſua ſepta defendat. Perpetua illis fere pax eſt. At quid pace optabilius? quid fructuoſius? quid antiquius? Nulli ex Chinenſibus inſcio rege & magiſtratu terra ſua licet exire. Creſcentibus itaque incolis patrioque ſolo ſemper adhæreſcentibus non poteſt non eſſe incolarum ingens multitudo, vrbium maxima capacitas, præſertim cum ipſum regnum Chinenſium vnum corpus vnamq; vrbem repræſentet.

Profecto nos Itali nimio noſtri amore omnia noſtra ſummopere admiramur, ſuſpicimus, dum Italiam eiuſque vrbes omnibus orbis partibus anteponendas cenſemus. Italia ratione ſitus oblonga, & media Apenninis montibus diuiſa, pauca habens flumina nauigabilia, non poteſt ferre magnas & populoſas vrbes. Fluuij Italiæ habent ſe vt riuuli cum Gange, Menane & Meacone alijſq; orientalibus collati: Tyrrhenum & Adriaticum mare paludem dicas, ſi cum Oceano compararis. Vnde noſtræ negotiationes & nundinæ pro ſcrutarijs non immerito habeas reſpectu earum, quæ Cantanæ, Ma-

næ, Malaccæ, Calecutiæ, Ormo, Vlysbonæ, Seuilliæ & in cæteris vrbibus oceano finitimis habentur.

Huc accedunt inter nos & Mahumetanos diſſidia & bella bonam partem commerciorum in Africa & oriente adimentia. Quid quod melior pars Italiæ, vt regnum Neapolitanum, ducatus Mediolanenſis regi Hiſpaniæ paret? Satis autem tenues ſunt reliqui ordines, vt & præcipue vrbes. Sed inſtituti ratio requirit vt eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

Principis ſedes ex ſeſe ſatis virium habet ad inſtaurandam vrbem & extendendam. Memoriæ prodidit Franciſcus Aluarez, in Aethiopia quantumuis regione ampliſſima non extare vrbem vltra mille ſexcentos ciues continentem: quarum numero paucas eſſe aiunt. Rex vero Aethiopum, quem illi magnum Nego, nos, ſed vitioſe, Prette Ioannem vocamus, incerta aula vagatur. Sola enim eius aula inſtar potentiſſimæ vrbis eſt: ſiquidem eius tentoria vix aliquot milliaribus capiuntur.

Omnes celebriores vrbes Aſiæ principum ſedes fuerunt. Damaſcus, Antiochia, Angori, Trebiſonda, Burſia, Hieroſolyma. Sed ad noſtram Europam tranſeamus. Roma translata aula imperatoria deſloreſcere cœpit, Conſtantinopolis vero, vbi imperatores conſidebant, maxima cepit incrementa: quæ etiamnum ob aulam Turcici imperatoris ſarta tecta durant.

Hæc vrbs ſita eſt in loco amœniſſimo, optimo, commodiſſimo, qualem nulla vrbs totius mundi inuenit. Sita quidem eſt in Europa, ſed plus minus quadringentis paſſibus ab Aſia abeſt. Dominatur

ponto Euxino (quod Turcæ Mare nigrum, vulgo Mare Maggiore vocant) & Propontidi, quæ nobis Mare D. Georgij nominatur. Euxini ponti ambitus eſt duorum millium ſeptingentorum paruorum milliarium. Propontis vero vltra, ad ducenta milliaria porrigitur, donec Archipelago (alias mari Aegeo, Turcis Mari albo) committitur.

Nullius tempeſtatis quantumuis proceloſæ ſęuitia nauigationes prohibet, quo minus variæ merces vtrinq; in vrbem adferantur. Et haud ſcio, an, ſi modo dictam vrbem alius adhuc fluuius nauigabilis allueret, aliquid ad eius perfectionem accedere poſſet. Ambitus eius eſt 13. milliariũ, & addita PERA, octodecim: intra huius complexum ſeptingenta millia hominum inuenias. Peſtis tertio quoque anno vehementer ibi graſſatur: vel verius dixerim, raro aut nunquam fere à peſte immunis eſt. Vnde profecto non indignum proponitur diſputatoribus problema, cur illa lues tertio quoque anno (vt Cayri ſeptimo) inſtar tertianæ febris vehementiori paroxyſmo in vrbem ratione ſitus & aeris ſalubrem reuertatur. Quæ quidem ego in præſenti differo, aut ingenijs exercitatioribus diſcutienda propino.

Intra Conſtantinopolim ſeptem montes conſpiciuntur. Inuenias ibi prope litus ad orientem, Turcici imperatoris gynæceum, cuius muri ambitu ſuo tria milliaria coercent. Inuenias ibi armamentarium, vbi officina & ſtatio nauium fornicibus pluſquam centum triginta enitet. Videas vrbem ſitus ratione ſatis amœnam, portubus laudatiſſimis, ciuium multitudine, negotiationibus frequentiſſimis, ipſiuſque imperatoris aula ſplendiſſima adeo conſpicuam & ornatam, vt facile inter

omnes

omnes Europæas, primas reportet. Vna enim imperatoris aula triginta millia armatorum equitũ ac peditum alit.

In Africa maximam celebritatis famam aſſecutæ ſunt; Alcai rum, quæ vrbs non ita pridem ampliſſimi regni potentiſſima Metropolis adeoque ciuib. abundantiſſima facta eſt. Tremiſe, quæ cum adhuc floreret, ſedecim mille familias continebat. Tunetum nouem millia: Marocco centum millia: Feſſa, vbi Africæ regis potentiſſimi aula eſt, ſexaginta quinque millia ædificiorum continent.

Quamuis orbis Chriſtianus multa habeat regna, eaque ſplendidiſſima, omnia tamen (puta quorum membra ſint continua) Gallico facile concedunt multitudine & incolarum & opum. Gallia circiter 27000. parochias (Pariẽſienſem pro vna accipimus) habet, in quibus vltra quindecim hominum milliones inueniuntur. Bonis, quæ natura locorum ſuppeditat, & opibus, quas humana ſolertia cogit, Gallia omnibus nationibus eſt ſuperior. Regia aula longa temporis ſerie hactenus fuit Lutetiæ, vnde ad tantam magnitudinem excreuit, vt parem in orbe Chriſtiano non inuenias. Ambitus eius eſt duodecim milliarium: intra quorum fines ac ſepta quater centena & quinquaginta hominum millia plus minus degunt. Tanta ibi eſt rerum copia, tanta delitiarum & voluptatum, omniumque, quæ humana vita requirit, eſt abundantia, vt, qui non vidit, nec credere; nec imaginatione concipere poſſit.

Regnum Anglicum, Neapolitanum, Portugalenſe, Bohemicum, comitatus Flandriæ, ducatus Mediolanenſis dignitate & potentia ſibi inuicem fere pares ſunt: vnde & vrbes, vbi aliquãdo aulas

ſuas habuerunt prædictarum regionum principes, parum diſcrepant: Eiuſmodi ſunt Londinum, Neapolis, Vlysbona, Praga, Mediolanum, Gandauum, in quibus ſingulis plus minus centum ſexaginta mille homines reperiuntur. Paulo tamen amplior cæteris eſt Vlysbona, propter commercia Aethiopiæ, Indiæ, vt & Braſiliæ, & Londinũ ob motus bellicos, quæ in Belgica gliſcunt. Tantæ magnitudinis in Hiſpania nullam inuenias vrbem, non tam quod hactenus in plura regna fuit diuiſa, quã quod fluminibus nauigabilibus caret, ſine quibus ſufficiens commeatus, quo aliquantulum populus extraordinarie aleretur, inuehi nequit. Celebriores Hiſpaniæ vrbes, quæ olim regiæ erant ſedes, vulgo cenſentur: Barcinon, Saracoſſa, Valeza, Corduba, Toletum, Biturigum, Lugdunum, quæ quidem omnes magnæ ſunt, populoſæ, Italiæ tamẽ vrbibus inferiores.

Has antecellit Granata, (vulgo Garnada) quæ longo tempore Maurorũ regibus ſedem præbuit, multis eximijs ædificijs ab ijſdem exornatu. Pars eius in monte, pars in plano ſita eſt. Quæ monti adhæret, in tres diſtinctos colles eſt diuiſa, aquis abundat, quibus vniuerſa regio habitabilior efficitur & irrigatur.

Quandiu America patuit, in maximam potentiam ſuccreuit Seuilia, quibus maris æſtus ibi exũdans incomparabiles opes adfert. Ambitus eſt ſex paruorum milliarium, octuaginta millia hominũ complectens. Sita eſt in ſiniſtro littore fluuij Betis, quem alias Guadalchiuir vocant. Eximijs templis & palatijs inſignis es, ſolum habet fertile & amœnum.

Vagliadolid tametſi vrbs non ſit, excellentiſſimis

mis tamen vrbibus Hiſpaniæ comparari poteſt:idque quia longo tempore regia ſedes ibi fuit. Sic Madridum vrbs nō tantum in maius aucta eſt, ſed adhuc augetur,propter ſedem regiam,à rege Philippo eo translatum.Tantum ibi valuit aula regia, vt ex nimio incolarum confluxu vnus pagus, quæ ibi olim erat,populoſiſſimum oppidum totius Hiſpaniæ euaſerit.

Poloniæ populoſiſſimæ vrbes ſunt Cracouium & Vilna, quia Cracouij principes Poloniæ, & Vilnæ magni duces Lithuaniæ aulas ſuas habebant.

Tribus potiſſimum vrbibus Moſcouia inclaruit: Volodimeria, Nouogarda magna & Moſcouia ſpecialiter ita dicta;quæ omnes ac ſingulæ celebritatis nomen inde aſſecutæ ſunt,quod ſummi Moſcouiæ principes,vulgo magni duces, aulam ſuam ibi conſtituerunt. Hac ratione noſtro ſeculo vrbs Moſcouia præ cæteris celebris eſt, quod nimirum Magnus Moſcouiæ dux aulam ſuam hodie ibi fouet.Moſcouiæ vrbis longitudo eſt quinque milliarium paruorum, latitudo aliquanto minor. Ampliſſimum ibi eſt caſtellum, quod ducis magni palatium eſt & aula. Adeo populoſa eſt, vt à quibuſdam Conſtantinopoli,Lutetiæ & Vlysbonæ æquiparetur,atque his tribus Europæ vrbibus, vt florentiſſimis ita populoſiſſimis velut quarta addatur.

Syriacuſarum vrbs omnium Siciliæ vrbium ampliſſima,quatuor maximis vrbibus, vt Cic. tradit, olim conſtitit.Cauſam amplitudini dedit, regum ſiue tyrannorum(vt antiquitus vocabantur)ſedes. Commercijs vero & negotiationibus, quas cum Africanis habebant,deferueſcētibus, & ſede regia

Palermum tranſlata, Syracuſæ priſtinam celebritatem indies magis magiſq; perdiderunt : Palermum vero caput extulit, dignitateque ac gloria excreuit.

Palermi capacitas ſatis ampla eſt, & ſecundum inter Italiæ vrbes locum facile obtinet : inſignis ſplēdidis templis & palatijs, ſanctorum reliquijs, lautiſſimiſq; ædificijs à Saracenis extructis. Duo vera potiſſimum, quę noſtra ſecula ibi conſtrui viderunt, notatu digna ſunt: Vnum, quod via regia per mediam vrbem patefacta eſt, adeo recta, plana, lata, longa, vt num ſimile quippiam habeat vniuerſa Italia, iure dubites. Alterum eſt, quod valla, munitiones, aggereſq; verſus mare, ampliſſimam atque tutiſſimam efficiunt nauibus ſtationē. Opus ſane digniſſimum, quod admirandis Italorum operibus adiungatur.

Marcus Polus, cuius ſupra mentionem fecimus, rerum Ind. libro ſecundo, capite 68. tradit, Quinſai vrbem in Magni Cham ditione centum paſſuū millium ambitum tunc fuiſſe complexam, atque in ea numerata foculorum mille ac ſexcenta millia, vt ſi quinque ſiue mares, ſiue fæminæ per ſingulos foculos adnumerentur, vna illa vrbs octuagies decies centena hominum milla continuiſſe viſa fuerit. Verum cum omnium rerum viciſſitudo ſemper fuerit, poſt ducentos à Marco Polo annos cum eo profectus fuiſſet Nicolaus de Comitibus, comperit, adeo inſignem vrbem iam diu anteà excidium paſſam, ac nihilominus adhuc inſtauratam, atque ad trigīnta paſſuum millium ambitū fuiſſe redactum. Id ipſe Nicolaus memorat in itinerario Indico apud Ramuſium tomo 1. In eo numeratos pontes ad duodecim millia, quo tantæ e-

rant

rant amplitudinis,vt onerarias naues admitterẽt, Polus eodem loco teſtatur & Ortellius in Tartaria. Viam autem eius vrbis primariam protendi latitudine 40.paſſuum,longitudine ad 38.millia paſſuum extendi Polus ait, ſcribitque quaque verſus reliquas extra vrbem vias perſtratas pluribus mẽſibus non permeari;nam octo menſibus etiam Odericus poſterior tradidit. Adijcit quoque Polus, ibi plateas eſſe ambitu ſingulas bis mille paſſuum. Incolarum eius tantus eſt numerus, vt ad pugnam numerari poſſint idonei vſq; ad ducenta millia; quandoquidem trecẽta domorum millia conſcripta ſunt.

Paquin,regiam in Sinarum regione vrbem, adeo late patere memoratur, vt ſeptem dierum interuallo recta pertranſiri non poſſit, cum præterea munita ſit tribus ambiẽtibus muris. Quidquid ad alimenta regi neceſſarium eſt, infra hunc ambitum naſcitur. Vrbe rex nunquam egreditur:aſſiſtunt illi quingenti gigantes, non minores pedibus quindecim. Flumine tota vrbs alluitur,ex informatione Ieſuitarum, de rebus Sinarum, tomo 2.Melchior Nugnez Ieſuita ſcribens ex Malacca.

Quod ſi libet orbis noui,aut Indiarum, aut extra Europam pleraſque vrbes admirandas audire, facile mihi ſuppetent,ac breuibus recolam.Eſt Vohaca vrbs in Iapone memorabilis, longa ad quatuor paſſuum millia,habetque proximas ingentes turres & latitudine & altitudine vndiq; cõſpicuas quod earum tecta inaurata ſunt,Lud. Froes in literis anno Domini 1586. Eſt Amaguci in eodem Iapone, centum millia foculorum continens, vt Franciſcus Xauerius teſtatus eſt ſuis literis an.1553.

In

In eadem quoque inſula Meacus vrbs eſt, quæ memoratur centum octoginta millia focularum habuiſſe, eodem Xauerio teſte; habere autem adhuc centum millia conſtat. In eadem inſula eſt Oſacci vrbs Reipublicæ ritum ſeruans, velut in Italia Veneti. Admiranda ibi eſt opulentia, numerati ſunt mille ciues, quibus non minores ſunt opes triginta millibus aureorum, ſupra autem ſunt plurimi: tanto faſtu educantur omnes, vt quiſque ciuis paterfamilias, ſiue viri, ſiue fœminæ, reges aut reginę nuncupentur, filij vero, principes, vt Ferd. Mendez ſcripſit anno Domini 1554. Propterea ſi Conſtantinus Conſtantini Magni filius, qui ſolebat, cũ Romæ eſſet, dicere, tot ſe reges videre quod ciues, in ea vrbe fuiſſet, verius id dixiſſet quam Romæ.

Odia autem regia vrbs Indica orientalis Sornai regno Venetiarum in Italia vrbi & amplitudine & ſitu coæquanda eſt: tota enim in aquis exædificata per omnes vicos aquis adnauigatur; ſed illud valde eſt admirandum, numerari ibi plura, quã ducenta cymbarum millia, quæ ſex milliaria in latiſſimæ patente & vrbem alluente flumine occupant, omnibuſq; tranſitum impediunt. Ferd. Mendez anno Domini 1554.

Sunt & aliæ in aquis exędificatę vrbes in oriẽte: nam in Burnei inſula, cognominem vrbem eſſe ferunt ligneam totam prçter regiam, quæ ſola lapidea eſt; in imo mari fixis ſtipitibus ſtruũt domos. Vici patent adeo, vt per ſingulos venalis annona cymbis deferatur: ſunt autem viginti quinque domorum millia à Mauris culta, vt Antonius Pigafeta teſtatur. Eſt & Lao vrbs in eadem inſula illa quidem amplior, eadem ſtructura, in vndis exædificata, atquę ab Ethnicis colitur, eodem Pigafeta teſte

teſte. Eſt in eodem orientis Indico tractu alia vrbs cui nomen Vguin, adeo autem proximis ædificijs abundat, ſuburbijsque oppidis & villis, vt toto biduo inter ædificia ſemper eatur, & vnam vrbem omnia huiuſmodi ædificia complecti putentur, Polus libro 2. capite 73.

Quin & Ceuſcala duplo Venetljs amplior eſſe putatur, vt Odericus tradit libro primo. Zaiton quoque vrbs duplo Bononia in Italia amplior eſſe perhibetur. Ibi in vnico cœnobio idololatrarum numerata ſunt tria Monachorum millia. Extabant quoq; vndecim ingentium idolorum millia, quorum minimum hominis altitudinem ſuperabat, Odoricus libro primo. Sed & Fluxu, quæ in eodem Indico tractu iacet, ampliſſima eſt: patet etenim ambitu ad paſſuum millia triginta, vt Oder. lib. 1. tradit. At alia vrbs, cui Chileraphe nomen eſt, ambitum quadraginta paſſuum millium habet, atque in ea lapidei pontes numerantur ad trecentos ſeptuaginta eximie ędificati. Eſt etiam alia vrbs regia, cui nomen Teſcol in Mangi prouincia, Venetijs triplo maior, in qua vna tot nauigia conſpiciũtur in vſu haberi per fluuium, quo alluitur, quanta omni in Italia, tum mari tum miditerraneis fluminibus lacubusue reperiri queant. At Cambalu Magni Cham regia vrbs bipartita eſt. Pars altera ambitu protenditur ad paſſuum viginti quatuor millia, altera proxime ad quadraginta millia. Vnicus autem murus vtramque vrbem cingit, qui protenditur ad centum paſſuum millia. Atque hæc quidẽ in Aſia etiam veteribus cognita. At memorant noſtro ſeculo, qui eo penetrarunt, pręter has ingentes vrbes inuentam vrbem Megoa, 40. domorum millia continẽtem. Sed & vrbs Lanchin ab ingreſſu

ad

ad egreſſum tanta reperta eſt longitudine, vt recta linea toto triduo pertranſiri non poſſit;eius ambitus ad leucas ſeptuaginta porrigi fertur,id eſt ad Italica milliaria 280.Reb.Sin. part.2.cap.23.

At in orbe nouo, noſtro hoc ſeculo comperta non ſine admiratione multa de vrbibus recoluntur.Nam qui illum luſtrarunt affirmant,Mexicum vrbem centum viginti millia magnarum ædium habuiſſe, augerique admirationem, quod tota in paluſtri aqua fuerit exædificata,abeſt enim à continenti,qua proxime,octo millibus paſſuum, cum eius ambitus ſit ad duodecim millia paſſuum. Referuntque in ea tantæ megnitudinis templum fuiſſe compertum, vt quingentæ domus in eo extrui potuerint:in ambitu habere turres quadringentas prææltas,quadrangulares, centum quinquaginta paſſuum ambitu: itur in ſummum vſque verticem percommode,primum quidem gtadibus centum triginta per girum: deinde exurgunt à vertice duę aliæ turres,ſingulæ altitudine pedum ſexaginta.In eam vrbem cum lacus ſalſam ferat aquam è continenti,canalibus in ſuperficie laci locatis, potabilis plurima aqua deducitur.Nec vnam tantum vrbem continet is lacus, ſed alias plures. Sunt in eadem Mexico horti porticibus ex Iaſpide lapide confectis exornati,eximioque artificio compoſiti. Et quod valde libet annotare, in eodem nouo orbe,in prouincia Tapalum altera tantæ amplitudinis vrbs comperta eſt,quæ Mexico prorſus comparatur,vt Petrus Aluaradus ſcribit. In Peruaco autem eiuſdem orbis Pachalchami vrbs, Roma maior comperta eſt. Sed & Cuſcum regia vrbs in Peruaco, cuius muri amplitudine ſunt admirabili,cófecti ex grandibus lapidibus, quandoquidem qua-

quadrangulari forma ſunt, per ſingula latera pedes triginta, quandoque viginti, ad minus quindecim. Eſt in eodem orbe Taſcaltecal, in qua quadringentæ turres numeratæ ſunt. Sed omnium rerum viciſſitudo eſt. Cum etenim Corteſius toti orbi nouo Caroli Quinti imperatoris nomiue præſideret, ob ſeditionem illam tantam vrbem Mexicum igne conſumſit: at poſtea auguſtiſſime reſtaurari curauit, exædificato palatio, adeo magno ſumtu & amplitudine, vt cum ipſi ſenatuique vniuerſo ac præfectis prouinciarum pluribus percommoda hoſpitia darentur, quicquid eius palatij ſupereſſet habitabile, ad ſeptem ducatorum millia locaretur inquilinis, vti memorat Surius in Commentario anno Domini 1558. Vt quanquam ſint hæc memoratu perdigna, admirari tamen etiam libet, quanta eius vrbis adiacentis ſint oppida, quamq; ingens populorum frequentia, vt omnia fere orbis loca ſuperare numero hominum videri poſſint. Municipia enim prope vrbem quædam ſeptem, quædam quindecim, alia viginti, alia triginta, alia quinquaginta, alia ſexaginta, alia ſeptuaginta domorum millia obtinent. Accedit his, quod ſolo in Mexico referunt multi ſumma fide digniſſimi, triginta fuiſſe Dynaſtas, quorum quilibet habuerunt ſub ſe centum millia hominum, aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & alios ſub ſe haberent clientes fiduciarios, ac beneficiarios Vaſallos, Valuaſores & Valuaſinos. Qui Dynaſtæ certa anni parte famiam ſuam alebant in ciuitate Mexicana curia regis Montezumæ, & ex ea non licebat illis diſcedere ad ſuas prouincias, niſi regis permiſſu, ac relictis ſiue

filijs

filijs ſiue fratribus ſuis in ciuitate obſidum loco: & quod dictu horrendum eſt, mille plerunque homines vno die in ciuitate Mexicana dęmonibus immolabantur, quę tamen execranda abominatio hodie per Ieſuitas ſublata eſt. Hęc è Surij Commentario anno Domini 1558.

Solinus cap. 53. tradit, in India quinque eſſe oppidorum millia, quorum ſingula ad minus nouem hominum millia habeant. Idq; tribuit cauſæ, quod ſoli Indi nunquam à natali ſolo receſſerint. Pomponius Mela lib. 1. ſcribit Amaſi in Aegypto regnãte viginti vrbium millia numerata fuiſſe, quod & Herod. tradit lib. 2. c. 12. Quinetiam recentiores tradunt, ob ſoli præcipuam fertilitatem & hominum frequentiam, adeo Aegyptum exçultam eſſe, vt decem & octo millia inſigniorum vrbium in ea extructa adhuc numerentur.

In Chinenſium regionibus Cantaon omnium quidem minima vrbs eſt, amplior tamen Vlyſſibona in Luſitania; eoque nomine inſignis, quod ad exercendam iuſtitiam eius rex alat centum millia miniſtrorum ac militum, tuendæ vbique ſecuritatis cauſa: deinde quilibet eius vrbis vici noctu portis occluduntur, ne ex vno in alterum tranſitus pateat: vt ita cohibeantur maleficia, quæ haud dubie non niſi à proximis cõmittũtur. Eſſeque in ea vrbe memorant plures quam mille triumphales arcus eximie ædificatos, terq; quotannis agrum referre fructum ob aſſiduas irrigationes. Hęc Melchior Nugnez Ieſuita in literis inde miſſis.

Huc referre lubet admirandam ædificandæ vrbis nouitatem. In nauigatione, qua itur ab Ormutio Goam, non longe à Bazzain, vrbs quædam patet, tota in monte lapideo exciſa & excauata, per

qua-

inde ac cælaturæ fiunt: viæ enim plures, domus, vici, plateæ, ciſternæque centum ad ciuium vſum: excauata enim hæc omnia ſunt, non autem extructa, vt ſic vna tota ciuitas vno è ſaxo conſtare videatur, tuta à ruinis, inundationibus ac terræ motibus ſimul ac incendijs. Megu etiam Indica vrbs palatia cum ingentibus aulis & ipſa ampliſſima habet excauato ſaxo.

Sed & de murorum exſtructionibus aliquid vt dicamus; Adrianus imperator murum per octoginta millia paſſuum in Britannia duxit, qui Barbaros Romanoſq; diuideret. Margianam regionem Antiochus circumduxit muro perpetuo, atque in ea Antiochiam quoq; ædificauit. Erat autem muri ambitus ſtadiorum mille quingentorum, id eſt, prope ducentorum millium paſſuum, vt memorat Strabo lib. 11. Alium Miltiades dux Athenienſium fecit, qui à Thraciæ vrbe, quam macronteichos vocant, inciperet, ſupra fidem ingens vſq; ad ſinum Melicum, excluderetque Cherſoneſum à reliqua Thracia, vt memorat Viues ad libros Auguſt. de ciu. Dei, lib. 15. ad c. 27. Quo loco memorat Cæſarem quoque alium duxiſſe murum à lacu Lemano ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetijs diuidit Sic Seuerus imperator murum duxit in Britannia centum & triginta millium paſſuum longitudine, à mari ſcilicet ad mare. Sic Anaſtaſius Dicorus murum longum condidit à magno mari ad Selybriam vſq; pertingentem, ob Myſorum, ſiue Bulgarorum & Scytharum incurſiones. Carthaginenſes quoque murum ſexaginta ſtadiorum duxerant in ſuæ vrbis tuitionem in Iſthmo ipſius peninſulæ. Melchior Nugnez memorat, in Sinarum regionibus murum extare, Sinas ipſos à Tartaris diſtermi-

nantem magnitudine prope inexpugnabilem atq; præaltum, porrigiq; in tantam longitudinem, vt menſtruo ſpatio integro ad illius poſtremam partem nemo valeat peruenire, vt ſic deprehendatur prope ad decies centum millia paſſuum protendi longitudine.

Porro conſideranda hic occurrunt & alia commemoratione digna. Ferunt qui regiones Chinenſes perluſtrarunt, quaquauerſum directas ac lapidibus perſtratas vias conſpici, in illis regionib. omniũ totius orbis ampliſſimis, non indecies centena millia paſſuũ tantũ, aut ad mẽſtruũ: iter; ſed ad octi meſtre, atq; ad ſepties cẽtena millia paſſuũ, id eſt, ſeptem milliũ miliariorũ Italicorũ directas eſſe ac perſtratas lapidibus vias huiuſmodi tũ quæ ab oriente in occidentem tendunt, & eæ ſunt plures, tũ quæ ab Auſtro in Aquilonem, quæ etiã ſunt plures, adhibitis percõmodis hoſpitijs quibuslibet itinerantibus, cũ equorũ ad itinerantiũ commodum incredibili multitudine certis locis aptiſſime conſtituta. Marcus Polus lib. 2. c. 2. expreſſius id tradit, ſcilicet vbiq; Regia, quæ reges capere poſſent, hoſpitia perpetuo ſingulariq; hoſpitijs ali equos curſores quadringentos, adeo vt itinerationis tantũmodo cauſa numerẽtur in huiuſmodi hoſpitijs diſpoſita ducẽta equorũ millia. Atq; hæc in oriente ſunt. At in nouo orbe ij, qui eũ perluſtrarũt, non abſimilia reperiri memorant. Guſconiũ, enim in Peruaco ampliſſima vrbs regia eſt: eius reges longe potentiſſimi duas vias militares direxerunt è ciuitate Guſconio in ſeptingentas leucas, id eſt, ad plura, quam bis mille milliaria Italica, aut forte etiã prope ad ter mille milliaria, quarum vna per alpes, altera per valles ducebat, atque in ijs vijs ad ſingu-

las

las ſeptenas leucas diuerſoria conſtituta erant, in quibus ſingulis ſemper nuduse, xarmatus, famelicus quadraginta aut amplius millium hominum exercitus, ſubito appellens, veſtiri, armari, paſci in longum tempus poſſet. Viam quoque marmore exciſam plana ac montana plurima paſſuum millia, ac perpetuis literis exaratam, meminere Saxo Grammaticus, & Krantius. Sic enim illi: Via eſt quædam apud Blekingiam admiranda, apta enim enim itinerantibus eſt rupes mirandis literarum interſtincta notis longiſſimo locorum tractu: ſiquidem à Meridiano mari in deſerta Verundiæ petroſa porrigitur ſemita, quā binæ lineæ exiguo diſcretæ ſpatio protractis in longum ductibus cōplectūtur: inter quas medium loco planum factis ad legendum figuris vndiq; ſecus exaratum oſtenditur; quod licet adeo ſitu inæquale exiſtat, vt modo montium alta proſcindat, modo vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum veſtigia ſeruare dignoſcitur. Quarum ſignificationem rex VVoldemarus ſacri Canuti fauſta, proles admirationis cauſa cognoſcere cupiens miſit, qui rupem permeantes patentium illic characterum ſeriem curioſiore indagatione colligerent; ac poſtmodum virgulis quibuſdam ſub ijſdem formarum apicibus adnotarent; qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipſa cælaturæ concauitas partim cœno interlita, partim commeantium adeſa veſtigijs figuratę protractionis ſpeciem obtrito calle confuderat. Vnde conſpicuum eſt, etiam petrinæ ſoliditatis rimas diutino madore completas, aut ſordium colluuione, aut irrigua nimborum inſtillatione concreſcere. Hæc Saxo in præfatione Danicæ Hiſtoriæ.

Ad turres tranſeamus. Turres igitur ſunt quidē & ornamenta & munimenta; ſed cum ſuperbia eas ædificat, irritæ ſunt; quod in altiſſima ac latiſſima Babylonica conſtat, ſæpe enim inſania eas ædificat. Sic in Cyzico vrbe iuxta portam, quæ Thracia vocatur, ad ſtultam voluptatem turres ſeptem ita exædificatæ ſunt, vt voces accepto numeroſiore repercuſſu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum eſt, Echo, Plin. lib. 36. cap. 15. Memorant præterea ij, qui orientem perluſtrarunt, admirandam eam eſſe turrim, quæ viſitur in Fucheo Sinarum vrbe, quam tradunt ſuperare omnia Romanorum ędificia: eſt enim extructa ſuper 40. ſolidas columnas ampliſſimas, ſimul & altiſſimas. Altitudinem putant nonnulli maĭorem non reperiri in quauis turri Italica, ſiue Cremonæ, ſiue Bononiæ, quam in Africa vrbe Marocco, in exædificata à rege turri: eſt ambitu pedum ducentum, ſuperat autem longe hunc numerum altitudine. Surgit enim in ſeptem ampliſſima ſolaria, ad quæ præplanis gradibus per gyrum aſcenditur. Vbi ventum eſt in ſummum, patet planities plurima, in qua locata eſt pyramis in imo patens pedes quinquaginta, longa circa pedes triginta; in cuius ſummo vertice ordine locatæ ſunt velut veru confixæ tres ingentes ſphæræ argenteæ. Extat & alia turris ad templi vſum & ipſa ampliſſima, in cuius ſummo cacumine velut ordine veru confixæ conſpiciuntur tres ingentes ſphæræ aureæ, quarum precium ad centum triginta aureorum millia æſtimari traditur. Hunc ſumtum ſuperant turres in Indiæ orientalis regno Mien. Nam regium ibi ſepulchrum extat inter duas turres locatum, ipſum quidem aureis argenteiſque laminis digitali craſſitudine obtegit

te git

tegit. Turres vero ipſæ, præter id, quod in ipſarũ ſummis verticibus aureas & argenteas campanulas ita conſtitutas habent, vt vento agitatæ è catenulis pendentes ſonitum ſuauem edant: etiam ipſarum tecta, quanta (quæ maxima eſt) latitudine patent, vnius quidem argenteis laminis digituli craſſitudine, alterius autem aureis laminis etiam pari craſſitudine conteguntur, vt tradit M. Polus lib. 2. cap. 44. Altitudinem certe turris admirari quidem quiſque videtur, qui Cremonam proficiſcitur, cum per Lombardiam ſeu Ciſalpinam iter agentibus aut nauigantibus à multis paſſ. millibus vndequaque ſpectabilis ſit: ſed reuera Argentinenſis altior eſt: nam ab imo ad ſupremum culmen quadris & perpulchre figuratis lapidibus tota cõſtat; patetq; eius aſcenſus cochleis: vbi vero craſſities eius in faſtigium incipit acuminari, ibi octo inſurgunt cochleæ: vertex qui vix modij amplitudinem videtur habere, commode ſex homines capit: Altitudo eius tota pedes habet Geometricos, 574. Quod vero de Bononienſi turri diximus, velut ea inter reliquas ſit præalta, duo augent de illa admirationẽ, quod exilis ſit, quod ex debilitate fundamentorum in imo dehiſcens paululum ad perpendiculum propendeat inclinatave ſit. Eſt autem illi proxima alia turris tota prorſus inclinata, velut caſura: attamen arte ita confecta eſt, vt cadere videatur, cum ipſa firmiſſima ſit. At turris, quæ Venetijs apud S. Marcum exurgit, tota imis fundamẽtis ipſo mari ſubſtratis admiranda eſt, non modo craſſitie & altitudine, ſed ex gradibus quoque quibus in ſummum itur. Referemus autem in id Sabellici verba, lib. de ſitu vrbis Venet. li. 2. Superbiſſima (inquit) turris occurrit, adeo altis fundamentis in-

tis innixa, vt pene plus operis latere credatur, quã ad auras exeat: ſummus apex adeo ſublimis, vt fulgor auri quo illitus eſt, ad ducenta ſtadia ex alto nauigantibus velut ſaluberrimum quoddam occurrat ſidus.

Porro & ampliſſima & magnificentiſſima quæq; regum ac principum palatia huc referre, nõ incõmodum fore exiſtimo. Eorumque omnium maximum eſſe putatur illud, quod magnus imperator Cham inhabitat in Cambalienſi vrbe. Cingitur primum muro perpetuo quatuor angulis, quorũ quilibet ad octomillia paſſuum porrigitur, vt inde iã deprehendamus, ambitum Romana vrbe maiorẽ eſſe; & quod auget admirationem, munitur huiuſmodi murus perpetua profundaque foſſa, quæ piſcinæ vſum præbet. Introrſus poſtea alius eſt murus, etiam perpetuus, ad ſex millia paſſuum per ſingula latera, frequentiſſimis etiam exornatus ædibus inſignibus. Rurſus paulo interius murus alius eſt etiam perpetuus, habens in ſingula latera quater mille paſſus, exornatus & ipſe ampliſſimis ædibus, conſitis etiam hortis ac viuarijs ferarum. Ac quicquid viarum eſt intra hæc ſepta, lapidibus ſtratum patet: ibidem quoq; in montis manufacti vertice alia ampliſſima domus exędificata eſt, vno viridi colore tota perpicta. At ædes ipſæ regiæ, quę in horum murorum medio extructæ ſunt, ex auro tectum habent vniuerſum, minio, lazurio atque alijs eximijs coloribus exornatũ. Hæc fuſius tradit M. Polus rei inſpector li. 2. cap. 6. & Odericus lib. 1. qui adijcit, ſe triennio apud illum regem vitam duxiſſe ac omnia perluſtraſſe, extareque ex auro columnas 24. ac pinum arborem maximam auro illigatam, è qua vndecunque pendent ramuſculi gem-

gemmis vuarum modo referri:plures quoq; ibi videri ingentes ex auro ſerpentes, ac prægrandem ſolidam ex auro columnam. Aedium autem harũ ambitus perpetuo muro cingitur per ſingula latera ad paſſus mille; extrinſecus autem ſecus murum hunc perpetuum ambulacrum cum podio ac mutulis columniſq; exiguis extructum eſt, ita eminens,vt quæcunque inde circumcirca proſpectari poſſint.Extat præterea mons,quem manu cõfectum diximus: is porrigitur ad ſtadij vnius altitudinem,in imo vero ambitus eius eſt octo ſtadiorum,Pyramidis referens formam, quæ non quadrata,ſed teres ſit,totus arboribus conſitus perpetuoque virentibus.Memorat præterea eodem lib.2. c.68. regem Famfur eiuſdem Indiæ ad Quinſai vrbem,palatium decem millium paſſuum ambitu inhabitare,proque tanta amplitudine etiam ornatiſſimum atq; inſtructiſſimũ. Muros eius fuiſſe præaltos vndecunque: intrinſecus autem longiſſimas porticus auro & lazurio exornatas, inauratis columnis ſpectari, ſolaria omnia auro ornata: ædes quoque reliquas contiguas regiæ magnificentiæ congruas fuiſſe: & in ijs muliebria clauſtra ornatiſſima:leporaria quoq; & peramœnos lucos habuiſſe.Hæc Polus lib.2.cap. 68. Regem præterea quendam in regione Sinarum tradunt, qui ea loca luſtrarunt,admirandi artificij inhabitare ędes ampliſſimas.Primum illud eſt,eſſe palatiũ non muris fultum,ſed octo altiſſimis columnis totum ſuperpoſitum conſiſtere,non minore firmitate, quam ſi in ipſo firmiſſimo ſolo ampliſſimis fundamentis ſtabiliretur. Auget admirationem ipſa columnarũ altitudo,nam ipſis turrium fere altitudo eſt,aſſurgunt enim ad pedes 70.ſingulæ,quas bini homines

complecterentur. Aedes igitur his columnis ſuperſtructæ exornatiſſimæ ſunt, eximijs picturis exterius, muriſque ipſis etiam inauratis. Cæterum ſummus Sinarum rex (nam regibus multis dominatur) longe ſuntuoſiorem inhabitat regiam. Aulas etenim ſeptuaginta nouem ampliſſimas continet: atque tantæ vaſtitatis eſt, vt dies abſumatur tota in ipſis aulis cubiculiſque perluſtrandis. Ex ijs aulis quatuor inſigniores ſunt, vna inferne ſuperneque tota ære, alia argento tota, auro & encauſto alia, quarta vnionibus, pretioſiſque gemmis exornata contectaque eſt. Rex nullo lumine ſolis ſe ſpectandum præbet, ſed qui adſtant miniſtri, perpetuo faces accenſas præ manibus tenent. Si adeatur colloquij aut audiendorum legatorum cauſa, ingentem ingreditur ſerpentem artificio factum in palatina area locatum, cubiculi capacitatem habentem, ſex quoque neceſſarios ſecum ingredi iubet, feneſtella quoque in ſerpentis pectore eſt, vitro obducto, vt loquentes ipſe quidem videat, at ab ijs non videatur. Id tradit Anton. Pigafet. qui adijcit huic regi ſemper in ſtatione palatina cuſtodiæ cauſa decem militum millia excubare. Eſt palatium illud ambitu incredibili, cum ſeptemplices muri inuicem valde remoti omnia ædificia cingant. Viſitur ibi ſolium regium ex ebore, prorſusque contectum eſt gemmis pretioſiſſimis, adeo vt noctu micet coruſcetque in tenebris, Reb. Sin. libro tertio, capite ſecundo. Regis quoque inſulæ Zipanguri palatium omne laminis aureis, veluti apud nos plumbo, contectum eſt, ſolaria eius aureis laminis teguntur, adeo vt nihil audiri poſſit pretioſius. Sed & Iauæ maioris inſulæ regis palatium eſt, inq.

illud

illud pluribus gradibus conſcenditur,alterni ſunt locati gradus,vt alter aureus ſit, alter argenteus: ita quoque aularum muri hac alternatione contecti ſunt laminis , ſiniſter argenteis , dexter aureis,alius item argenteus,atque alius aureus. Tectum quoque eximio auro compoſitum eſt. Simulacra extant plurima ex auro , quorum capitibus diademata gemmis innumerabilibus exornata impoſita ſunt;qui ſpectatores fuerunt , referunt in orbe nihil reperiri precioſius. Nec prætermittendum videtur aliud,quod in Perſide eſt prope Taurim;eſt enim octangulare extrinſecus,intrinſecuſque encauſto atque auro incruſtatum. Continet eximij artificij atque amœnitatis incredibilis hortos.Eſt & illud non omittendum palatium, quod in ampliſſima vrbe Odia in Sornai regno conſpici tātummodo exterius licet:nemini etenim prorſus ingredi permiſſum eſt, præterquam regum oratoribus.Extrinſecus quidem ſtanno vndequaque muri obtecti ſunt: intrinſecus autem omnia auro contecta eximio conſpiciuntur. Ferdinand. Mendez anno Domini 1554.Hæc equidem in Aſia admiranda regum palatia, quibus ſimilia non conſpecta in Europa,quamquam artificio ſint aliqua memoratu digna,velut apud Conſtantinopolim recolit Luitprandus Ticinenſis Diaconus , quando Berengarij nomine ad Conſtantinum imperatorem legatione perfunctus eſt , anno Domini 950. Scribit enim ſe in regiam fuiſſe exceptū.Erat illa ornata ſumtuoſiſſime, ibi ærea inaurata arbor ante ipſius imperatoris ſolium aſſurgebat, expanſis magnum in modum ramis æreis atque inauratis, in his frequentiſſimæ variarum ſpecierum aues arte confictæ,quarum ſingulæ ſpecies proprias vo

ces cantuſq; emittebant incredibili arte. Regium autem ſolium miro erat confectum artificio, vt momento videretur humile, atque in ipſo ſolo eſſe velut depreſſum, poſtea momento in ſublime, elatumque apparebat, neque vlli cognitum eſſe poterat, qua id arte fieret, adeo ſublime, velut ſolario compar, conſpiceretur, nullis conſpectis, aut inſtrumentis, aut machinis: erant ſedilia eius ampliſſima, quæ leonum ſimulacra auro tecta cuſtodire viderentur. Delatus igitur eſt Luitprandus in imperatoris conſpectum, duorum eunuchorum humeris innixus, mox vbi coram adſtitit imperatori, leonum ſimulacra illa rugitum quendam emiſere: auium quoque ſimulacra quælibet pro ſua ſpecie vocibus obſtrepebant: ac cum pronus paulum ab imperatore diſtans illum adoraſſet in humili ſedentem, vix erigens ceruicem conſpicit illum, iam mutato imperiali amictu, iuxta aulæ laquearia ſublimem ſedere. Hæc qua arte confecta fuerint, nullo ingenio aſſequi ſe potuiſſe conteſtatur Luitprandus, niſi forte qua arte trapetiorum torcularia conficiuntur, celerrimo motu id fuiſſet excogitatum. Hæc ex illius libro 6. cap. 2. Et ſane in Piſaurienſi ducum Vrbinatũ villa imperiali conſpiciuntur ea arte confecta ſedilia, quæ quamquam pauimento ſint proxima, momento tamen in laquearia vſque tracta conſpiciũtur cum ſeſſoribus, trapetiorum ſimili vertigine, quinetiam in ipſum ſupra ſolarium feruntur, vt vlterius non conſpiciantur. Huiuſmodi atque alia in regijs domibus artificia in Europa non deſunt: nam & frondibus velut muris palatium in Hiſpania viſitur proxime Valentiam: hortos enim an ędes, neſcias, dignoſcere. Id his verbis Laurentius Valla exprimit, rerum

Hiſpan.

Hiſpan.lib.3.Proximè,inquit,Valentiam Hiſpaniæ horti ſunt,non tantum citris conſiti, ſed etiam citreis parietibus viuente materia concluſi,vt dubites,hortine ſint an ædes. Nam cum nihil aliud inſit, quam arbores frugiferæ atque felices, manu poſitæ,inſtitutæ, digeſtæ, quid niſi horti dicendi ſunt?Rurſum cum audis extrinſecus eſſe parietes, intus autem aulam,conclauia,curiam, item ſacella, altaria,ſedilia Canonicorum,thronum Epiſcopi & cætera huiuſmodi,non aliud quam ædes eſſe putaris.Sunt autem parietes ex truncis citrorum confecti & tamen frondibus veſtiti, vt percipi introrſum nequeant, nedum intrari: ita cum rami adoleſcunt,intorquentur atque inflectuntur,ita inſiti atque inſerti,conſiti atque conſerti coaleſcunt,vt omnes rimæ expleantur,vt nihil vacui relinquatur,vt pariter firmitatis & decoris ex frondibus ratio conſtet;eodem pacto introrſum, quæ enumeraui, compoſita ſunt, clericis laicisque deſeruientia: pauimentum laterculo quadrato vitreatoque ac picto conſtratum eſt, velut paradiſus quidam terreſtris. Hæc Vall. In Africa quoque recenſentur ædes regibus magnificentiſſimæ, velut apud Memphim deſcribit Iouius hiſtoriarum ſuarum libris. Sed illa admiranda eſt domus, quæ fuit Chebreni regis Aegyptij, cuius altitudo ad ſtadij menſuram porrigitur, pertingens ad cuiuslibet pyramidis ſummi cacuminis altitudinem; tota extructa ex Aethiopico lapide, & ne ſolum cœlum petere altitudo videretur, etiam inferna admiranda continebat: ſubterranea enim eius ad quadraginta deorſum pedes deſcendebant, Herod. lib. 2. cap. 10. Quæ quidem palatij ſtructura firmior eſt quam ea de qua Petrus

Mar-

Martyr meminit in ſummario rerum noui orbis. Tradit enim Abibeibam regulum inhabitare paludem ingentem, in qua arbores excelſæ frequentiſſimę, quæ perinde ac nemoroſo ſolo frondeāt. Ipſe igitur cum reliquo eius populo arbores inhabitat, conſtructis penſilibus caſis: tanta enim ſunt amplitudine arbores, vt octo viri coniunctis vlnis non complectantur. Ferunt igitur magnam illarum domorum cōtignationem, tametſi vento impellente nutare videatur, nullus tamen metus illis neque periculum, omnes illorum opes, gazæ, & theſauri, ſupellex, eſcę, in ijs domibus aſſeruantur, præter vinum: nullus ibi metus ferarum neq; hoſtium, niſi rate vehantur. Hæc ibi Petrus Martyr. Quin idem tradit in Caſtilia noui orbis populos adeo frequentes inhabitare plantis, vt dicere iure poſſis, oppida in arboribus eſſe. Atque his ſane longè minor ſumptus eſt in extruendis domibus, quàm reliquis noui orbis incolis, præſertim ſi comparentur indigenis prouinciæ Topiræ, in qua domos contegunt aureis laminis, ſi credere libet Franciſco Vaſquez, qui in illa vrbe nouæ Galitiæ præfecturam gerens eius rei literas cōſcripſit, quę extant apud Ramuſium tomo 3. Cæterum longe minori ſumtu ac longe minori ornatu ſunt domorum tecta Aquilonarium quorundam, quinetiam maiore emolumento; etenim nonnulli populi in domorum tectis ſerunt hordeum ac reliquas fruges: præpingui enim humo domorum tecta conſeruant, ſemperq; ea arte vireſcunt ad ſuum & pecoris alimentum. Adinueniendi autem circa tecta huiuſmodi induſtriam cauſa fuit frequentium fulminum metus: hi more etenim perpetuo virens olus diſijcit fulminum ignes, ne hæreant. Hæc Olaus

laus lib.12.cap.3.Eodemque nomine commendandi ſunt ij Aquilonares noui orbis populi, qui domos piſcium ingentium corijs contegunt,quod memorat Ramuſius tom.3.in Francia.

At quo feror? Omnia mundi climata percurro, omniaque adduco,quæ ad celebritatem vrbium,in quibus regiæ olim ſedes fuerunt, faciant. Externa allego,domeſtica negligo. Annon vnica Roma omnium vice ſit? præſertim ſi conſideretur , qualis olim fuerit;perquam enim multum ab antiquo illo ſplendore hodie receſſit. Audiamus vero Plinium de amplitudine vrbis Romæ libr.3. cap.5.loquentem: Vrbem tres partes habentem Romulus reliquit,aut (vt pluribus tradentibus credamus) quatuor.Mœnia eius collegere ambitu imperatoribus cenſoribusque Veſpaſianis,anno conditæ vrbis octingenteſimo vigeſimo octauo, paſſus tredecies mille ducentos, complexa montes ſeptem ipſa.Diuiditur in regiones quatuordecim, compita eorum ducenta ſexaginta quinque paſſuum eiuſdem ſpatij menſura currenti à milliario in capite Romani fori ſtatuto ad ſingulas portas, qui ſunt hodie numero 37.ita vt 12.portæ ſimul numerētur, prætereanturque ex veteribus ſeptem,quæ eſſe deſierunt.Efficit paſſus per directum trigeſies mille ſeptingentos ſexaginta quinque. Ad extrema vero tectorum cum caſtris prætorijs ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum.Quod ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æſtimationem concipiat, fateaturque nullius vrbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari.Clauditur ab oriente aggere Tarquinij Superbi inter prima opere mirabili; namque eum

muris

muris æquarunt, qua maxime patebat aditu plano. Cæterum munita erat præcelſis muris aut abruptis montibus, niſi quod expatiantia tecta multas addidere vrbes in prima regione. Hæc Plinius. Quibus perſuaſum nobis videri poteſt, venientibus Romam ædificia ac tecta reliqua vrbi adiacentia cœpiſſe videri: imo cœpiſſe eſſe Ocricoli oppido, quod hodie ab vrbe diſtat triginta & eo amplius paſſuum millibus; continuiſque ædificiorum ſtructuris hoc omne, quod ſupereſt, vſque Romam viæ hinc inde ornabatur, adeo vt qui paululum eius viæ ab Ocricolo confeciſſet, iam ſe Romam ingreſſum putaret, vt recolit Leander. Ideoque, quod Vopiſcus habet, Aurelianum imperatorem ampliaſſe vrbis Romæ muros ad quinquaginta fere millia paſſuũ, quod & Caſſiodorus habet in Chronico, & Oroſ. lib. 7. cap. 23. non ita accipiendum eſt, vt omnia ædificia hoc ambitu continerentur; ſed tantummodo ipſius vrbis mœnia monteſq; eius ſeptem: at ſuburbia tectaque reliqua extra vrbem ad eam dimenſionem, quam diximus ex Plinio, porrigebantur. Quod igitur Plinius ait, expatiantia tecta multas addidiſſe vrbes, argumento eſt, omnem circumcirca regionem ædificijs ita cultam, vt Romæ adeſſe quiſque videretur, etiam longe abſens. Id manifeſtum facit Conſtantius imperator & alij, vt ex Ammiano memorat Leander. Veniens Romam Conſtantius itineris comitem ſibi adhibuerat Hormiſdam, peritiſſimũ architectum genere Perſam: Ocricolo igitur diſcedens ſuis præcepit Conſtantius, ne quiſquam Hormiſdæ Romæ initium ſignificet, ſed ſuo ille iudicio animaduertat. Suburbiorum itaque parte maxima tranſacta, Hormiſdam interrogat imperator,

rator, quid ſibi de vrbe Roma videatur, & quantum iam itineris in ipſam confectum conficiendumue eſſet, reſpondit Perſa, putare iam vrbis dimidium inambulaſſe, adeo ſplendida continuaque iam ex Ocricolo ſuburbiorum ædificia ſemper fuerant ſpectata. Qui igitur nondum in vrbem peruenerat, iam ſe in vrbe eſſe putabat, cum multis adhuc abeſſet paſſuum millibus. Ex Ocricolo igitur ſuburbiorum erant initia : quod & Claudianus ſubindicat in ſexto Honorij conſulatu, vbi ſic habet:

Inde ſalutato libatis Tybride lymphis
Excipiunt arcus, operoſaq; ſemita vaſtis
Molibus, & quicquid tantæ promittitur vrbi.

Dionyſius quoque libro 4. ſuffragatur his verbis: Sunt omnia (inquit) circa vrbem habitata loca: multa ea & magna facilimaque aduenientibus hoſtibus fieri obnoxia: ſiq; aliquis ad hæc ſpectans velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit ſignum vllum certum, quouſque ſit hæc vrbs progreſſa, aut vnde eſſe non amplius vrbs incipiat, ita vrbi contexta eſt regio, præbetque ſpectantibus opinionem extenſæ in infinitum vrbis. Ariſtides quoq; ſic ait: Deſcendit hæc vrbs vſque ad mare, vbi commune emporium; communiſque omnium, quę terra eueniunt, diſpēſatio quacunq; in parte eius vrbis cōſtiterit quis, nihil prohibet, quo minus ſit pariter in medio: quicquid nunc Italiæ reſtat, completura eſſe mihi videtur : vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protenta. Hæc ille. Recolit eadem Antonius

Maſſa

Maſſa Galeſius I. C. apprime doctus in libello de origine Faliſcorum. Addere libet, quo magis miremur, & vt Plinium ſeniorem recte ſcripſiſſe teſtemur, ad ſeptuaginta millia paſſuum Romam protenſam fuiſſe; non modo vſque ad mare ipſam perueniſſe; verum etiam ipſum littus Oſtienſe ad multa paſſuum millia perpetuis propemodum ædificijs ornatum ſpectabatur. Referam in id verba Plinij iunioris in Epiſt. ad Gallum lib. 2. Littus (inquit) ornant varietate grauiſſima, nunc continua, nunc intermiſſa tecta villarum, quæ præſtant multarum vrbium faciem, ſiue ipſo mari, ſiue ipſo littore vtare. Hæc ille. Quanta autem eius vrbis tum maieſtas eſſet vel inde patet, quod mille ſenatores eſſe conſueuerant, licet plerique abortiui, ſed horum immodicum numerum correxit Auguſtus, cuilibet cenſu annuo aureorum triginta millium adſcripto, vt Sueton. memorat in reformatione ſenatus Octauij: & recolit Budæus de Aſſ. lib. 2. qui lib. 5. adijcit, cum ſenatoribus cenſus adſcriptus eſſet ſingulis ad quingenta ſeſtertia annua, paupertati tolerandæ id erogari conſueuiſſe: vt ita duodecim millium cenſus ſenatorius paupertatis nomē non amitteret, cum hodie in ſenatu ſacro, qui duodecim huiuſmodi millium aureorum cenſum habuerit, inter diuites conſcribatur, præter id, quod longe maioris æſtimationis erant Romanorum tempore illa duodecim, quam hodie triginta, adeo aureorum valor eſt immutatus. Attamen etiam Adriani tempore, cum is aliquando Centumcellas vrbem veterem ſcilicet refocillandi animi cauſa diuerteret (vt auctor eſt Cælius) cellas centum iudicibus, vt ſe ibi præſente cauſas audirent, extruxit, quæ poſtea in vrbis iuſtæ formam cum

creuiſſent,

creuiſſent, Saraceni Bernardi regis tempore (fuit autem hic Caroli M. nepos, qui Italiam Longobardis pulſis obtinebat) diruerunt. Hic D. Auguſtinus de Trinitate libros compoſuiſſe dicitur, teſte Egnatio in ſcholio ad Commodum. Ideo autem diximus Centumcellas vrbem veterem, vt moneamur, Centumcellas in Baiano quoque ſinu repertas, de quibus. Leander in Campania. Ciuium Romanorum copiam tradidere pleriſque in ijs Euſebius Chronico ſub Claudio, & Freculfus & alij, comperta fuiſſe aliquando ad L X I X. centena C L X I I I. millia, & eo amplius: quanquã nonnullis videatur, non ita ciues conſcriptos, qui Romæ degerent, ſed qui per orbem Romani ciuis nomine decorarentur. Quin &, vt Polybius ſcribit, in publicis Capitolinis tabulis fuiſſe deſcripta ex omni Italia ſeptingenta peditum millia, ac equitu millia ducenta. Sed quod nuſquam ab orbe condito contigit, erant ciuium Romanorum opes tantæ, vt diues non putaretur, qui annuo reditu ſuis ſumtibus legionem alere non poſſet: fuiſſeque eiuſmodi plurimos vel inde conſtat, quod Lucullus Romanus ciuis (quem Cicero & Cæſar Xerxem togatum appellabant, vt Plinius & Blondus memorant) ad viginti quinque hominum millia honorificentiſſime hoſpitio excipere poterat; nec tamen ipſe ſolus id potuit in vrbe Roma, quandoquidem viginti ciuium millia, & eo amplius in ipſa vrbe comperta memorantur, qui cum Lucullo de diuitijs contendere potuiſſent; vt ex vetuſtis monumentis ſolo argumento hoc Franciſcus Albertinus affirmabat Pontifici Romano Iulio II. omnibus, qui orbem incolunt, regibus perſuaderi potuiſſe, nullam vnquam vrbem fuiſſe futuramue,

quę Romæ diuitijs ęquari poſſet;vt autē veriſimile id videatur, ſuadet, quod Suetonius meminit, Cæſarem Campū Stellatē maioribus conſecratū, agrumque Campanum ad ſubſidia Reipublicæ vectigalem relictum diuiſiſſe extra ſortem viginti millibus ciuium, quibus terni pluresque liberi eſſent:quod munus tanti fecerunt ciues illi,qui acceperunt, vt tanquam vna ſodalitas inde effecti, pro communi omnibus elogio ac titulo in monumentis ſe ſinguli Stellates inſcripſerint,vt memorat Blondus, qui adijcit, intra vrbem ciues illos omnes fuiſſe conſcriptos, fuiſſeq; non ſolum viginti, ſed multo plura ciuium millia tum Romæ, qui ædium, ſuppellectilis, familiæ & apparatus omnis ſplendore, lautitiaque eminerent. Quantus autem ille Stellates campus eſſet, deprehendere licet è Liuij Decad.1.libr.3. libr.9.10.& Dec.3. libr.3.Quod ſi forte ambigamus, non viginti millia,ſed duo millia ciuiumRomanorum tantæ opulentiæ extitiſſe; adhuc incredibile videri poteſt & longe admirandum,vt ſi animis concordaſſent,potuiſſent milliones multos militum conſcribere, ſi vnicam tantum legionem quiſque eorum aluiſſet. Erant autem Romæ innumeri valde diuites, ſed in eorum, quos diximus, numerum non referebantur:ac prætermiſſis reliquis ſint nobis exemplo duo Plinij viri doctiſſimi & diuitijs etiam affluētes.Senior enim pręter id,quodRomanam claſſem imperio regebat,pecuniæ plurimum poſſedit; idq; inde deprehendimus,quod cum procuraret in Hiſpania,vendere potuerit electorum commētarios Largo Licinio quadringentis millibus numerum: reſpuiſſe autem tam magnam pretium conſtat ob id,quod ſibi affiueret pecunia. Scripſit hoc nepos Plinius

Plinius ad Marcum, lib. 3. Alter igitur hic iunior Plinius ditior certe fuit ſeniore auunculo: at opes eius in eum, quem diximus, ditiſſimorum, hominũ numerum referri non potuerant. Quantum autem pecuniarum illi affiueret, munificetia demoſtrat, qua ille non ſecus inſignis fuit, quam ſint noſtri temporis ſummi principes. Nam Quintiliani filiæ nubenti non rogatus vltroque contulit quinquaginta millia nummum, idq; munuſculum nuncupat ſcribens ad ipſum Quintilianum lib. 6. Romano quoque Firmo ſibi ab adoleſcentia cognito, vt in equeſtrem ordinem cooptari ille poſſet, dono dedit trecenta millia, extat Epiſt. libro 1. ad ipſum Romanum. Caluiniæ præterea affini centum millia dotis nomine largitus eſt: Epiſt. lib. 2. ad ipſam Caluiniam Suo quoque municipi Metilio Criſpo, vt ad equeſtrem ordinem, in quem conſcribebatur, ſeſe inſtrueret, dono dedit quadraginta millia. Epiſt. ad Hiſpanum libr. 6. Ad alẽdos ingenuos pueros quingenta millia contulit, triginta ſcilicet millia annua, Epiſt. ad Caninium libro 7. At quantus fuerit alias in res pro opportunitate abſumtarum pecuniarum numerus minore ſumma, quarum nulla in ſcriptis memoria? quantum quotidie, non dico in domeſtico ſumtu, in amicos, neceſſarios, calamitoſos quoque profuderit? illæ, quas diximus, ingentes erogationes nos docent, quantum minoribus erogare potuerit. Animaduertimus igitur liquido, num ſummi noſtri ſeculi principes illius munificentiam ſuperent. Erant certe illi villæ tanto ornatu & ſumptu excultæ, vt regiam maieſtatem adæquarent. Tuſci ſui villa ſcilicet apud Tifernates, ſicut & Laurentini in littore

Tyrrheni maris, de quibus ſcripſit ſuis Epiſtolis diſertiſſime, regum magnificentiam adæquabant. Habuit præterea plures villas in ripis lacus Larij: habuit Præneſtinam, Tuſculanam ac Tyburtinam ſplendidas omnes; habuit & alias, quarum vnam vendere potuit nongentis millibus: ipſe id memorat Epiſtolis ad Fabatum, & ad Coreliam libro tertio. Quid moror? additamentum villæ vnius illi fuit emtum ſeſtertio tricies, id eſt, octoginta fere millibus aureorum, Epiſt. ad Caluiſium Ruffum libro 3. Sed cur adeo multa de iuniore Plinio? ob id certe, quod quicquid confert ad eius gloriam, recidit ad Chriſtianorum laudem. Deus enim cœli & terræ dominus contulit homini viuenti, velut rependens gratiam humanarum rerum, quod apud Traianum imperatorem ſuis ex Aſia literis egerit, vt perſecutio Chriſtianorum intermitteretur, quod exorauit, editis in id à Traiano publicis literis: cum ipſe Plinius iam pridem, quoad ſe ſpectaret, abſtinuiſſet perſecutione Chriſtianorum, quorum inſtitutum potius laudaret: extant enim & ipſius Plinij & Traiani literæ libro decimo. Aequum igitur fuit, vt tanti hominis acta hoc loco recēſerentur. Libet præterea & de Senica Sancti Apoſtoli familiari recolere, ter millies ſeſtertium habuiſſe, Tacito & Budæo teſtibus; atque ita ſupra ſeptem milliones poſſedit. Et eæ quoque Senecæ opes non conſcribuntur inter eas quas ſupra diximus. Sed de hac re hactenus.

Excedebat igitur Romana mayieſtas omnem orbem, iureque Cyneas Pyrrhi Epirotarum regis legatus & Conſtātinus imperator Conſtantini Magni filius dictitabant: ſeſe in vrbe tot proſpectare reges, quot ciues viderent. Externæ autem

vrbes,quarum meminibus,non adeo omni ex parte Romæ comparandæ ſunt, licet aliquo nomine ei præferantur, vel ambitu, vel ciuium numero, vel populorum adiacentium illa incredibili multitudine, quam apud Mexicum eſſe recoluimus.

Sane ſolitudini Roma eſſet ſimilior quam vrbi,niſi ſedes Pontificalis ibi fixa viris principibus, nobilibus ac prælatis vrbem augeret; niſi maximo hominum numero, qui ſibi & ſuis inſeruiunt, vrbem repleret;niſi ſplendidiſſimis ædificijs,aquę ductibus,fontibus,vicis,alijſque rebus nitidiſſime vrbem exornaret;niſi venerandis negotijs, quorum nonnulla cultum religioſum, nonnulla ciuilem politiam concernunt, eccleſiaſticos reditus impenderet;niſi his rationibus tot negotiatores, tot propolas,tot artifices,tot opificia, eorumque cultores attraheret & detineret. Rebus ergo ita vt nunc,ſeu olim verius, Romæ ſtantibus, non facile ea vrbs alteri vrbi, quæcunque tandem ea ſit, omni ex parte ceſſerit.

(***)

VTRVM EXPEDIAT CIVITATI, PAVCOS AN VERO MULTOS HABERE CIUES?

CVM nimia hominum frequentia ciuilis vitæ ordinem & diſciplinam reddat difficiliorem: quandoquidem multitudo perpetuis erroribus implicatur: viſum fuit veteribus vrbium fundatoribus certum ciuium numerum deſignare, qui ſi excederetur, fieri haudquaquam poſſe putabant, vt Reip. ſuæ pax & tranquillitas conſtaret. In hac opinione fuerunt Lycurgus, Solon, Ariſtoteles & alij plures. Cuius rei hanc potiſſimũ habuerunt rationem, quod rara ſit in nimia multitudine (quæ præter loci capacitatem confluxit) concordia, rara morum ac ſtudiorum ſimilitudo; quocirca optimam eam eſſe Reipubl. formam ſtatuerunt, ſi, quantumuis immenſa & numeroſa, ciuitas ex medijs ciuibus ſit compacta ac conſtituta, quæ neque abundantia rerum nimia inſoleſcere, neque nimia rerum penuria contabeſcere videatur, vbi quiſque ſorte ac fortuna ſua contentus in ea viuit, minuſque aliena appetit, vnde magna vis amicitiæ ciuilis naſcitur, in qua viuit, viget, floret & conſeruatur ciuitas: quo ergo maiores ſunt ciuitates ex medijs ciuibus cõſtitutæ, eo minus ſeditionibus ſunt obnoxiæ, atq; ob eam cauſam magis ſunt ſtabiles ac diuturnæ: quæ quidem eſt ſentẽtia Ariſt. Poli. c. 2. & 5. & Pla. 3. de legib. Quibus & hoc additur, quod vbi de quantitate ac numero ciuium certo conſtat, non tam procliue ac facile in ferendis legibus erratur, omnino enim leges pro quantitate & qualitate ciuium temperandæ ſunt, ne ſuſ-

ceptus

ceptus labor in legibus ferendis inanis & otioſus fiat,ne concentus & harmonia ciuium in extrema. diuitum pauperumq; odia diſcordiaſq; commutetur,vnde velut paralyſis & conuulſio membrorũ in corpore ciuili non ſine magno diſpendio naſcitur Sicut enim quantitatis ac qualitatis proportio in corpore naturali venuſtatem:ita vtriuſque debita conſideratio in corpore ciuili ſingularem vnitatem efficit:quippe vt illis in quandã temperiẽ naturæ vi redactis multa membra ſpecie diſtincta vnum corpus:ita eiſdem in ciuitate ad quendã cõſenſum deductis variæ Reip.partes,quæ officio diſtinctæ ſunt,vna ciuitas efficiuntur;quę ſi intra prędictos terminos contineatur,non eſt, vt ait Ariſt. verendum ciuium diuortium. Inuehiturq; Ariſt. grauiter in eós,qui à multitudine ciuium potentiã ciuitatis magnam metiũtur ac definiunt. Magnum enim (inqũit) proprie id dicitur, quod opus,ad quod deſtinatur , expedite poteſt perficere; hoc autem in ciuitate non immenſa turba numeroque hominum,ſed certa & excellenti facultate ciuium definitur;non ergo (concludit Ariſt.) à vaſtitate loci,non à ciuium numeroſa turba , non à multitudine rerum,ſed ab egregia potentia & (vt ita loquar)ſufficientia feliciter ac fortunate agendi magnitudo ciuitatis pendet. Nam quemadmodum in re militari non militum confertiſſima multitudo , ſed vis & ordo magnam,victoriam præſtat:ita in re ciuili non ſylua hominũ,ſed optima diſpoſitio & potentia ciuium magnam vrbem aut ciuitatem facit. Altera ratio à comparatione ducta ſuas vires in natura habet. Sic enim Ariſtoteles:Ciuitas magna dicitur,vt Medicus ille Hippocrates magnus fuit;non quidem vaſtitate cor-

poris ſed artis excellentia: ſic ciuitas magna non numero ſed potentia habenda erit. Deeſſe in hac re exempla non poſſunt, ſic magnus Alexander, magnus Pompeius, ſic Magnus Cæſar fuit. Præterea cum multitudo in ciuitate ſit duplex, ciuium nimirum & eorum qui ſerui, inquilini & peregrini dicuntur, quodſi ſeruorum ac peregrinorum augeatur numerus, funeſtior ciuitati afferri peſtis non poteſt. Inſuper conſerta, &, vt ita loquar, infinita hominum caterua nec facile in ordinem cogi, nec ratione coerceri, nec legibus ſapienter dirigi & gubernari poteſt. Impedit enim rectam imperandi formam numeroſa multitudo hominum, niſi diuina mens ac potentia eſſet, quæ ciuitatem & vrbem, vt Deus vbique ſubſiſtens, terrarum orbem regere: nimia ergo & exuperans multitudo ciuitatis leges violat, ordinem peruertit, dignitatem obſcurat, contemnit magiſtratum, omnem perniciem ac confuſionem parit.

Verumtamen quoniam multitudo ad complendam ciuitatis magnitudinem requiritur, quanta & qualis debeat eſſe hæc magnitudo, dubitari non abs re poteſt. Huic ergo dubitationi obuiaturus Ariſtoteles, quandam, inquit, magnitudinem requiri numero completam, hoc addito, vt neq; excedat modum neque deficiat nimium; iuſtam autē proportionem noueris, ſi egregie præſtare poſſit ciuitas id operis, ad quod deſtinatur. Nam vt ſatis tum ſanum corpus humanum dicitur, cum nulla vel totius vel partis actio impeditur: ita ciuitas ſatis tum magna habetur, cum facile ſuis officijs muneribusque fungitur. Sic enim fit in ciuitate, vt in natura artiſue opere: nam vt animal, homo, planta reſpectu naturæ (ad proportionem perducentis

omnia)

omnia) ſi partes abundet aut deficiant, dicuntur monſtra; & vt nauigium palmi vnius longitudinis aut ad duorum ſtadiorum longitudinem porrectũ omnino inutile & ineptũ eſt nauigationi, aut quia nimis paruum, aut quia nimis magnum exiſtit: ita ciuitas quæ nullã ſymmetriam & proportionem ſuæ magnitudinis & paruitatis habet, habetur illa quidem aut vana aut nulla. Nam ſi ſit nimis exigua, omni euentu fortunæ deficit & labaſcit; ſi vero ſit inſtar Babylonis immenſa, præco (vt inquit Ariſtoteles) ſonoram vocem Stentoris habere debet; nam aliter in publicandis edictis percipi & audiri non poteſt; quaſi diceret, ſi ciuitas ſit nimis magna, confuſa quoque erit. Concludit ergo, ciuitatem tum eſſe ſatis magnam, cum tanta in ea eſt multitudo, quanta ad bene beateque viuendum ſufficit, quæque ſuis bonis contenta eſt. Ad extremum; In vaſta & nimis populoſa ciuitate ciuium claſſes non ſunt probe diſtinctæ, illorum ordines non ſunt ſatis noti, imo quod eſt maximum, ciues ciuibus, & illorum ordines magiſtratibus ignoti ſunt, ibi neceſſe eſt munera ciuitatis minus conſiderate diſtribui, iudiciaque minus iuſte & ſapienter fieri; circa quæ duo aut negligenter agere aut turpiter errare valde periculoſum eſt ciuitati. Nõ ergo in populoſa multitudine hominum, ſed in iuſta proportione ac potentia ciuium materia ciuitatis aut magnitudo cernitur. Atque huculque ex ſententia Ariſtotelis.

Romani vero, quibus exploratum erat, potentiam, ſine qua reſpublica ſtare non poteſt, maxima ex parte in populi multitudine conſiſtere, omnem mouerunt lapidem in augenda patria tam ædificiorum numero quam hominum. De quo etiam

iam ſupra in libro de Illuſt. ſtatu prolixe dictum fuit.

Sane ſi pari ingeniorum ac morum ratione omnes homines ducerentur, vtique veterum opinio non eſſet admodum improbanda. Cum vero aurum non ſit ſine ſcoria, granum ſit ſine palea, id eſt, cum homines non ſine infirmitate viuant, & loco iuſtitiæ atque æquitatis, vis prædominetur, ob id Græcorum opinioni, Latinorum ſententiam anteponendam merito ſtatuo. Docent enim hiſtoriæ, Lacedæmonum & Athenienſium res publicas (cæteras iam omitto) amiſſis in prœlio ſeptendecim virorum millibus, ilico concidiſſe: Romani vero quamuis pluries victi cederent, victores tandem triumphaſſe. Certum eſt, Romanos in bellis contra Pyrrhum, Carthaginenſes, Numantinos, Vitiatum, Sertorium, maiores accepiſſe clades, quam hoſtes; nihilominus tamen ſemper victores extiterunt, beneficio multitudinis, qua hoſtem quantumuis fortem & alacrem non raro ipſi ſparſi & repreſſi non minus quam fortitudine ſuperarunt.

QVID

QVID CAVSAE SIT, QVOD VRBES, floris ſui maturitatem aſſecutę, raro maius ſumant augmentum imo ſæpius decreſcant.

NON deſunt qui hactenus adductas rationes, quaſque poſterior ætas inueniat, iudicent ineptiores, quam quæ acceſſiones perpetuas ciuitatibus adiungant. Itaque prope conſiderandum, ecquid cauſæ ſit, quod vrbs certam potentiæ metam ſemel aſſecuta non altius progrediatur, maiorique ciuium numero non augeatur.

Satis documenti in omnes caſus eſt Roma; quæ teſte Dionyſio Halycarnaſſæo, cum primum à Romulo conderetur, 3300. viris bellicoſis conſtabat, atque intra triginta ſeptem illos annos, quibus Romulus regnauit, ita excreuit ciuium numerus, vt adhuc eo viuo quadraginta millia ſeptem millia virorum bellicoſorum Romæ numerentur. Centum & ſeptem annis poſt obitum Romuli, regnante Seruio Tullio Romanorum rege, ciuium qui arma ferre poterant octuaginta millia Romæ numerabantur. Tandem creſcens vrbis potentia ad quadringenties quinquagies millia peruenit. Hinc quæſtionis eſt, cur Romana incunabula ad tam immenſam potentiam excreuerint, multitudinem autem illam nunquam tranſcenderint? Quod idem de Venetijs ac Mediolano quæri eadem prorſus ratione poteſt, quippe quæ

& ip-

& ipſæ ante annos quadringentos tanta ciuium multitudine,quanta hodie,conſtiterunt.

Sunt qui peſtem,bella,annonæ caritatem aliaq; accuſent.Querela certe, me iudice, iniqua. Quæ enim hominum ætas nō ſenſit graſſantem peſtem? An non plures olim in prælijs cecidere quam nūc? Aperto marte veteres confligebant, vbi tribus horis maior expirantium numerus erat,quam aliquot annis iam hoſtis obtruncat. Hodie aperto Marte nunquam fere pugnatur. Muri hodie loco clypeorum obiectantur,intra quos deliteſcitur, è quorum angulis plerique inſidioſe conficiuntur; raſtra & arma pugnantium æquali ſunt pretio. Quinetiam mundo ſuæ ſemper fuerunt viciſſitudines:tam annonæ vilitas quam caritas, tam ſanus quam infectus aer fuit; quod cum ex hiſtoriarum monumentis ſatis conſtet, longius non abibo.

Quid igitur?Cur auctæ vrbes vt ab initio, porro non itidem augentur? Adferunt huc nonnulli Dei omnipotentis, qui cuncta gubernat immotam voluntatem,fatalemq; ordinationem. Verum hoc dubium nemini. Poſteaquam vero diuina ſapientia,nullis terminis, nullis finibus circundata & incluſa in omnia diffuſa eſt,in gubernando naturæ curſu non reijciens cauſas ſecundas vlterius quæro:Quænam illa ſunt media quibus vſa diuina prouidentia pauca multiplicat & auget, aucta vero intra certas metas cohibet, vlterius vt progredi non queant.

Pro quæſtionis ſolutione aio,poſſe ſimiliter de genere humano quæri, Propagatum enim ab vno mare & fœmina intra tria millia annorū ita auctū eſt, vt & inſulas maris & continentem ſuo ſemine

replerit. Cur vero illius temporis augmenta deſierunt? cur noſtra ætate non ſimiliter multiplicantur?

Vt autem quæſtione ſatisfaciam, ita ad eam reſpondebo, vt non tam ad ciuitates, quæ numero ciuium non amplius augentur, ſed etiam ad vniuerſum hoc mundi theatrum applicari hæc reſponſio poſſit. Aio itaque:

Multitudinem ciuitatis aut à virtute generatiua aut à nutritiua proficiſci. Virtus Generatiua vſque huc ſui ſimilis: aut ſaltem ita comparata, qualis fuit ante tria millia annorum. Aeque enim homines ad ſuſcipiendam prolem apti ſunt, atque tempore Dauidis, Moyſis. Fac igitur nihil aliud obſtare, annon vrbium incrementa erunt infinita? Poſteaquam vero in infinitum non augentur, eſt vt ſublato digito fatearis, rem omnem inopiæ alimẽmentorum imputandam.

Alimenta aut ex noſtra tellure, aut peregrina petuntur. Omniſque vrbis incrementa victualibus aliunde inuectis iuuantur. Vt autem obtineamus, frumenta ex longe remotis terris nobis aduehi, eſt vt virtus attractiua tantarum ſit virium, quæ vincant ſalebras & aſperitates regionum, vallium profunditates, impetus torrentium, pericula maris, inſidias piratarum, inſtabilitatem ventorum, magnitudinem ſumtuum, incommoditates viarũ, inuidiam vicinorum, inimicitias hoſtium, tempus vecturæ, annonæ caritatem in ijs locis, vnde merces deportantur, diſſidia nationum, diſparitatem religionis, &c. Hæc enim omnia pariter cum incremento & decremento vrbis accreſcunt & decreſcunt: donec eo deueniat potentiæ vbi humanæ inuidiæ & odio nullus amplius detur locus.

Quis

Quis enim quæſo perſuaſerit mercatori, vt frumenta ex India Romam mittat: aut, vt Romanus, ea inde expectet. Fac autem vtrinque mitti & expectari, quis in regionibus illis vbiq; pollicebitur lætos & vberrimos frugum prouentus, populorũ amicitias & pacem? commeatus & itinera tuta? Aut quo pacto Romám inuehuntur frumenta illæſis aurigis aut baiulis, ne labori ſuccumbant & ſine fortunarum diſpendio eant.

Vel vnicum de his impedimentis ſufficit ad diſjiciendum vrbium ciues, externo auxilio deſtitutos, tot vero & tantis incommoditatibus immerſos, & diſpergendum. Vel vnica caritas, famis bellique violentia, impedimenta negotiationum aliaque ſat virium habent ad commouendos ciues, vt, (ceu hirundines aduentante hyeme) conclamatis vaſis alio ſe recipiant.

Ordinaria ciuitatum magnitudo conſiſtit in his terminis, quibus vix contentæ eſſe poſſunt. Omnis vero ciuitas, quæ alimenta ſua aliunde per prædictas incommoditates contrahit, diu durare nequit. Sic enim affectus eſt quiſque, vt omnes opportunitatis, quæ obuiæ patent, quam diligentiſſime captet.

Accedit huc quod vrbes maiores caritatibus facilius ſubiaceant, quam minores: quod pluribus alimentis egent. Grauius etiam peſtis illis immorari ſolet, quia lues illa vrbes hominibus pluribus abundantes vehementiore contagio afficit, pluresque tollit, quam pagos, vbi minor eſt hominum frequentia. Paucis vt perſtringam; A magnis vrbibus nihil illorum abeſt, quæ ſupra recenſui: cum quoque pluribus indigeat, quæ ex ſe mutuari nequit. Hinc effectum eſt, vt, quamuis eadem vis ge-

nerandæ prolis & in primis Romæ auſpicijs & in eiuſdem flore permanſerit in ciuibus, nihilominus ceu pede fixo ſubſtiterit: quia virtus Nutritiua altius aſcendere nequiuit. Subſequentibus temporibus, cum victualia magis magiſque deficerent, aut nulla iuncta ſunt matrimonia, aut vt maxime iuncta ſint, liberi tamen egeſtate preſſi animo ab educenda prole abiecto, ex patria meliorem fortunam periclitaturi migrarunt. Huic malo vt Romani tempeſtiue occurrerent, colonias deduxerunt: ſolum eo, vt ceu plantæ translatæ latior illis anſa præberetur ad commodiorem vitæ ſuſtentationem.

Sic quoque genus humanum certum numerum attigit, nunquam cancellos, quibus ſeipſum quaſi circumdedit, transgreſſum. Abierunt autem tria millia annorum, cum non minor, atque nunc eſt, in mundo viueret hominum copia. Fructus enim terræ non ſufficiunt pluribus alendis. In Meſopota mia primū genus humanum augeſcere cœpit: inde progreſſu temporis in omnes terræ fines eſt diffuſum. Tādem repleta continente inſulæ habitari cęptæ: donec tandem multis vertentibus annis etiam illas regiones, quas hodie nouum mundū appellāt occuparūt. Quod quæſo ſub ſole exiſtit peius Eridis pomum, quod maioribus diſſidijs, rixis, pugnis horribiliore ſanguinis effuſione defendere quiſq; conatur, quam tellus, victus, ſediſq; inhabitandæ commoditas? Sucui laudi ſibi ducunt, quod regiones ipſis conterminas per aliquot centum milliaria ſteriles effectas deuaſtarunt. In nouis inſulis, in inſula Dominica finitimiſque locis incolæ exeunt homines venaturi, quemadmodum nos ceruos aut lepores ſectamur, & carne humana ceu

feri-

ferina veſcuntur. Hos imitantur quidam populi in Braſilia, præcipue Aymurij, vt vocantur. Mactãt ij & viuos deuorant liberos, filię ſiue filij ſint perinde illis eſt. Grauidas mulieres diſſecant, fœtum excindunt, ſuper prunis aſſant, & in conſpectu parentum deglutiunt, id quod horrẽdum eſt auditu, nedum viſu.

In Guinea adeo pauperes & egeni plerique viuunt, vt ſuos filios admodum vili pretio Mauris vendant in barbariam abducturis: aut Luſitanis vẽdunt in nouas inſulas abducendos; aut Caſtilianis in nouas inſulas ablegandos. Idem quoq; accidit in Peru, cuius incolæ liberos ſuos fere nullo pretio vendunt proximo cuique obuio. Ad hãc aſtorgiam egeſtas cogit, quæ fere impoſſibilem reddit ſobolis educationem. Tartari & Arabes ex ſolo rapto viuunt. Naſamoni & Cafri, plane feri in Aethiopia, ſimiliter ex rapto viuunt, naufragos deprædantes: id quod ſæpius experti ſunt Portugalenſes.

Neque obſcurum cuiquam puto, Gallos. Teutones, Gotthos, Vngaros, Anaros, Tartaros alioſque populos, cum patria anguſtior eſſet, quam vt omnes caperet & aleret, haud ſemel in exteras regiones eiectis incolis migraſſe. Hinc intra aliquot ſecula tot mutationes paſſim in Europa atque Aſia, quarum regiones atque vrbes aduẽtitia gens pulſis primis colonis occupauit. Ratio in promptu eſt aut enim nimiam incolarum multitudinem patria non ferebat: aut melioris vitæ alibi ducendæ deſiderio illi tenebantur.

Vnde quæſo ſubortæ prædationes & latrocinia, annon ex paupertatis miſeria? Vnde tot contentiones & cõtrouerſiæ finium herciſcundorum, annon

annon ex ditionis incapacitate?Limites, foſſæ, ſepes,maceriæ, &c.quibus prædia circundamus, cuſtodes vuarum & frugum, fores ædium, ſeræ & peſſuli, canes appoſiti,annon ſatis arguunt mundi anguſtiam, quæ tenuius neceſſaria ſuppeditat,minuſque deſideria explet? Quid commemorem cruenta,arma,in quę inuicem procumbimus?Quid ſæua & diuturna bella omnia proruentia?Quid cõmeatus,munitiones,præſidia,expeditiones? quid muros.

Neque hæc malorum lerna omnia continet. Accedunt enim præterea ſoli ſterilitatis, annonæ caritates,occultæ & peſtiferæ cœli energeiæ & influentiæ,morbi contagioſi, peſtis, terræmotus,inundationes maris aliarumque aquarum, & ſi quæ ſunt vt certe ſunt,innumera alia. Annon his omnibus & ſingulis ſatis efficax vix ineſt euertendi vrbem,transferendi regna,nunc hos nunc illos incolas eijciendi?Quæ cum ita ſint,nemo eſt qui iam non videat cauſam, cur humani generis originalis amplificatio hodie ſubſidat.

QVIBVS ADMINICVLIS PARTA dignitas & magnitudo conſeruetur.

POSTEAQVAM vrbem noſtram produximus ad dignitatem & amplitudinem quam habitus & natura ſitus prædictarum rationum ferre poteſt: omni cura enitendum eſt, qui dignitas & magnitudo parata conſeruetur. Simul & ſemel vt dicam:neceſſaria omnino hic requirũtur.Iuſtitia,Pax,& Abundantia.Iuſtitia ſuum cuique tribuit,fortunaſque noſtras in tuto locat, nec eſt perſonarum acceptrix, potẽtiorem imbecillo,

diuitem inopi, gentilem inquilino, ciuem aduenæ, patricium plebeio minime anteponit, ſed æquabile ius vniuerſis impertitur. Atque hoc vel ſolo iuſtitiæ nomine, quippe quæ omnes ſub ſe virtutes continet optime quæq; reſpublicæ commendatur. Hinc tanquam pro inſigni iuſtitiæ Romanis olim gladius ad deterrendos ſeditioſos & ſceleratos publicæ propoſitus fuit. Vt enim ſecũdum Feſtum, apud eos inſigne imperij & armorum haſta fuit (Proconſules enim de ciuilibus prouincialiũ cauſis cognoſcentes, pro tribunali haſtam erigebant) ita in facinoroſos, homines animaduertentibus illis gladius ſemper in conſpectu erat, ſicut erudite admodum illud tradit Iacobus Ræuardi, libr. 2. de diuerſ. reg. iuris, vbi ita ſcribit: Sæuit inuicem diſcordantium rabies, & inter togas, pace rupta, forũ litibus mugit inſanũ: haſta illic & gladius & carnifex præſto eſt. Huc pertinet quod Dio de Traiano ſcribit. Nam cum præfectum prætorio, quem creauerat, circundaturus eſſet enſe, nudum eum illi porrexit. Cape hunc, dixit, & ſiquidem bene imperauero, pro me hoc vtere: Sin male, aduerſus me. Hoc etiam attigit Plinius, vbi eum ita commendat, Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora: adeunt ſtatimque dimittuntur. Traiano quoque attribuit Aurelius Victor tres inſignes virtutes: Sanctitatem domi: Fortitudinem in bellis & armis: Iuſtitiam & prudentiam vtrobique. Sic videmus gladium euaginatum, quod in ſolennitatibus imperatori & regibus præfertur, indicare iuſtitiam, vt terror ſontibus incutiatur & inſontes ſciant, ſe ſub protectione ſummi magiſtratibus ab iniuria & vi tutos eſſe. Hoc quoque olim apud Maſſilienſes vſitatum fuiſſe, teſtatur

ſtatur Valerius Max. Cæterum, inquit, à condita vrbe gladius eſt ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index, in minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda. Moribus quoque noſtris receptum eſt, quando equites, qui aurati vulgo vocantur, à Cæſare vel Regibus creari ſolent, vt gladius euaginatus illis tradatur, eorũque humeri leuiter eo perſtringantur, cum commonefactione, vt iuſtitiam foueant, viduas, pupillos aliaſque miſerabiles perſonas à vi iniuriave defendant. Quid quod adhuc, vt fertur, in quadam imperij vrbe extat gladius rubigine propemodum non ſecus ac Maſſilienſis, exeſus, quo olim coactus fuit is, qui poſtremo in ſenatum eorum aſſumtus fuerat, ſupplicium de ſontibus ſumere. Neque illi hoc ignominioſum ſed potius honorificum, vtpote factum ad tuendam iuſtitiam, fuit. Huc referri poteſt, quod in quibuſdam locis Franciæ orientalis longiſſima cõſuetudine receptum eſt, vt is, qui in pago aliquo, vbi furtum commiſſum eſt, nuperrime vxorem duxit, furi in flagranti cimine depre henſo, laqueum innectat; poſt omnes eius loci viri, quando nouus ille maritus ſignum eis peculiare dat, inprimis autem Sculteti, quorum quandoque plures propter diuerſas, iuriſdictiones vno in loco ius dicunt, illi adiutores, eſſe ſolent, vt fur de annoſa & mutilata extantibus ramiſquercu, ad hanc rem ſuperioribus ſeculis delecta, ſuſpendatur. Sic Maximilianum. I. huius nominis, Cæſarem, ferunt loca deſtinata ad ſupplicia ſontium, venerabundum cum hac voce, SALVE IVSTITIA, præterire ſolitum. Legimus quoque in Genealogijs Comitũ Flandriæ, Balduinũ XII. Co

mitem,tam ſeuerum in puniẽdis criminibus fuiſſe,vt à ſecuri,qua de ſontibus tum temporis ſupplicium ſumebatur,cognominatus ſit,ideoq; cum ſecuri,veluti peculiari nota ibi depingitur. Hic vndecim equeſtri dignitate viris, eo quod tres mercatores ſpoliaſſent,eoſq; interfeciſſent, in palatiũ ſuum vocatis, & in tabulam collocatis, laqueos ſingulis inijci iuſſit:poſt proprijs manibus ſubtracta tabula illis gulam fregit.

De Alexandro Seuero imperatore Lampridius in eius vita, (quem citat Eraſmus in Chiliad.)ita ſcribit:Si vnquam furem vidiſſet iudicem, paratũ habebat digitum,vt illi oculum erueret; tãto odio proſequebatur iudices, qui furtorum fama laboraſſent, vt ſi eos caſu aliquo videret,commotione animi choleram ſtomacho euomeret, toto vultu inardeſcente.Sic de Bruto,Conſule Romano, ita ſcribit Matthęus Boſſus:Quanti (inquit)extitit incomparabilis illa & immortalis Bruti ſeueritas, qui patriæ libertate tuenda filios de reducendis regibus cogitantes,interimere nõ dubitauit, exutus tenerum genitoris affectum,& infractum indutus Conſulis animum. Quale illud tribunal aut quale ſpectaculum,Deus immortalis, vbi tam diſtrictæ iuſtitiæ tamque ſeueræ vltionis laus cũ natura ipſa & pietate pugnabat?Videbas Brute filios ſeruari tua indulgentia poſſe,ſed contra glorię tuę & perpetuo nomini pluris ſtare ſplendorem iuſtitiæ libertatemq; ſeruatam. Te ſpectante lictor ſublata ſecuri filiorum ceruicibus imminebat intendens iuſſuro tibi quid velles.Filij in te cõuerſi, Parce,ô genitor,& ſerua nos tibi, præcari non deſinebant.Quid agis Brute, quo te vertis in tam graui & ancipiti luctа? Si te liberis orbas, infelix.Si

parcis,

parcis,iniuſtus.At tandem non quod paternum & iucundum,& molle,ſed quod honeſtum & probabile videbatur deliberans,Percute,inquis,

Vincat amor patriæ laudiſq; immenſa cupido.

Cæterum de iuſtitia extant paſſim tam apud ſacros quam profanos ſcriptores commonefactiones grauiſſimæ.Sic enim extàt Sap.1.capite.Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Iuſtitia enim perpetua & immortalis eſt. Iniuſtitia autem mortis acquiſitio.Et Eccleſiaſt.4. In iuſtitia agonizari pro anima tua vſque ad mortem:certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Bonique adeo principis,vt inquit Euſebius Sardus, hoc vnũ proprium lucrum & inſtar infinitorum aliorũ eſt, omnia ſic facere,vt & in ipſo imperij tempore, & poſt id,iuſtitiæ ac bonorum omnium à ſubiectis teſtimonium habeat.Intelligatq; (vt idem ait) vir princeps, quod qualis fuerit ipſarum rerũ actionumq;, quas agit,natura, talem quoq; ex ipſis memoriam & famam vel bonam vel malam conſecuturus ſit.His conſideratis ita demum alterutram viam ingrediatur, vel eam quæ perducit ad infamiam,vel quæ ad memoriæ ſplendorem: & illam, quę ei melior futura videbitur,anteponat.Ibidem: Principatum gerens ne reminiſcaris inimicitiarũ & diſſenſionum,ſi quæ prius tibi cum aliquibus interceſſerunt. Non enim ad regnandum promotus es,vt teipſum vlciſcaris, verum vt imperio tuo ſubditos etiam ab aliorũ inſidijs ſecuros atque tutos cuſtodires: & vt cuſtos eſſes recti & magnæ Deæ Iuſtitiæ miniſter ac interpres. Itaq; ſi quid admiſeris præter eius ſententiã aut deceperis ipſam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipſa, tum à conſtitutis circa eam genijs cuſtodibus &

vltoribus pro factis vindictam expectato. Præterea ſi conſtitutus in magiſtratu inimicitiæ memor fueris, in deteriorem conditionem teipſum das, & grauitate ac ſanctitate, quæ requiritur in principe, teipſum priuabis apud conſcios tibi, quod inimiciæ indulgeas, & pro ſanctiſſimis nominibus, & pro iudice, inquam, ac principe cauſum agentium hoſtis eorum turpiſſimo nomine appellandus ſis. Quin deprehenſa veritate agnitaque iuſtitia nihil moreris, quod ius iubet, pronunciare atque exequi, idque impigre ac citra moram, niſi grauis obſtet, neceſſitas. Id, quod paucis admodũ hodie quidem curæ eſt. Quo fit etiam, vt non ſolum pleroſque in annos, ſed integram ferme hominum ætatem lites protrahantur, fatigentq; interdum etiam primam atque alteram ſobolem, exhauriantur patrimonia, rabie veluti igni incendantur hominum odia, manus excitentur ad cædem, periclitenturque ſalus ipſa cum rebus. Addamus, quibus interim curis, moleſtijs, anxietatibus vitam agunt, qui lites gerunt. Nihil ſane miſerabilius, nihil infelicius, nihil calamitoſius iſtorum mentibus continue laceratis & diro mucrone confoſſis, hos nulla requies, nulla oblectatio iuuat, nullaque vel amænitas, vel illecebra mouet plenos quidẽ ſuis malis & ſæuis cruciatibus laniatos, ſed his toruus ſemper aſpectus, caput minax, ceruix demiſſa, ora pallentia, gemitus, planctus, ſtridor, furor, blaſphemia atq; deſperatio tanquam ad perpetuam ærumnam infeliciter raptis. Quorũ malorum cum iudex cauſa eſt, poteſtne quicquam cogitari ſceleſtius atque immanius, cum is, qui debuit his omnibus mederi malis atque periculis, is quidem ſit, qui percutiat, cruenter & ſauciet, im-

probos

probos imitatus medicos, qui in ſedandis languoribus, ſpe quadam amplioris quæſtus differunt medicamenta, proditores, prædones, interdum etiam homicidæ. Qui enim, cum poteſt, oppreſſum non ſubleuat, & ab eo non propulſat iniuriam, viduarum, orphanorum, inopum, abiectorum humiliumque non miſeretur, ſed animum ad offenſiones & calamitates indurat, tam eſt in ſcelere, quam qui opprimit & iniuriam infert, cum alter inferendo malo, alter in non obſtando vel amouendo æque proximum lædat, quod profecto tam alienum eſſe debet ab eo, qui magiſtratu dignus habeatur, vt mortem potius ſubeat, quam conſcientiam tali impietate, tanquam inexpiabili crimine inquinari patiatur. Quinetiam, (vt inquit Sopater in Epiſt. ad Hemetenum fratrem) quos prius non cognoſcebas, & nihil ad te pertinere puatbas amplius, quam quiuis homo communem hominũ naturam, illos iam princeps reuereri debes, ceu iã notos & familiares, ac omnes tibi amicos eſſe vidẽs, paterna beneuolentia cõplecti. Fugienda autẽ omnis arrogantia & pertinacia tanquam humilis vilisq; animæ affectus. Sui enim obliuiſci propter phantaſiam breuis imperij, magnam puſillanimitatem arguit. Neque vero ira in ſubditos vtendum eſt, neque peccantibus inſtitutum ſuum ſine reprehenſione relinquendum: nam iracundia principem ab inſania nihil differre ſignum eſt: hoc vero leuitatem ad peccandum in ſubditis gignit. Præbeat autem ſeipſum ſimul & clementem & malis infenſum: lente quidem puniendo, clementiam: malis autem indignando, improbitatis odium pręſe ferens: Vt hoc quidem fugienda eſſe mala: illud autem, non nimis implacabilem ijs, qui peccaue-

 runt,

runt,eſſe fortunam,documento ſit. Imperandique adeo modum ſiugulorum moribus decenter accõmodet:cum probis moderate, cum ſupinis vehementer, cum audacibus acerbe,cum cautioribus deniq; leniter agens. Oportet autem etiam à peccatis arcere per neceſſitatem ſuadelæ cõiunctam: his vero,qui deliquerunt, moderatam iuſtitiæ caſtigationem inferre, ita vt parua quidem & vulgaria peccata diſſimulentur(nec enim conducit & quælibet & omnia ſimpliciter punire, neq; cognoſcentem negligere) quæ vero iam ingraueſcunt, ijs cura ſecundum leges adhibeatur.Quo reſpexiſſe videtur Philippus Macedo. Rogatus enim ab Harpalo, vt Cratetam eius familiarẽ iudicio liberaret,Eum,inquit,rectius eſt, quam nos ob ipſum male audire.Hæc enim(vt Cicero in Lælio inquit) lex in amicitia ſanciatur,vt ab amicis honeſta petamus, ſimul & rogati amicorum cauſa honeſta faciamus. Neque enim eſt vlla excuſatio peccati,ſi amici cauſa peccaueris. Oportet igitur capeſſentẽ Rempublicam magiſtratum iudiciaque exercentem deponere amici perſonam & ſanguinis, & induere iudicis,qui aliud nihil eſt,quam ius loquens & animatum,aut ſi quo moueatur affectu,propenſior miſericordia atque benignitas in calamitoſos eſſe debebit,ſi boni & digni miſericordia videantur,qui inopes virium & deſtituti præſidijs illis ſunt. Cui correſpondet etiam id, quod Epictetus ait:Si iudicia recte proferre voles, nullum contẽdentium & cauſam dicentium, ſed ipſam cauſam cognoſcas.Etſi vero, vt inquit Plato in Epiſtola ad Dionyſium,auſteritas amicorum ſolitudinem parit;tamen eodem teſte,in Politicis,principum mores acrimonia quadam & acri efficacique pertinacia in-

tia indigent, proinde valde cautos eſſe iubet. Auſteritatem itaq; hic intelligit Plato quatenus in tyrannidem vergit.

Pax, alterum illud, quod diximus amplificandæ ac tuendæ ciuitatis medium, vt firmiter conſtet, omnino prouidendum eſt, hac enim vacillante aut rupta, omnia in peius ruere neceſſe eſt, ſtante vero quoq; firmiter conſiſtunt ac durant:

Attendendum tamen diligenter eſt, ne amica illa pacis fruitio ad temerarios multitudinis auſus, quicunque illi tandem ſint, tacitam quaſi anſam præbeat, qua in re illi, quibus id ratione officij cōpetit, caute proſpicient. Eſt enim populus, vt Plato inquit, ingratus, moroſus, crudelis, inuidus, immodeſtus, vt qui eſt ex colluuie turbæ & ſtultis inſolentibus collectus. Quo etiam reſpexiſſe videtur Ioannes XXIII. Pont. Rom. Interrogatus enim aliquando, quid foret à veritate remotius, reſpondit: Vulgi ſententia. Quicquid enim laudat, inquit, vituperio dignum eſt; quicquid cogitat, vanum; quicquid loquitur, falſum; quod improbat, bonum eſt; quod approbat, malum; & quicquid extollit, infame. Et ſicubi ſibi ipſi relictum nullis legum repagulis coerceatur, nullum tunc (vt recte Q. Curtius de rebus geſtis Alexandri Magni libro 10. ſcribit) profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtique ſi noua & breui duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teſte Liuio, natura multitudinis eſt: Aut ſeruit humiliter, aut ſuperbe dominatur; Libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modice, nec habere ſciunt, & non ferme deſunt irarum indulgentes miniſtri, qui auidos atque intemperantes plebeiorum animos ad ſanguinem &

cædes irritant. Atque hinc etiam non abs re vulgato verſu dicitur:

Ruſtica gens eſt optima flens, ſed peſſima gaudens.

Atq; alio quoque, cuius idem omnino eſt ſenſus:

Vngentem pungit, pungentem ruſticus vngit.

Hæc ita eſſe certiſſimum eſt. Quod ſi vero cui id dubium eſt, ſuo is ſane periculo experiatur, per me licet, & facile ipſi, vt opinor, dubitationem illam excutient, &c. Quod ſi præterea ſuperſtitio aliqua mentes multitudinis ſeditioſę occupat: tunc demum ea bellua multorum capitum, multo atrocius furit, neq; modum tenere poteſt, exitumue vllum reperit, vbi aut fauere ſemel aut ſeruire inſtituit, hocque prætextu ſibi quiduis licere putat. Quo etiam Q. Curtius reſpexiſſe videtur libro 4. de rebus Alexandri Magni, vbi dicit: Nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæua, mutabilis, vbi vana religione capta eſt, melius vatibus quam ducibus paret. Siquidem ſimulata religio inſtar torrentium eſt, qui nullis obicibus retardari queunt, quo minus campos inundent, & aliquandiu noceant. De quibus Lactantius: egregie admodum (adeoque ijs, qui ſuam religionem vi defendendam ducunt:) Quid ergo, inquit, ſæuiunt? vt ſtultitiam ſuam dum minuere volunt, augeant? Longe diuerſa ſunt carnificina & pietas: nec poteſt aut veritas cum vi, aut iuſtitia cum crudelitate coniungi. Sed defendenda ſunt, inquiunt, ſuſcepta publica ſacra? O quam honeſta voluntate miſeri errant? Sentiunt enim nihil eſſe in rebus humanis religione præſtantius. Sed vt in ipſa religione, ſic in defenſionis:

ſionis genere falluntur. Siquidem defendenda religio eſt, non occidenda, ſed moriendo: non ſæuitia, ſed patientia; non ſcelere, ſed fide illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt bonum in religione verſari, non malum. Nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo religionem defendere velis: iam non defendetur illa, ſed polluetur atq; violabitur. Nihil enim eſt tam voluntarium, quam religio, in qua ſi animus ſacrificantis auerſus eſt, iam ſublata, iam nulla eſt. Illud tamen probe tenendum eſt, quod & Claudianus monet, illum furorem efferatæ multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare. Nam caret euentu nimius furor. Improba nunquam ſpes læta ta diu. Temereq; illi faciunt, qui populo innixi & magnas res ſuſcipiunt agendas, & ſuſceptas ſibi ſucceſſuras ſperant. Etenim quemadmodum creſcente vmbra, vel decreſcente, corpus tamen ipſum cuius illa eſt vmbra, neq; creſcit neque decreſcit: ita nec melior fit quiſquam, dum à vulgo laudatur, nec item peior, dum vituperatur. Parum namque præſidij, inquit Cominæus, poſitum eſt in promiſcua multitudine, niſi contineatur aliqua neceſſitate & imperio: tametſi tempus incidat, cum populi furor & repentinus impetus valde ſit pertimeſcendus.

ABVNDANTIA demum alimentorum, vt tertium ampliandarum ciuitatum earundemque conſeruandarum principale medium, facilem reddit victum, Quid enim antiquius, quid acceptius multitudini, quam ſi vili cibus potuſque paretur. Ob id etiam in vrbibus ac oppidis rerum omnium affluente copia optimatibus cum multitudine adeoque obſcuris hominibus nullam

lum eſt certamen aut diſcordia,in tanta vitæ diſſimilitudine,& tam diſpari ſtudiorum ratione atq; voluntate. Illi enim imperium & gloriam expetunt:hi dum vitæ commodis abundent, non ita magnum fructum in decore & dignitate ponendũ arbitrantur. Atque hæc pro præſenti dicta ſufficiant.Cætera,vt ſupremam tandem operi addam manum,omnia quæ pro amplificanda vrbe adducta ſunt, pro conſeruanda quoq; vſurpari poſſunt.Eadem enim rerum(quæcunque tandem illæ ſint) ortus & progreſſus fere ſunt principia.

(* * *)

FINIS.

Digitized by Google